



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





4<sup>ov</sup> = 11596

Full  
7762

~~66-6.~~

~~91-6 no 13272~~

13 23





ANTONII FORTI  
PHILOSOPHIA  
NEGATIVA,

TOMUS PRIMUS.

*De la lib. del Cl.º ymº.  
Compº de Hs*

THE  
JOURNAL  
OF  
THE  
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE  
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND  
VOLUME LXXV. PART I. 1905.  
LONDON: PUBLISHED BY THE INSTITUTE.  
1905.

PHILOSOPHIA  
NEGATIVA

S E U

DISPUTATIONES PHILOSOPHICÆ,

*In quinque libros divise,*

QUORUM I. SUMMULÆ: II. LOGICA: III. PHYSICÆ  
PARS PRIOR: IV. PHYSICÆ PAR posterior:  
V. METAPHYSICA:

QUIBUS 22624

*Probari contenditur, Philosophiam pure Humanam, sibi relictam,  
in Argumenta Negativa passim resolvi.*

AUTHORE

ANTONIO FORTI

SOCIETATIS JESU, CALATAJERONENSI.

Editio novissima, post Panormitanam prima Veneta.



VENETIIS, MDCCXLIV.

Ex Typographia Jo: BAPTISTÆ ALBRITHI HIERON. FLIII.



2. DIE HÖR- UND SEH-ORGANE

1. Die Hörgänge

Die Hörgänge sind in der Mitte des Kopfes gelegen und bestehen aus dem Gehörknöchelchen, dem Hammer, dem Amboss und dem Steigbügel.

2. Die Sehorgane

Die Sehorgane sind in der Mitte des Kopfes gelegen und bestehen aus dem Augapfel, der Netzhaut und der Sehzellen.

3. Die Nase

Die Nase ist in der Mitte des Kopfes gelegen und besteht aus der Nasenhöhle und der Nasenschleimhaut.

4. Die Zunge

Die Zunge ist in der Mitte des Kopfes gelegen und besteht aus der Zungenspitze und der Zungenwurzel.

REVERENDO PATRI  
ANDREÆ ZUANELLI  
SOCIETATIS JESU.



HIERONYMUS ALBRIZZI FELICITATEM.

**D**uo sunt, quæ potissimum nonnulli mirari solent, Reverende Pater, cum Philosophiæ libros quotidie typis vulgari conspiciunt; alterum quidem humana mentis infirmitatem, quæ in causa est ut in harum rerum natura assequenda vix quidquam  
\* 3 pro-

proficiamus ; alterum vero incredibilem quamdam hominum audaciam , qua cupide , solerterque , quodcumque in penitioribus naturæ sinitibus latet , involutumque est , & contemplando investigare , & ratiocinando persequi , & evolvere disputando contendunt . Quapropter ad hanc mentis in tanta imbecillitate audaciam excusandam , seu potius ab invidia , & obtrectatorum sermonibus defendendam , illud semper necessarium existimaui , quod in more positum esse video , ut ii nempe , qui novas de Philosophia tractationes in lucem edere moliantur , eas nomine aliquo insigni , & præclarissimorum in iisdem disciplinis virorum præsidio munire studeant . Ea igitur fuit ratio , Reverende Pater , quæ me maxime impulit , ac pene coegit , ut nomen tuum in hisce libris ultro inscriberem , quos olim de Philosophia negativa tribus voluminibus comprehendit illustri Auctor ingenio Reverendus Pater Antonius Forti ; nunc vero plurimorum stimulis excitatus ego typis iterum excudendos curaui . Et profecto , sub cujus potissimum nominis clypeo Philosophicum opus hoc tueri se oportebat , cum in lucem publicam iterum prodiret , quam illius , qui & per septennium his disciplinis traden-



deendis exercitatus , parem adhuc in Philosophia  
neminem fortasse invenire potuit , & ob sua-  
cissimos mores gratus in primis , cunctisque  
charus semper fuit ; denique sua prudentia ,  
suisque virtutibus , & omni laudum genere ,  
non amorem solum conciliavit , & studia , sed  
omnium insuper adjunxit sibi gratiam , & pe-  
perit existimationem ? Quid dicam de domesti-  
cis , quibus commendatus es , laudibus ? Quid  
de fratribus , quos præ ceteris vera cum glo-  
ria jactare potes in Ecclesiastica Hierarchia præ-  
stantissimos ? quorum res gesta haud una cum  
corpore extincta sunt , sed illas suum veluti  
in gremium suscipiens posteritas in hominum me-  
moriam perpetuabit immortalitatis præmio conde-  
coratas ? Certe laudes Cajetani fratris cui nul-  
la unquam delebit obli-vio , qui inter claris-  
simos nostrorum temporum Oratores habitus ,  
postquam plurimas Europæ urbes de Suggesto  
verba faciendo illustravit , tandem aliquando  
ad Bellunensem Ecclesiam regendam elevatus  
est : quo in munere quis digne referre queat  
quantum gregi sibi tradito verbis , ac vite  
sanctitate præverit ? Sed & alterius fratris  
nomen Sacri Palatii Magistri semper per homi-  
num ora volitabit , qui cum ad summum  
Ora-

Oratoria artis apicem ascendisset , denique eo dignitatis pervenit , unde facilis ad Purpuratorum Senatum gradus patere solet ; cui idem procul dubio adscriptus fuisset , nisi mortis invidia factum esset , ut honor , quem ipse jam dum promeruerat , ac universus pene Orbis omnabatur , eidem cum bonorum omnium dolore praeiperetur . Nec silentio praterendus frater alter Joseph Maria , qui non exiguam tulit religionis laudem , amplexus Sancti Cajetani institutum , unde ob integritatis famam et sapientiae , praeclaros dignitatis gradus consecutus est , concionandique arte par fuit clarissimis .

Hæc non modo ornamenta , sed singularia nostræ Philosophiæ negativæ præsidia sunt , et quasi propugnacula inimicorum telis opposita , atque objecta . Verum fateor tamen : rationes hujusmodi ad Auctorum , aut Librariorum utilitatem referuntur magis , quam ad laudem eorum , quos in Operis tui Patronos , atque Auspices elegeris . Alia enim vero mihi nunc ratio fuit , eaque validissima , quæque ad unum te omnis refertur , cur Philosophiam hanc in muneris speciem tibi potissimum offerre vellem ; quia scilicet maximo jure tibi non pauca debe-

ri a

ri a me intelligebam . Tanta enim benignitate , tantaque patientia filios meos tres mea mihi vita chariores per plures annos , partim Brixia , partim Bononia tua fidei traditos sub tua custodia tam peramanter , tamque felici exitu usque ad hanc diem mihi conservasti , dum puerorum educationi in Seminariis publicis praesses , & bonis artibus , ac disciplinis instituendis adolescentibus incumberes ; ut exprimere quam tibi propterea debeam nulla oratio sufficiat . Quin etiam mihi turpem ingrati animi notam posset quisque merito objicere , nisi id publico aliquo testimonio confirmatum relinquerem , quam scilicet fueris tu de me , meisque omnibus usque huc optime meritis . Quare sicuti meritorum tuorum tamdiu recordabor , quamdiu mihi vivere contigerit ; ita apud me no- vi , & quidem non exigui beneficii locum obtinebis , si nunc cum ampliorem Provinciam affecutus es , ad maiorem administrationem vocatus , munus hoc , qualecunque sit , libenti animo acceperis , quod tibi in praeteritorum beneficiorum memoriam , meaque erga te in perpetuum observantiae gratam significationem deferro .

Pari



Pari igitur animo donum hoc, quo ejus largitorem soles, complectere; tuumque vere existima quod tot nominibus tibi debebatur. Vale.

## AD LECTOREM.

**M**iraberis, quod, in tanta Scriptorum copia, profiliat in medium nostra Philosophia Negativa. Heus, inquires, vel vetera profert, vel recentia: si vetera, crambem recoctam apponit: sin recentia, quid, luce dignum, sub sole novum? Difficile est, aliquid boni tot Sapientium Virorum, qui antehac scripserunt, fugisse aciem. Amice Lector & erudite, valida sane obtendis: ne tamen inaudita parte feras sententiam; istæ suspende benevolus: donec Philosophiæ nostræ Clavem perlegeris, quam Logici *disp.* 1. *lib.* 2. præfiximus. Ab opacitate siquidem nostra natam fortasse comperies novam aliquam antiquæ lucis reflexionem: & quare nomen inditum Negativæ. Vale.

# NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

**A** Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Paolo Tommaso Manuelli* Inquisitore del S. Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Antonii Forti Philosophia Negativa*, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro i Precipi e buoni costumi, concedemo Licenza a *Giambatista Albrizzi Stampatore di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Marzo 1744.

( Z. Pietro Pasqualigo Rif.

( Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

(

Registrato in Libro a Carte 28. al n. 182.

*Michiel Angelo Marino Segret.*

16. Marzo 1744. Registrato nel Magistrato Eccell. de gli Esecutori contro la Bestemmia.

*Alvise Legrenzi Segret.*

# PHILOSOPHIÆ

N E G A T I V Æ

L I B E R P R I M U S .

*Summula , seu Introductio in Logicam .*



LOGICA , tota quanta est , ut videbimus , circa Secundam intellectus Operationem immediate , & per se versatur . Secunda intellectus operatio , cum sit propositio , ex terminis constare intelligitur : & in argumentationem coalescere . Itaque , juxta communem Scholæ peripateticæ methodum , Logicæ brevem hanc introductionem præmittimus : cujus tripartitam tractationem tres Logicæ Summulas vulgus Philosophorum appellat . Prima erit de Termino : Secunda de Propositione : Tertia de Argumentatione .

D I S P U T A T I O I

De Termino .

*Primo , quid sit Terminus . Secundo , quod duplex sit .  
Tertio , de proprietatibus Termini .*

A R T I C U L U S I .

Quid sit Terminus :

I. **D**ico primo . Terminus dicitur id , in quod resolvitur propositio . Et quidem ex Aristotele 1. *prior. cap. 1.* ubi sic habet de termino : *Terminum voco , in quem dissolvitur propositio , ut prædicatum , & de quo prædicatur , aut apposito , aut diviso esse , aut non esse .* Propositio autem , ut notat ipse Aristoteles , proprie resolvitur in extrema , quæ sunt partes , ut quod , idest subiectum , & prædicatum : non dicitur proprie resolvi in  
*Phil. Neg. Summ. A copu-*

copulam, seu separationem, quæ est pars, ut quo, in propositione, & merus nexus, seu mera dissolutio, quæ, propositione deperdita, nullo modo intelligitur permanere. Sic res quælibet resolvitur in suas partes, ut quod, non aut in unionem, aut separationem partium prædictarum.

Dico 2. Subjectum propositionis est id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur: prædicatum vero id, quod affirmatur, vel negatur. Copula, vel separatio dicitur verbum, est, aut, non est, quod affirmando necit prædicatum cum subjecto: quodque eadem sejungit negando. Jam Adverbia, Relativa, Adjectiva, & similia, qua talia, termini non sunt, sed terminorum affectiones v. g. quando dicitur: homo Æthiops est valde niger, Tò, Æthiops, se tenet ex parte subjecti: Tò, valde, se tenet ex parte prædicati.

## ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

II. **O**bjicies 1. Propositio resolvitur in syllabas, & literas: ergo non resolvitur in Terminos: ergo Terminus non est id, in quod resolvitur propositio.

Resp. Distinguo antecedens: mediate, concedo: immediate, nego antecedens, & utramque consequentiam. Id, in quod absolute dicitur resolveri propositio, est id, in quod illa immediate, idest primo resolvitur: quod scilicet remanet primo, destruitur in propositione, cujusmodi sunt subjectum, & prædicatum, qui duo termini nuncupantur: quique deinde, si velint destrui, proprie dicuntur resolveri in syllabas, & hæ, si & destrui velint, resolveri in simplices literas, seu characteres.

Objicies 2. in hac propositione: Petrus albus est, particula, est, potest dici extremum propositionis: adeoque id, in quod resolvitur propositio: ergo tradita definitio competit alteri a definito, nempe copulæ.

Respond. nego antecedens: extremum enim in propositione non constituitur positione locali, quæ profecto nulla est in actibus intellectus: sed ratione muneris, quod præstare intelligitur.

Objicies 3. etiam de copula potest aliquid affirmari, vel negari: adeoque potest & propositio aliqua resolveri in copulam: ergo

ergo copula potest esse Terminus : ergo allata definitio competit alteri a definito.

Resp. distinguo antecedens: de copula, qua tali, nego: de copula, non qua tali, concedo antecedens: & distinguo primum consequens: copula, ut copula est, nego: non ut talis, concedo: primam: nego deinde secundam consequentiam. Licet copula, qua talis, idest, prout exercens munus conjunctionis prædicati cum subiecto, non sit Terminus; quando tamen in aliqua propositione exerceret munus subiecti, vel prædicati, tunc esset proprie Terminus, & extremum illius propositionis. v. g. si quis diceret, est, est copula: in quo sensu, etiam integra propositio, adverbium, præpositio, quin singulæ literæ elementariæ, & similia possunt esse Terminus, & extremum alicujus propositionis, ut si quis diceret, Petrus est homo, est propositio affirmativa. A, est vocalis.

### A R T I C U L U S III.

Quotuplex sit Terminus.

Prima, & secunda Termini divisio.

II I. **D**ico 1. dividitur Terminus in mentalem, objectivum, vocalem, & scriptum. Mentalis Terminus dicitur, qui est quasi extremum propositionis formalis, idest cognitionis, qua intellectus aliquid de aliquo enunciat. Objectivus, qui est objectum propositionis mentalis v. g. ipse Sol, & esse lucidum, dicuntur Termini, idest objectum propositionis formalis, qua dicitur, Sol est lucidus. Vocalis Terminus est extremum propositionis voce prolata v. g. in supradicta propositione vox illa, Sol, & lucidus. Scriptus denique est extremum propositionis, literis, signisve similibus exarata.

Dico 2. absolute apud Philosophos, juxta communem loquendi modum, nomine propositionis, venit propositio mentalis: nomine Termini, terminus objectivus, qui absolute est id, de quo aliquid affirmatur, vel negatur. Quamvis propositionis vocalis usus, vel saltem scriptæ in scholis sit omnino necessarius, cum nec ipsa objecta afferre in medium possimus, nec nostras cognitiones, nisi per sensibilia signa depromere.

IV. Dico 3. Terminus vocalis subdividitur in significativum, &

A 2

non

non significativum. Significativus est vox, quæ ex hominum placito significat : v. g. panis, sol, lux, & de hoc deinceps semper agendum. Non significativus est vox, quæ ex hominum placito non significat : v. g. Blictri, & similes, quæ excogitari possunt supponendo, quod illæ apud nullum hominum genus significant. Ad hanc autem Termini divisionem clarius intelligendam, operæ pretium sit breviter explicare, quid sit vox, quid sit significare. Vox ex Aristotele 2. de An. cap. 12. est, sonus ab ore Animalis prolatus cum imaginatione aliquid significandi. Dicit enim loco citato Aristoteles textu 90. *Quare percussio respirati aeris ab anima, quæ est in his partibus, ad vocatam arteriam vox est. Non enim omnis animalis sonus vox est : est enim & lingua sonare, sicut tussientes : sed oportet animatum esse verberans, & cum imaginatione aliqua. Significativus enim quidam sonus est vox ; ex quibus verbis Silvester Maurus hic num. 5. hanc infert definitionem vocis, ni dicere velimus descriptionem : vox est sonus editus ab anima, residente in partibus circa cor, ex percussione, & allisione aeris respirati ad asperam arteriam, dependenter ab imaginatione, & appetitu, significativus molesti, & jucundi. Quæ quidem vox duplicis generis est, articulata nimirum, vel inarticulata. Articulata est, quæ, vel syllabis, vel literis constat : v. g. paries, homo, equus, &c. Inarticulata, quæ nec syllabis, nec literis coalescit, cujusmodi sunt gemitus hominis, cantus avium &c. Significare autem, est esse signum. Signum, vel est formale, vel instrumentale. Formale signum est, quod non cognitum, ducit in notitiam alterius rei, ut est visio, quæ non visâ, facit nos videre objectum, puta coloratum, aut lucidum. Instrumentale signum est, & de hoc loquimur in præsentî, quod præter sui cognitionem, in alicujus etiam alterius cognitionem, inducit, & hujusmodi est sonus campanæ, v. g. qui auditus ducit nos in cognitionem concionis habendæ, vel gymnasii incipiendi.*

Dico 4. Signum instrumentale aliud est naturale, aliud artificiale. Naturale est, quod ex natura sua significat rem a se distinctam, ut risus, lætitiâ; gemitus, & suspiria, mærorem, & hujusmodi signa ubique gentium, & semper idem significant, utpote ex natura. Artificiale est, quod ex mero placito, idest ex libera voluntate, & arbitrio agentis intellectualis habet ducere in cognitionem alterius rei. Nam, quod signum quodlibet instru-

instrumentale ducat in cognitionem sui ipsius, quæ est significatio quædam materialis, & impropria, non autem formalis, & propria, hoc, inquam, habet ex natura sua; & quoad hoc semper est signum naturale. Exemplum signi instrumentalis artificialis sit hæc vox, panis, vinum, sol, luna, sonus tubæ, qui ad belli principium, vel aliud significandum est institutus: ramus ante tabernam, qui vinum ibi vendibile esse ostendit: & hujusmodi signa non apud omnes nationes, nec semper idem necessario significant, cum non sint ex natura, sed ex arbitrio.

#### A R T I C U L U S IV. Solvuntur Objectiones.

**Y.** **O**bjicies 1. contra tertiam assertionem. Vox non significativa non potest esse extremum propositionis: ergo non est Terminus, adeoque male dividitur Terminus in significativum, & non significativum.

Resp. nego antecedens: nam etiam de vocibus non significativis potest ferri judicium, & aliquid affirmari, vel negari: adeoque possunt esse extremum propositionis, ut cum dicitur: Blictri, est vox dissyllaba: Blictri non est vox significativa.

Objicies 2. hæc vox, Blictri, significat Terminum, seu vocem non significativam: ergo aliquid significat, præter seipsam: ergo non est Terminus non significativus.

Resp. nego antecedens: non enim vox prædicta instituta est, aut assumpta ab hominibus, & philosophis ad significandum, signate Terminum non significativum, licet asseratur exercite in exemplum vocis non significativæ: sic ex eo, quod vox, homo, adducatur a Grammaticis in exemplum nominis substantivi, non infertur, quod hæc vox, homo, significet nomen substantivum.

Objicies 3. hæc vox, Blictri, ab homine prolata, ingerit cognitionem hominis loquentis: ergo aliquid significat præter seipsam.

Resp. distingo antecedens: & hoc habet ex natura sua, concedo: ex placito hominum, nego antecedens: & in eodem sensu consequentiam. Quælibet vox a loquente prolata, cum sit effectus hominis loquentis, inducit in cognitionem suæ causæ; idest ipsius loquentis, a quo producitur. Id autem est ex natura, non ex arbitrio, sive ex arte.

Ob.



Obijcies 4. hæc vox, Blictri, ex placito hominū nihil significat : ergo significat nihil : ergo est significativa ad placitum : sicuti hæ voces, nihil, nullus, & similes.

Resp. distinguo primum consequens : ergo significat nihil negative, idest non significat, concedo : positive, idest habet significare carentiam cujusunque rei, nego primam, & secundam consequentiam. Ad paritatem dico, illas voces, nihil, nullus, & similes assumptas fuisse ad significandas rerum carentias : vocem autem, Blictri, ne quidem assumptam fuisse ad significandas rerum carentias. Quando autem dicimus, Blictri nihil significare, significare nihil, sensus est, non significare : sicuti quando dicitur : ego nihil comedo, comedo nihil, sensus est : ego non comedo : non autem sensus est, ego comedo ipsum nihilum.

VI. Obijcies 5. nequit explicari, an effectus proprie, & rigore se dici debeat signum naturale suæ causæ, v. g. lux solis, fumus ignis, vestigium animalis : ergo.

Resp. nego antecedens : & dico, alios affirmare : quia per hos, ad signum, sufficit, quod effectus naturaliter ducat in cognitionem rei a se distinctæ, cujusmodi est causa sua. Alios vero cōmuniter negare : quia per hos ad rationē signi, nō sufficit, quod ducat in cognitionem suæ causæ ; sed requiritur præterea, quod, ad hoc per se sit institutum a natura : quod non competit effectui, qua tali ; scilicet præcise ut effectus est. Hinc, inquirunt, gemitus v. g. est signum interni doloris : quia natura per se gemitum instituit, ut inde animalia opem quærerent internis affectionibus. Fumus vero non est signum ignis : quia fumum natura per se non instituit ad hunc finem, ut ignem præferret ; sed per accidens fumus, ab ignis lacta cum alio corpore, præsertim humido, subortus facit, ut inde ignem in eo loco inveniri deducamus : sicut, juxta hanc acceptionem, vestigium non est signum animalis : cum per accidens sit, quod ab animali vestigium imprimatur in molli arena, per quam gradum faciat hic, & nunc : non per se, ex primaria institutione naturæ ad hunc finem, ut animal per sui vestigium innotescat : nec enim fraudatur ullo suo primario fine natura, si animal per arenam, aut simile corpus molle non transeat, ubi vestigium sui imprimat. Quæstio est parvi momenti, & de nomine. Loquendū cum multis.

A. R.

# SUMMULÆ DISPUTATIO I.

## ARTICULUS V.

### Tertia Termini divisio.

VII. **D**ico 1. Subdividitur præterea Terminus, de quo loquimur, in categorematicum, seu prædicativum, seu significativum simpliciter dictum, ut alii loquuntur; & in syncategorematicum, seu comprædicativum, seu consignificativum. Primi generis est, qui se solo aliquid determinate, & perfecte significare solet in communi modo loquendi v. g. Petrus, lapis &c. Secundi generis, qui se solo, & per se non est ponibilis in propositione, utpote qui ad aliquid determinate, & perfecte significandum, indigeat comparte, & veluti determinativo, v. g. omnis, nullus, quilibet, aliquis; subintelligitur enim homo, lapis, &c.

Dico 2. Volunt aliqui, adjectiva esse Terminos categorematicos: tum quia esse solent in propositionibus subiectum, vel prædicatum: ut cum dicitur: album est disgregativum visus, vel: Petrus est albus; tum quia, si non subiectum, materiam saltem, determinate significant. Alii vero contendunt, adjectiva ad summum terminos esse syncategorematicos: quia, ajunt, cum dicitur v. g. albus, justus &c. tam suspensus remanet sensus in ordine ad ejus significationem, quam cum dicitur omnis, nullus, aliquis &c. nisi compleatur significatio determinata addendo, paries, homo. Alii cum Arriaga, ob prædictas rationes, mediam ineunt viam, & adjectiva terminos mistos appellant: quia videntur participare tam de categorematico, quam de syncategorematico. Quæstio est de pura voce.

## ARTICULUS VI.

### Quarta, quinta, & sexta Termini divisio,

ubi

### De Univocis, Æquivocis, Analogis, & Denominativis.

VIII. **D**ico 1. Subdividitur præterea Terminus, de quo loquimur, in communem, & singularem. Communis est, qui plura significat v. g. homo, equus. Singularis, qui unam rem tantum, & determinatam significat, ut Petrus, Bucephalus, Melampus. Hinc vox hæc, Deus, non est Terminus communis,

munis, quia non significat plura. Tres enim Personæ Trinitatis, licet sint plures, puta Personæ tres, non tamen sunt plura, sed unum: quippe sunt unus Deus. At una Persona non est aliud ab altera Persona, sed alius.

Dico 2. Terminus communis subdividitur in Universalem, & Particularem, seu, ut magis castigate loquamur, Terminus communis, quoties afficitur signo Universalitatis, vocatur Terminus universalis v. g. omnis homo, quoties limitatur signo Particularitatis, evadit Terminus Particularis, v. g. aliquis homo, nonnullus equus.

IX. Dico 3. Terminus communis subdividitur iterū in Univocum, Æquivocum, & Analogum. Univocus est, qui significat plura, quorum nomen, & ratio significata per nomen, est omnino eadem, puta quoad similitudinem, & convenientiam v. g. homo, qui Terminus significat Petrum, Paulum, Marcellum, qui eandem naturam humanam participant. Ubi alii communiter dicunt: quorum nomen, & ratio substantiæ significata per nomen; per 7d. substantiæ, significatur essentia, sive de cetero substantialis illa sit, sive accidentalis. Quod etiam intelligendum, ubi de Æquivocis, & Analogis. Æquivocus est, qui plura significat, omnino convenientia quoad nomen, omnino diversa quoad rem, significatam per ipsum nomen: cujusmodi est Gallus, qui significat Gallum gallinaceum, & præterea hominem natum in Gallia, & hominem nomine, vel cognomento, Gallum; quæ galleitas in re est omnino diversa: præter enim convenientiam in nomine, non habent accidentia, vel connotata, aut operationes, unde possint confundi inter se, & ex vi illorum vocari nomine communi, Gallus. Analogus est, qui plura significat, quæ nomine sunt omnino eadem, in re vero per nomen significata, partim sunt convenientia, & partim disconvenientia, seu, ut alii explicant, imperfecte, & aliquantulum convenientia v. g. Sanus, dici potest de homine, de pulsu, de cibo: jam conveniunt, quia eadem quidem est omnium sanitas, ad quam dicunt ordinem: disconveniunt, quia illam non eodem modo participant: homo enim habet sanitatem in se formaliter: pulsus indicative, quatenus est signum, & index sanitatis: cibus causaliter, quatenus sanitatem fovet, atque restaurat. Hæc autem omnia ita significantur per vocem, sanus, simpliciter prolatam, ut præcise per ipsam confundantur quidem simul, at di-

*Ant. Forti.*

scer-

## SUMMULÆ DISPUTATIO I. 9

cernatur eorum diversitas præexplicata . Non ita se habet hæc vox , Animal , qua præcise sumpta , ita confunduntur omnia animalia , ut nulla eorum differentia per sonum hujus merè vocis significetur .

### *Quoad Univoca.*

X. Dico 4. Univoca alia sunt univocantia , alia univocata . Univoca univocantia dicuntur ipsæ voces . Univoca univocata , res significatæ per voces . Dividi etiam solent univoca , in univoca participata , & univoca participantia . Univoca participata dicuntur rationes communes superiores v. g. animal , quod participatur ab homine , equo , leone . Univoca participantia dicuntur rationes inferiores , quæ dictam rationem communem , superiorem participant : v. g. homo , equus , leo , quæ animalitatem participant . Itaque hæc vox , Deus , ex eodem capite , quo non reputatur universalis , nec reputatur univoca : quia scilicet non significat unum in pluribus per sui multiplicationem , ut dictum est assertionem primam .

### *Quoad Æquivoca.*

XI. Dico 5. In æquivocis vocabulū commune debet esse omnino idem , invariato nimirum vocis sono materiali , syllabis , literis , accentibus , quantitate , & reliquis accidentibus , alioquin non erit æquivocum , de quo loquimur . Itaque hoc nomen , plaga , non reputatur philosophice æquivocum , licet æquivocum nuncupetur grammaticaliter : quamvis enim significet tum vulnus , tum rete ; cum tamen vulnus significat , habet primam syllabam longam ; cum rete , brevem . Porro æquivoca , alia dicuntur æquivocantia , alia æquivocata . Æquivoca æquivocantia sunt voces ipsæ significantes , modo præexplicato . Æquivoca æquivocata sunt res significatæ per voces . Insuper æquivoca alia dicuntur a casu , alia a consilio . Æquivoca a casu , seu , ut alii loquuntur , absque ullo fundamento in re , sunt , quæ conveniunt in nomine casualiter , & fortuito v. g. hoc nomen , Melampus , impositum cani omnino ad libitum . Æquivoca a consilio sunt , quæ , licet diversa , conveniunt tamen in nomine ex aliquo consilio , non sine aliquo fundamento in re , ut evenit in metaphoris , quæ tamen potiori jure analoga nuncupantur : v. g. ridere , quod

*Phil. Neg. Summ.*

B

in

in hominibus significat risum edere , & in pratis germinare , & florere.

Dico 6. quando autem dicuntur , *Æquivoca* unica definitione definiri minime posse ; sensus est de *Æquivocis* specificative , & singillatim, non vero reduplicative, & in univsum . Enimvero res , quæ dicuntur *æquivocæ* , si sumantur specificative , seu materialiter , & exercite , non possunt definiri unica definitione : diversimode enim definitur Gallus homo , & Gallus gallinaceus : si vero sumantur reduplicative , seu formaliter , & signate , quatenus talia , possunt unica definitione definiri ; quia sunt similia , & conveniunt in hoc , quod participant idem nomen , quod sint *æquivoca* , ac sint diversa significata per unum nomen : ut diximus, individua differre inter se , non differre tamen in hoc , quod de quolibet illorum *æque* verificetur , esse individuum . Et ubi Aristoteles docet , nomen , quod non significat unum , nihil significare ; sensus est , vocem , quæ non significat rem certam , & determinatam , sed incertam , penitusque indeterminatam ex suo modo significandi , perinde se habere in ordine ad societatem , & usum humanum , ac si nihil significaret ; adeoque, quo ad hoc, dici posse, nihil significare in ordine ad nos.

### *Quoad Analoga.*

XII. Dico 7. Licet Analoga , utpote media inter univoca, & *æquivoca* , non definiri ab Aristotele notet Divus Thomas , Boetius , & alii interpretes , quia forte in *æquivocis* comprehenduntur; illa tamen recte definiuntur communiter a logicis modo prædicto : & quidem ex Aristotele . Jam Analoga alia sunt analogantia , alia analogata . Analoga analogantia sunt voces, significantes plura , partim eadem , partim diversa . Analoga analogata sunt res ipsæ significatæ.

Dico 8. Analoga analogata , ex Aristotele , dividi etiam solent in analoga attributionis, & proportionis, seu proportionalitatis . Analoga attributionis , quæ ab Aristotele hoc loco appellantur analoga ab uno , vel analoga ad unum ; sunt , quæ , significata per unum nomen , dicunt ordinem ad unum terminum; ita tamen, ut in tali ordine partim conveniant , partim disconveniant v.g. sanum, ut supra innuebã, dicitur de animali, de pulsu, de cibo : quæ omnia conveniunt in hoc, quod eadem sit omnium sanitas ,

tas, ad quam dicunt ordinem : disconveniunt tamen , quia illam non eodem modo participant.

Dico 9. Analogorum attributionis illud, in quo principaliter, idest formaliter reperitur forma, seu terminus, ad quem cætera dicunt ordinem ; vocatur analogum principale, seu primum analogatum : & hoc venit nomine analogi absolute prolati : reliqua vero, quæ non ita dictam formam participant, analogata minus principalia nuncupantur; non tamen comparata inter se, sed cum principali analogato. Analogum primi generis est, animal sanum: secundi generis, pulsus, medicina, cibus.

XIII. Dico 10. Analoga proportionis, quæ Aristoteles appellat, analoga secundum proportionem, sunt, quorum nomen commune est, ratio substantiæ absolute diversa, sed eadem per quandam proportionem, similitudinem, & metaphoram, v. g. ut supra innuebam, Risus, qui proprie dicitur de homine, transfertur etiam ad pratorum viriditatem, cælique serenitatem : quia hoc, quod est risus in homine, videtur viriditas in pratis, serenitas in aere. Itaque in analogis attributionis est idem terminus, diversa tamen ad illum relatio : in analogis vero proportionis sunt diversi termini, sed eadem est relatio.

Dico 11. Dividunt alii analoga trifariam : primo, in analoga propter inæqualitatem : secundo, propter dependentiam : tertio, propter transcendentiam. Primi generis dicunt ea, quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata, omnino eadem ; quæ tamen inæqualiter participatur ab illis, videlicet magis, vel minus perfecte. Secundi generis, quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata, omnino eadem, sed in uno dependenter ab alio. Tertii generis, quæ habent aliquam rationem communem, sine qua concipi non possint ; licet hæc ratio concipi possit sine illis. Et multi volunt, solum tres hæc analogorum classes vere ad analoga pertinere : cum participant quidem eandem rationem, sed non omnino eandem. His Doctoribus in analogis attributionis, & proportionis, ratio significata per nomen non videtur esse in omnibus partim eadem, partim diversa, sed in analogis attributionis omnino eadem v. g. sanitas : in analogis proportionis omnino diversa, & duntaxat eadem per similitudinem quandam, valde imperfectam. Multi contra putant, analoga per inæqualitatem, per dependentiam, per transcendentiam, esse in rigore univoca, eorumque inæqualitate,

dependentia, transcendentia univocationem non impediri : cum non impediatur eorundem confundibilitas inter se ; adeoque analogia proprie esse analogia attributionis , & proportionis . Questio , ut videtur , est parvi momenti , & de mero modo loquendi.

*Quoad Denominativa.*

XIV. Dico 12. Denominativa non sunt cum Univocis, Æquivocis , Analogis confundenda . Siquidem denominativa sunt, ex Aristotele, ea , quæ ab aliquo nomine appellationem recipiunt, solo casu , idest desinentia , ab illo diversa v. g. justus a justitia , sanctus a sanctitate , clemens a clementia . Tria requiruntur ad denominativa : primum, ut nomen habeant aliquo modo commune cum forma , unde derivantur : sic v. g. studiosus, cum significat amantem virtutis , non est nomen denominativum respectu virtutis : secundum requisitum est , ut denominativum habeat diversam desinentiam, ac forma, unde denominatur : hinc v. g. musica , cum est adjectivum, significans mulierem cantatricem , non reputatur nomen denominativum a musica substantivo , quia desinunt eodem modo : tertium requisitum est , ut quid commune significet , unde non reputatur nomen denominativum, illud, quod individuum determinatum significatur.

Dico 13. Quidam denominativa dividunt in tres classes : primo in denominativa in re simul, & in voce: ut clemens a clementia , innocens ab innocentia : secundo in denominativa solum in voce v. g. officiosus , cum significat obsequentem , respectu hujus vocis , officium : nam , inquiunt , diversum habent significatum ; sed falso : nam , si consulant Calepinum , ut notat Arriaga , officium etiam significare potest obsequium : tertio in denominativa solum in re, v. g. studiosus respectu virtutis , a qua habet significationem , non vero nomen.

A R T I C U L U S VII.

Septima, & Octava Termini divisio.

XV. Dico 1. Dividitur Terminus in Absolutum , Connotativum , & Relativum . Absolutus est , qui ex suo modo tendendi significat rem ad modum per se stantis, v. g. Angelus , homo . Dixi , ad modum per se stantis, non per se stantem, quia

quia, ut bene notat Toletus, formæ accidentales, v. g. albedo, nigredo, licet non per se stent, ut substantiæ, sed inhæreant substantiis; tamen, quia substantive significantur, ideo termini sunt absoluti.

Dico 2. Connotativus est, qui ex suo modo tendendi significat rem alteri alligatam, cum qua unum terminum constituit, v. g. album, nigrum, quod significat habens albedinem, habens nigredinem, idest subjectum, v. g. parietem, & simul formam, idest albedinem, nigredinem, eidem parieti inhærentem significat. Relativus est, qui significat rem importantem aliam, seu dicentem ordinem ad aliam, cum qua tamen non faciat unum, v. g. inimicus, qui dicit ordinem ad illum, cui inimicatur, nec tamen facit unum cum eodem, ut facit unum paries cum albedine.

XVI. Dico 3. dividitur præterea terminus in Concretum, & Abstractum. Concretus est, qui significat rem compositam, seu quasi compositam, idest constātem ex partibus, vel quasi partibus, inter se aliquo modo distinctis: v. g. Album, Deus, Verum, Album, quia significat subjectum, idest parietem, & formam, idest albedinem, quæ realiter distinguuntur. Deus, quia significat Deitatem, & Personalitatem, quæ Ineffabiliter, seu virtualiter, seu formaliter ex natura rei, seu eminentialiter, seu realiter inæquate, seu alio modo distinguuntur, juxta varias Theologorum opiniones. Verum, quia hic terminus significat ens, quasi subjectum, & veritatem transcendentalem, quasi formam illi adjacentem, quæ distinguitur ab ipso ente per intellectum. Terminus abstractus est, qui significat partem, seu quasi partem alicujus ex prædictis compositis, ut ab altera separatam, v. g. Albedo, Veritas, Deitas. Ubi contendunt aliqui, & quidem communiter, solam formam, ut a subjecto separatam, dici posse terminum abstractum, non vero subjectum, ut separatam ab illa quia proprie forma intelligitur esse id, quod abstrahitur: subjectum verò esse id, ex quo abstrahitur ipsa forma: ut, vice versa, subjectum intelligitur esse id, quod contrahitur: forma vero, in suo genere, esse id, quod contrahit subjectum, cui suo modo conjungitur.



## ARTICULUS VIII.

Nona, &amp; decima termini divisio.

XVII. **D**ico 1. dividitur in super terminus in collectivum, & in non collectivum. Collectivus, seu copulativus est, qui in recto plura significat, ad modum unius; adeoque non potest de illis prædicari singillatim, idest de singulis: v. g. Populus, Exercitus, Turba, Collegium. Non collectivus, seu non copulativus est, qui, vel non significat plura in recto, ut Petrus; vel, si plura, ita tamen significat, ut possit de singulis in recto prædicari: cuiusmodi est, homo, miles.

Dico 2. dividitur idem terminus in complexum, & incomplexum. Complexus est, cuius partes non sunt mera synonyma, sed diversum significant, & singulæ separatæ significant eodem modo, ac dum erant unitæ: v. g. Homo albus, Homo iustus. Incomplexus est, cuius partes, vel sunt synonymæ, & omnino idem significantes, vel separatæ non significant eodem modo, ac dum erant unitæ: v. g. ensis, gladius, quæ sunt synonyma: magister, cuius partes, magister, separatæ non significant: ita etiam se habet proconsul, circumfertur, cuius partes separatæ, proprie non significant, cum sint dictiones syncategorematicæ, idest non significantiæ. Hujus generis etiam est hic terminus, res publica, quando significat communitatē, & dominus, namque ejus partes: res publica, & dominus, separatæ non retinent eandem significationem. Notandum tamen, quod res publica, si significat rem, quæ sit publici, seu communitatis, est terminus complexus.

Dico 3. ex dictis constat facile responsio ad difficultatem illam, quam hoc loco proponit Oviedus: cum dicitur: Blictri prolatum auditur, hic est terminus complexus, & tamen vox, Blictri, solitarie sumpta, non significat: ergo falsa videtur definitio termini complexi, supra tradita: responsio enim est, vocem, Blictri, semper retinere significationem suam materiale, & impropriad, quam habet, significando sui ipsius sonum materiale; siue ponatur extra propositionem supra allatam, siue in illa; licet non habeat significationem ullam formalem, & propriam ex placito hominū, ut supra explicatum est.

A R-

ARTICULUS IX.

Undecima, & duodecima Termini divisio.

XVIII. **D**ico 1. Terminus dividitur etiam celeberrima divisione in Prædicamentalem, Transcendentalem, & Supertranscendentalem. Prædicamentalis est, qui pertinet ad determinatum rerum genus, seu prædicamentum ex decem a Philosopho assignatis. Illa sunt: substantia, quantitas, qualitas, relatio, ubi, quando, actio, passio, situs, & habitus. Itaque, quia hic terminus, equus, pertinet ad prædicamentum substantiæ; palmus, ad prædicamentum quantitatis; albedo, ad prædicamentum qualitatis; & termini prædicamentales nuncupantur.

Dico 2. Transcendentalis est, qui non pertinet ad determinatum rerum genus, & prædicamentum; sed per omnia transcendit, & divagatur; cuiusmodi sunt res, ens, unum, bonum, aliud, verum: qui omnes in illa trita voce, reubau, quæ omnium primas literas continet, ligari a Logicis solent, ac tyronibus memoria exadant. Supertranscendentalis est, qui, non solum per decem rerum prædicamenta, sed etiam ultra divagatur, atque transcendit, v. g. cognoscibile, nominabile, quæ etiam carentiis, immo & chimeris conveniunt.

Dico 3. Dividi etiam solet terminus in Finitum, & Infinitum, seu Infinitatum. Finitus est, qui significat quid res sit, v. g. Homo, Angelus. Infinitus, seu Infinitatus est, qui significat quid res non sit, v. g. non Homo, non Angelus: & dicitur infinitus, seu infinitatus, quia præbet occasionem intellectui progrediendi in infinitum, investigando quid non sit res, quam significat. Quælibet enim res ita est una, ut non sit infinita entia, a se distincta, possibilia. Hinc

Dico 4. Colligitur, particulam, Non, dupliciter sumi posse, negative scilicet, & infinitanter. Primo modo sumitur, cum aliquid negat: & tunc cadit supra verbum, seu copulam, in propositione, quam negativam constituit, v. g. Petrus non est equus. Secundo modo, cum significat afficiendo, non verbum, sed prædicatum propositionis, qui sit terminus infinitus, modo superius explicato: & tunc proprie propositio non est negativa, sed infinita, seu infinitata, seu, ut alii loquuntur, indefinita, v. g. Petrus est non equus.

A R-

ARTICULUS X.  
Decimatercia, quarta, quinta, & sexta Termini divisio.

XIX. **D**ico 1. Dividitur terminus in Primæ, & Secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui rem significat, secundum esse, quod habet independenter ab intellectu, v. g. Angelus, Homo. Terminus secundæ intentionis est, qui rem significat, secundum esse, seu denominationem, quam habet ab intellectu, v. g. cognitum, subiectum, prædicatum.

Dico 2. Dividitur terminus in Affirmativum, & non Affirmativum. Affirmativus est, qui rem positivam significat, v. g. Deus, Homo. Non-affirmativus est, qui rem non positivam significat, sed carentiam, seu defectum rei, v. g. tenebræ. Terminus non Affirmativus subdividitur in privativum, & negativum. Privativus est, qui significat defectum, seu carentiam formæ in subiecto capaci, quæ carentia dicitur privatio, v. g. cæcitas respectu hominis: quia ita caret visu, ut ejus sit capax, adeoque dicitur privatus visu; & Tenebræ respectu aeris: quia aer ita caret luce, ut ejus habeat capacitatem: adeoque noctu dicitur privatus luce. Negativus est, qui significat non esse, seu carentiam in subiecto incapaci, quæ dicitur negatio, v. g. carentia visionis formalis in lapide. Dixi, visionis formalis, quia lapis est incapax essentialiter recipiendi denominationē Videntis: unde, etiam si Deus miraculose uniret cum lapide aliquam visionem, (ut quidem potest) non tamen ab ea denominaretur lapis videns, sed habens visionem.

XX. Dico 3. Dividitur tandem terminus in Pertinentem, & Impertinentem. Pertinens terminus est, qui, vel infert alium, vel illum excludit, & e converso. Unde equus, & animal sunt termini pertinentes inter se, quia equus infert animal: si enim est equus, animal sit oportet; rationale, & irrationale sunt etiam inter se termini pertinentes, quia sibi mutuo repugnant, & ad invicem excluduntur, ut patet. Impertinens terminus est, qui, nec infert alium, neque illum excludit. Unde Logicus, v. g. & Musicus dicuntur inter se termini impertinentes: quia ex eo, quod sit logicus, non infertur, ergo est musicus: neque, ergo non est musicus; sicuti viceversa, ex eo, quod aliquis sit musicus, non infertur, ergo est logicus: vel, ergo non est logicus; quippe indifferenter, seu præcisive se habet logicus, ut sit musicus, aut non musicus: & indifferenter, seu præcisive se habet musicus, ut sit logicus, aut non logicus.

*Ant. Forti.*

D E

DE PROPRIETATIBUS TERMINI.

*Primo, de Suppositione. Secundo, de Ascensu. Tercio, de Descensu, Quarto, de Statu. Quinto, de Ampliatione.*

*Sexto, de Restrictione. Septimo, de Alienatione.*

*Octavo, de Diminutione. Nono, de Appellatione.*

A R T I C U L U S XI.

De suppositione Termini.

XXI. **D**ico 1. Suppositio est prima Termini proprietas. Quandoquidem Suppositio est Acceptio Termini significantis pro re, quam per se, & directe significat, pro qua Terminus dicitur supponere, aut, ut alii loquuntur, supponi, substitui, subrogari, ad modum signi, & imaginis, quæ subrogatur pro Deipara, vel pro Cæsare: exemplum sit hæc vox, Petrus, quæ substituitur, & supponit loco talis hominis, qui appellatur hoc nomine.

Dico 2. Quando propositio est falsa, non ratione disconvenientię prædicati cum subiecto, sed ex defectu subiecti, quod virtualiter affirmatur in illa; tunc dicitur propositio, de subiecto non supponente, seu de subiecto non supposito, ut dicendum contendunt, qui terminum supponi potius, quam supponere, pro re, quam significat, dici volunt apud Sotum. Itaque si quis dixerit, v. g. Antichristus est albus: neganda erit hæc propositio, tanquam de subiecto non supponente, vel non supposito: nam huiusmodi propositio facit hunc sensum: Antichristus existit, & est albus: nisi enim quis sit existens, non potest esse albus, aut niger. Antichristus autem existens defecto nullus est.

XXII. Dico 3. Multifariam dividitur Termini suppositio. Enimvero alia est Formalis, alia Materialis. Formalis suppositio est usus, seu acceptio Termini, pro re a se distincta, quam formaliter significat, v. g. homo, quando accipitur pro animali rationali. Materialis suppositio est acceptio Termini pro seipso, idest pro ipsomet vocabulo materialiter sumpto: v. g. quando dicitur, homo est vox dissyllaba. Suppositio formalis subdividitur in communem, & singularem. Suppositio communis est usus termini communis, nullo affecti signo particularitatis, v. g. equus

*Phil. Neg. Summ.*

C

est

est animal. Singularis suppositio est usus termini singularis, vel particularis, v.g. Bucephalus est equus, vel hic equus est animal.

XXIII. Dico 4. Suppositio communis dividitur iterum in Completam, & Incompletam. Completa est, cum terminus communis supponit pro singulis individuis suorum generum, v.g. omne animal est sensitivum. Incompleta est, cum terminus communis, supponit quidem pro singulis generibus, seu speciebus; non autem pro singulis individuis, v. g. omne animal fuit in arca Noe: sensus enim est, quod in arca Noe aliquod individuum fuerit ex singulis speciebus animalium principalioribus.

Dico 5. Suppositio communis dividi iterum solet in copulativam, & distributivam. Copulativa est, quando terminus communis supponit pro omnibus inferioribus copulative acceptis, & in recto; ita ut non possit de singulis prædicari cum veritate, v. g. cum dicitur: Apostoli sunt duodecim. Distributiva suppositio est usus termini communis, ita, ut possit de singulis prædicari, v.g. omnis homo est animal. Potest enim dici cum veritate: Petrus est animal: Paulus est animal, & sic de singulis.

Dico 6. Suppositio communis dividi etiam potest in Determinatam, & Confusam. Determinata est, in qua terminus communis, sumptus pro aliquo singulari, significat rem in se, & ex parte objecti absolute determinatam; sed indeterminatam ex parte modi significandi, v. g. quidam discipulus loquitur. Confusa, seu, ut alii loquuntur, vaga suppositio est, in qua terminus communis significat aliquod singulare absolute indeterminatum, tum ex parte objecti, tum ex parte modi significandi, v. g. aliquis oculus est necessarius ad videndum: aliqua navis est necessaria ad navigandum. Ut videtis, in prima suppositione significatur aliquod actuale exercitium, scilicet loquutio, quæ nequit a parte rei stare sine subiecto determinato. In secunda vero suppositione, solum significatur pura necessitas vaga, idest conditionata cujuslibet oculi ad videndum, & cujuslibet navis ad navigandum; ex suppositione, quod alter oculus, & alia naves deficient, seu haberi nequeant, ut loco suo melius explicabitur, tum in logica, tum etiam alibi, præsertim in theologia, ubi de necessitate vagæ assentiendi alicui auxilio divinæ gratiæ, sermo erit.

XXIV. Dico 7. Dividitur præterea suppositio in simplicem, & personalem: cujus divisionis explicatio varia est, valde controversa apud Doctores, ut videre est apud Arriag. in summulis disput.

*disput. 1. de terminis sect. 6. subsect. 3. a num. 36. & subsect. 4.* Jam, juxta communio-rem explicandi modum, Simplex suppositio est, in qua subjectum significatur, veluti reduplicative, & reflexe: seu secundo intentionaliter sumptum, idest, ut terminus secundæ intentionis: & secundum aliquam denominationem, quam recipit ab intellectu, v. g. animal est genus: Petrus est subjectum: homo est prædicatum. Personalis suppositio est, in qua subjectum sumitur signate, directe, seu, ut terminus primæ intentionis, idest, prout se habet independentè ab intellectu, v. g. Petrus est homo.

Dico 8. Suppositio dividitur iterum in propriam, & impro-  
priam. Propria est, cum terminus usurpatur pro eo, ad quod  
significandum per se, & directe est institutus, v. g. fulmen, pro  
atheris sagitta: leo, pro animali rugibili. Impropria est, cum  
terminus usurpatur pro re, quam non proprie, & per se, sed  
improprie, metaphorice, aut per accidens significat, v. g. elo-  
quentiæ fulmen, pro Pericle: Leo de tribu Juda, pro Christo.

Dico 9. Addi solet suppositio accommodata, seu in sensu accom-  
modo, cum scilicet significantur omnia, eo tamen sensu, ut ne-  
cessario aliquod excludatur, v. g. Cælum omnia tegit: Petrus  
est omnium discipulorum studiosissimus: Deus est ens omnium,  
optimum: subintelligitur enim, præter seipsum; cum nec Cæ-  
lum seipsum contegat, nec Petrus seipsum superet studio, nec  
Deus seipsum perfectione.

## A R T I C U L U S XII.

De Ascensu, Descensu, Statu, Ampliatione,  
Restrictione Termini.

XXV. **D**ico 1. Ascensus est, cum fit progressus, veluti ascen-  
dendo ab inferioribus termini communis, sufficien-  
ter enumeratis, ad eundem terminum communem, v. g. hic di-  
scipulus est studiosus: ille est etiam studiosus, & sic de singulis:  
ergo omnes discipuli sunt studiosi. Descensus est, cum fit pro-  
gressus, veluti descendendo a termino communi ad inferiora,  
v. g. omnis discipulus est studiosus: ergo hic discipulus est stu-  
diosus, & ille est etiam studiosus, & sic de cæteris. Jam

Dico 2. Tam ascensus, quam descensus quadruplex est: pri-  
mo

mo distributivus, seu copulativus: secundo copulatus: tertio disjunctivus: quarto disjunctus. Primo descensus distributivus, seu copulativus correspondet suppositioni distributivæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente distributive, ad singula inferiora, v. g. homo est rationalis: ergo Petrus est rationalis: Paulus est rationalis, & sic de singulis. Vocatur etiam copulativus, quia per ipsum, veluti copulantur plures propositiones. Secundo descensus copulatus correspondet propositioni copulativæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente copulative, ad inferiora copulative; idest simul sumpta, v. g. elementa sunt quatuor: ergo aqua, aer, ignis, & terra sunt quatuor. Tertio descensus disjunctivus correspondet suppositioni determinatæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente determinate, ad singularia singillatim, sed disjunctive, idest adhibita particula disjunctiva, v. g. aliquis discipulus loquitur: ergo vel Petrus, vel Paulus, vel Marcellus loquitur. Quarto descensus disjunctus correspondet suppositioni confusæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente confuse, ad singularia, sufficienter enumerata, disjunctive accepta, v. g. aliqua navis est necessaria ad navigandum: ergo vel hæc, vel illa, & sic de singulis.

Quæ diximus de descensu, proportionem servata, intelliguntur de ascensu: puta inverso ordine; adeo, ut, quæ erat conclusio in descensu, fiat præmissa in ascensu.

XXVI. Dico 3. Status est suppositio termini pro suis inferioribus, existentibus tempore importato per copulā, v. g. omnis homo currit, idest, omnis homo est currens: quæ propositio loquitur de hominibus defuncto existentibus.

Ampliatio est, veluti extensio quædam minoris significationis ad majorem: fit, quando subiectum extenditur in ordine ad inferiora significanda; & supponit, non solum pro existentibus, sed etiam pro præteritis, futuris, & possibilibus, v. g. homo est rationalis. Potest etiam fieri Ampliatio, cum subiectum non extenditur ad significanda plura inferiora, sed ad consignificanda plura tempora, v. g. cæci vident, idest illi, qui alio tempore cæcitate laborabant, nunc vident. Hæc tamen ab aliis termini distractio nuncupatur.

Restriccio est limitatio amplioris, & majoris significationis in minorem: v. g. primo, si addatur subiecto aliquod adjectivum

re-

restringens, ut, discipulus studiosus commendabitur: vel secundo, relativum, ut, qui studuerit, commendabitur: vel tertio, aliquod obliquum, ut, servus Dei commendabitur: vel quarto, substantivum particulare, limitans subjectum alioqui communis, ut, Urbs Panormi est felix.

## ARTICULUS XIII.

### De Alienatione, Diminutione, Appellatione Termini.

XXVII. **D**ico 1. Alienatio, est translatio nominis a propria significatione in impropriam, & alienam, v. g. equus, qui significat animal hinnibile, cum transfertur ad significandum equum pictum. Ubi *Tò*, pictus, dicitur additum distrahens; equus vero, terminus distractus. Alienatio autem, si fiat per additum determinans ipsum terminum non ad rem existentem, aut possibilem, sed ad chimeram; dicitur remotio: & tunc additum appellatur additum removens; & subjectum, cui additur, dicitur terminus remotus, v. g. homo equus hinniret.

Diminutio est, quando terminus, ratione alicujus additi, significat secundum quid, id, quod alioqui integre, simpliciterque significaret, v. g. *Æthiops* est albus, secundum dentes.

Appellatio est applicatio significationis formalis alicujus termini supra alterum, quem afficit, v. g. *Aristoteles* doctus, vel *Julius Cæsar*, vel, *Logicus* musicus: doctus, dicitur appellare *Aristotelem*, idest cadere supra *Aristotelem*. Terminus autem adhærens esse solet adjectivum, vel quasi adjectivum, ut, doctus; & dicitur terminus appellans: terminus vero, supra quem cadit, esse solet substantivum, seu quasi substantivum, ut *Aristoteles*; & dicitur appellatus. Dixi, adjectivum, seu quasi adjectivum: substantivum, seu quasi substantivum: quia in primo exemplo allato, *Tò*, *Cæsar*, sumitur quasi adjectivum; in secundo, *Tò*, *logicus*, quasi substantivum.

Dico 2. Potest quandoque vox aliqua appellare subjectum in aliqua propositione, v. g. *Petrus* bonus est philosophus; & tunc dicitur appellatio materialis: & sensus non est, quod *Petrus* sit philosophus bonus, sed quod *Petrus* alioqui bonus, sit etiam philosophus: quæ bonitas dicitur materialiter, & impertinenter  
se



se habere in ordine ad philosophiam : adeoque ad hoc , ut Petrus reputetur bonus , aut malus philosophus : hinc tritum illud , musicus ædificat . Aliquando potest appellare prædicatum , v.g. Petrus est bonus philosophus : & tunc dicitur appellatio formalis : & sensus est , Petrum esse philosophum bonum , idest insigniam philosophia . Hæc quoad Summulam primam , quæ fuit de Termino : deinceps quoad Summulam secundam , quæ erit

## DISPUTATIO II.

De Propositione.

*Primo , in Universum . Secundo , de Essentia . Tertio , Modali . Quarto , Definitiva . Quinto , Divisiva .*

### ARTICULUS I.

De Propositione in Universum.

Quid sit , & quotuplex Propositio .

I. **D**ico 1. Propositio in universum est oratio enuncians aliquid de aliquo , v. g. Petrus est homo . Jam , ut notat Hurtadus , Arriaga , & alii communiter , oratio est vox significativa verbo , & nomine inter se congruentibus , si enim illa non congruant inter se , proprie non est oratio : ut si quis diceret , ego amabunt te , proprie & per se nihil significaret : perinde ac si diceret , ego Blictri ; aut , Blictri , Blictri ; licet facile esset viro docto , inde deducere , quid ille vellet fortasse significare , scilicet , ego amabo . Nomen autem , ex Aristotele , dicitur vox significativa ad placitum sine tempore ; cujus nulla pars separata significat , finita , & recta : sed quia plura nomina constant partibus actu significantibus , ut Respublica ; tunc , quia casus omnes obliqui , etiam sunt proprie nomina , ideo magis expedite , ex Antonio Nebrissensi nomen est , vox declinata per casus . Videtur bona definitio , quia competit omni , soli que definitio , nec ullo contra leges bonæ definitionis vitio peccat . Verbum definitur , ex Aristotele , vox significativa cum tempore , ad placitum : cujus nulla pars per se significat : finita , & recta : & est eorum , quæ dicuntur nota . Sed quia hæc definitio Aristotelica similes patitur difficultates , ac definitio nominis : esseque videtur subobscura , clarius a Nebrissensi verbum dicitur : vox conjugata per tempora . Propositio dividitur multifariam . Pri-

*Prima divisio Propositionis.*

II. Dico 2. Dividitur propositio ratione diversæ considerationis, in mentalem, objectivam, vocalem, & scriptam. Mentalis propositio est enunciatio formalis, idest ipsa intellectio, seu iudicium enuncians unum de aliquo. Objectiva, obiectum dictæ propositionis. Vocalis, voces ipsæ dictæ propositioni, tanquam signa vocalia, correspondentes. Scripta, eadem propositio literis, signisve similibus, aut æquivalentibus exarata. Breviter, ipsamet propositio considerari potest primo quoad entitatem: secundo quoad obiectum: tertio quoad voces: quarto quoad scripturam, aut æquivalentia signa, quibus exprimitur. Primo modo considerata, dicitur propositio mentalis: secundo modo, objectiva: tertio modo, vocalis: quarto, scripta, seu quasi scripta.

*Secunda divisio Propositionis.*

Dico 3. Dividitur propositio ratione materiæ in necessariam, contingentem, possibilem, & impossibilem. Necessaria dicitur, cuius termini necessariam habent connexionem, v. g. homo est animal rationale. Contingens, cuius termini contingentem, idest non necessariam habent connexionem, v. g. Petrus est albus. Possibilis, cuius termini, licet actu non connectantur, possunt tamen habere connexionem, v. g. (loquendo de Petro non actu currente) Petrus est currens. Impossibilis, cuius inter terminos impossibilis est connexio, v. g. Petrus est lapis. Dicitur hæc Divisio ratione materiæ, scilicet ratione terminorum, seu objecti, quibus propositio mentalis, vocalis, scripta intelligitur advenire, aut forma quædam extrinseca.

*Tertia divisio Propositionis.*

Dico 4. Dividitur propositio ratione formæ in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, qua affirmatur aliquid de aliquo, v. g. Petrus est homo: & hæc appellatur etiam compositio, quia per ipsam intellectus veluti componit, & coniungit subiectum cum predicato. Appellatur etiam assensus, quia per ipsam intellectus veluti assentitur, & annuit affirmando: prosecutio, quia intellectus affirmando veluti adhæret objecto, illudque prosequitur, ut voluntas per amorem. Negativa est, qua aliquid de aliquo negatur, v. g. Petrus non est lapis: & hæc appellari etiam solent divisio, quia intellectus dividit, & sejungit unum ab alio, Petrum enim a lapide appellari etiam solet dissensus, & fuga,

dependentia, transcendentia univocationem non impediri : cum, non impediatur eorundem confundibilitas inter se ; adeoque analogia proprie esse analogia attributionis, & proportionis. Questio, ut videtur, est parvi momenti, & de mero modo loquendi.

*Quoad Denominativa.*

XIV. Dico 12. Denominativa non sunt cum Univocis, Æquivocis, Analogis confundenda. Siquidem denominativa sunt, ex Aristotele, ea, quæ ab aliquo nomine appellationem recipiunt, solo casu, idest desinentia, ab illo diversa v. g. justus a justitia, sanctus a sanctitate, clemens a clementia. Tria requiruntur ad denominativa : primum, ut nomen habeant aliquo modo commune cum forma, unde derivantur : sic v. g. studiosus, cum significat amantem virtutis, non est nomen denominativum respectu virtutis : secundum requisitum est, ut denominativum habeat diversam desinentiam, ac forma, unde denominatur : hinc v. g. musica, cum est adjectivum, significans mulierem cantatricem, non reputatur nomen denominativum a musica substantivo, quia desinunt eodem modo : tertium requisitum est, ut quid commune significet, unde non reputatur nomen denominativum, illud, quo individuum determinatum significatur.

Dico 13. Quidam denominativa dividunt in tres classes : primo in denominativa in re simul, & in voce : ut clemens a clementia, innocens ab innocentia : secundo in denominativa solum in voce v. g. officiosus, cum significat obsequentem, respectu hujus vocis, officium : nam, inquiunt, diversum habent significatum ; sed falso : nam, si consulant Calepinum, ut notat Arriaga, officium etiam significare potest obsequium : tertio in denominativa solum in re, v. g. studiosus respectu virtutis, a qua habet significationem, non vero nomen.

A R T I C U L U S VII.

Septima, & Octava Termini divisio.

XV. **D**ico 1. Dividitur Terminus in Absolutum, Connotativum, & Relativum. Absolutus est, qui ex suo modo tendendi significat rem ad modum per se stantis, v. g. Angelus, homo. Dixi, ad modum per se stantis, non, per se stantem, quia

quia, ut bene notat Toletus, formæ accidentales, v. g. albedo, nigredo, licet non per se stent, ut substantiæ, sed inhæreant substantiis; tamen, quia substantive significantur, ideo termini sunt absoluti.

Dico 2. Connotativus est, qui ex suo modo tendendi significat rem alteri alligatam, cum qua unum terminum constituit, v. g. album, nigrum, quod significat habens albedinem, habens nigredinem, idest subjectum, v. g. parietem, & simul formam, idest albedinem, nigredinem, eidem parieti inhærentem significat. Relativus est, qui significat rem importantem aliam, seu dicentem ordinem ad aliam, cum qua tamen non faciat unum, v. g. inimicus, qui dicit ordinem ad illum, cui inimicatur, nec tamen facit unum cum eodem, ut facit unum paries cum albedine.

XVI. Dico 3. dividitur præterea terminus in Concretum, & Abstractum. Concretus est, qui significat rem compositam, seu quasi compositam, idest constātem ex partibus, vel quasi partibus, inter se aliquo modo distinctis: v. g. Album, Deus, Verum, Album, quia significat subjectum, idest parietem, & formam, idest albedinem, quæ realiter distinguuntur. Deus, quia significat Deitatem, & Personalitatem, quæ Ineffabiliter, seu virtualiter, seu formaliter ex natura rei, seu eminentialiter, seu realiter inæquate, seu alio modo distinguuntur, juxta varias Theologorum opiniones. Verum, quia hic terminus significat ens, quasi subjectum, & veritatem transcendentalem, quasi formam illi adjacentem, quæ distinguitur ab ipso ente per intellectum. Terminus abstractus est, qui significat partem, seu quasi partem alicujus ex prædictis compositis, ut ab altera separatam, v. g. Albedo, Veritas, Deitas. Ubi contendunt aliqui, & quidem communiter, solam formam, ut a subjecto separatam, dici posse terminum abstractum, non vero subjectum, ut separatam ab illa: quia proprie forma intelligitur esse id, quod abstrahitur: subjectum verò esse id, ex quo abstrahitur ipsa forma: ut, vice versa, subjectum intelligitur esse id, quod contrahitur: forma vero, in suo genere, esse id, quod contrahit subjectum, cui suo modo conjungitur.

## ARTICULUS VIII.

Nona, &amp; decima termini divisio.

XVII. **D**ico 1. dividitur in super terminus in collectivum, & in non collectivum. Collectivus, seu copulativus est, qui in recto plura significat, ad modum unius; adeoque non potest de illis prædicari singillatim, id est de singulis: v. g. Populus, Exercitus, Turba, Collegium. Non collectivus, seu non copulativus est, qui, vel non significat plura in recto, ut Petrus; vel, si plura, ita tamen significat, ut possit de singulis in recto prædicari: cuiusmodi est, homo, miles.

Dico 2. dividitur idem terminus in complexum, & incomplezum. Complexus est, cuius partes non sunt vera synonyma, sed diversum significant, & singulae separatae significant eodem modo, ac dum erant unitæ: v. g. Homo albus, Homo iustus. Incomplexus est, cuius partes, vel sunt synonymæ, & omnino idem significantes, vel separatae non significant eodem modo, ac dum erant unitæ: v. g. ensis, gladius, quæ sunt synonyma: magister, cuius partes, magister, separatae non significant: ita etiam se habet proconsul, circumferretur, cuius partes separatae, proprie non significant, cum sint dictiones syntagmæmaticæ, id est non significantiæ. Hujus generis etiam est hic terminus, res publica, quando significat communitatē, & dominus, namque ejus partes: res publica, & dominus, separatae non retinent eandem significationem. Notandum tamen, quod res publica, si significet rem, quæ sit publici, seu communitatis, est terminus complexus.

Dico 3. ex dictis constat facile responsio ad difficultatem illam, quam hoc loco proponit Oviedus: cum dicitur: Blictri prolutum auditur, hic est terminus complexus, & tamen vox, Blictri, solitarie sumpta, non significat: ergo falsa videtur definitio termini complexi, supra tradita: responsio enim est, vocem, Blictri, semper retinere significationem suam materialem, & impropriam, quam habet, significando sui ipsius sonum materialem; sive ponatur extra propositionem supra allatam, sive in illa; licet non habeat significationem ullam formalem, & propriam ex placito hominū, ut supra explicatum est.

A R.

ARTICULUS IX.

Undecima, & duodecima Termini divisio.

**XVIII.** Dico 1. Terminus dividitur etiam celeberrima divisione in Prædicamentalem, Transcendentalem, & Supertranscendentalem. Prædicamentalis est, qui pertinet ad determinatum rerum genus, seu prædicamentum ex decem a Philosopho assignatis. Illa sunt: substantia, quantitas, qualitas, relatio, ubi, quando, actio, passio, situs, & habitus. Itaque, quia hic terminus, equus, pertinet ad prædicamentum substantiæ; albedo, ad prædicamentum quantitatis; & termini prædicamentales nuncupantur.

Dico 2. Transcendentalis est, qui non pertinet ad determinatum rerum genus, & prædicamentum; sed per omnia transcendit, & divagatur; cuiusmodi sunt res, ens, unum, bonum, aliud, verum: qui omnes in illa trita voce, reubau, quæ omnium primas literas continet, ligari a Logicis solent, ne tyronibus memoria excidant. Supertranscendentalis est, qui, non solum per decem rerum prædicamenta, sed etiam ultra divagatur, atque transcendit, v. g. cognoscibile, nominabile, quæ etiam carentiis, immo & chimeris conveniunt.

Dico 3. Dividi etiam solet terminus in Finitum, & Infinitum, seu Infinitatum. Finitus est, qui significat quid res sit, v. g. Homo, Angelus. Infinitus, seu Infinitatus est, qui significat quid res non sit, v. g. non Homo, non Angelus: & dicitur infinitus, seu infinitatus, quia præbet occasionem intellectui progrediendi in infinitum, investigando quid non sit res, quam significat. Quælibet enim res ita est una, ut non sit infinita entia, & se distincta, possibilia. Hinc

Dico 4. Colligitur, particulam, Non, dupliciter sumi posse, negative scilicet, & infinitanter. Primo modo sumitur, cum aliquid negat: & tunc cadit supra verbum, seu copulam, in propositione, quam negativam constituit, v. g. Petrus non est equus. Secundo modo, cum significat afficiendo, non verbum, sed prædicatum propositionis, qui sit terminus infinitus, modo superius explicato: & tunc proprie propositio non est negativa, sed infinita, seu infinitata, seu, ut alii loquuntur, indefinita, v. g. Petrus est non equus.

A R.

## ARTICULUS. X.

Decimatertia, quarta, quinta, &amp; sexta Termini divisio.

**XIX.** Dico 1. Dividitur terminus in Primæ, & Secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui rem significat, secundum esse, quod habet independentem ab intellectu, v. g. Angelus, Homo. Terminus secundæ intentionis est, qui rem significat, secundum esse, seu denominationem, quam habet ab intellectu, v. g. cognitum, subiectum, prædicatum.

Dico 2. Dividitur terminus in Affirmativum, & non Affirmativum. Affirmativus est, qui rem positivam significat, v. g. Deus, Homo. Non-affirmativus est, qui rem non positivam significat, sed carentiam, seu defectum rei, v. g. tenebræ. Terminus non Affirmativus subdividitur in privativum, & negativum. Privativus est, qui significat defectum, seu carentiam formæ in subiecto capaci, quæ carentia dicitur privatio, v. g. cæcitas respectu hominis: quia ita caret visu, ut ejus sit capax, adeoque dicitur privatus visu; & Tenebræ respectu aeris: quia aer ita caret luce, ut ejus habeat capacitatem: adeoque noctu dicitur privatus luce. Negativus est, qui significat non esse, seu carentiam in subiecto incapaci, quæ dicitur negatio, v. g. carentia visionis formalis in lapide. Dixi, visionis formalis, quia lapis est incapax essentialiter recipiendi denominationē Videntis: unde, etiam si Deus miraculose uniret cum lapide aliquam visionem, (ut quidem potest) non tamen ab ea denominaretur lapis videns, sed habens visionem.

**XX.** Dico 3. Dividitur tandem terminus in Pertinentem, & Impertinentem. Pertinens terminus est, qui, vel infert alium, vel illum excludit, & e converso. Unde equus, & animal sunt termini pertinentes inter se, quia equus infert animal: si enim est equus, animal sit oportet; rationale, & irrationale sunt etiam inter se termini pertinentes, quia sibi mutuo repugnant, & ad invicem excluduntur, ut patet. Impertinens terminus est, qui, nec infert alium, neque illum excludit. Unde Logicus, v. g. & Musicus dicuntur inter se termini impertinentes: quia ex eo, quod sit logicus, non infertur, ergo est musicus: neque, ergo non est musicus; sicuti viceversa, ex eo, quod aliquis sit musicus, non infertur, ergo est logicus: vel, ergo non est logicus; quippe indifferenter, seu præcise se habet logicus, ut sit musicus, aut non musicus: & indifferenter, seu præcise se habet musicus, ut sit logicus, aut non logicus.

*Ant. Forti.*

D E

DE PROPRIETATIBUS TERMINI.

*Primo, de Suppositione. Secundo, de Ascensu. Tertio, de Descensu,  
Quarto, de Statu. Quinto, de Ampliatione.  
Sexto, de Restrictione. Septimo, de Alienatione.  
Octavo, de Diminutione. Nono, de  
Appellatione.*

A R T I C U L U S X I.

De suppositione Termini.

XXI. **D**ico 1. Suppositio est prima Termini proprietas. Quandoquidem Suppositio est Acceptio Termini significantis pro re, quam per se, & directe significat, pro qua Terminus dicitur supponere, aut, ut alii loquuntur, supponi, substitui, subrogari, ad modum signi, & imaginis, quæ subrogatur pro Deipara, vel pro Cæsare: exemplum sit hæc vox, Petrus, quæ substituitur, & supponit loco talis hominis, qui appellatur hoc nomine.

Dico 2. Quando propositio est falsa, non ratione disconvenientiae prædicati cum subiecto, sed ex defectu subiecti, quod virtualiter affirmatur in illa; tunc dicitur propositio, de subiecto non supponente, seu de subiecto non supposito, ut dicendum contendunt, qui terminum supponi potius, quam supponere, pro re, quam significat, dici volunt apud Sotum. Itaque si quis dixerit, v. g. Antichristus est albus: neganda erit hæc propositio, tanquam de subiecto non supponente, vel non supposito: nam huiusmodi propositio facit hunc sensum: Antichristus existit, & est albus: nisi enim quis sit existens, non potest esse albus, aut niger. Antichristus autem existens defacto nullus est.

XXII. Dico 3. Multifariam dividitur Termini suppositio. Enimvero alia est Formalis, alia Materialis. Formalis suppositio est usus, seu acceptio Termini, pro re a se distincta, quam formaliter significat, v. g. homo, quando accipitur pro animali rationali. Materialis suppositio est acceptio Termini pro seipso, idest pro ipsomet vocabulo materialiter sumpto: v. g. quando dicitur, homo est vox dissyllaba. Suppositio formalis subdividitur in communem, & singularem. Suppositio communis est usus termini communis, nullo affecti signo particularitatis, v. g. equus

*Phil. Neg. Summ.*

C

est



est animal. Singularis suppositio est usus termini singularis, vel particularis, v.g. Bucephalus est equus, vel hic equus est animal.

XXIII. Dico 4. Suppositio communis dividitur iterum in Completam, & Incompletam. Completa est, cum terminus communis supponit pro singulis individuis suorum generum, v.g. omne animal est sensitivum. Incompleta est, cum terminus communis, supponit quidem pro singulis generibus, seu speciebus; non autem pro singulis individuis, v. g. omne animal fuit in arca Noë: sensus enim est, quod in arca Noë aliquod individuum fuerit ex singulis speciebus animalium principalioribus.

Dico 5. Suppositio communis dividi iterum solet in copulativam, & distributivam. Copulativa est, quando terminus communis supponit pro omnibus inferioribus copulative acceptis, & in recto; ita ut non possit de singulis prædicari cum veritate, v. g. cum dicitur: Apostoli sunt duodecim. Distributiva suppositio est usus termini communis, ita, ut possit de singulis prædicari, v.g. omnis homo est animal. Potest enim dici cum veritate: Petrus est animal: Paulus est animal, & sic de singulis.

Dico 6. Suppositio communis dividi etiam potest in Determinatam, & Confusam. Determinata est, in qua terminus communis, sumptus pro aliquo singulari, significat rem in se, & ex parte objecti absolute determinatam; sed indeterminatam ex parte modi significandi, v. g. quidam discipulus loquitur. Confusa, seu, ut alii loquuntur, vaga suppositio est, in qua terminus communis significat aliquod singulare absolute indeterminatum, tum ex parte objecti, tum ex parte modi significandi, v. g. aliquis oculus est necessarius ad videndum: aliqua navis est necessaria ad navigandam. Ut videtis, in prima suppositione significatur aliquod actuale exercitium, scilicet loquutio, quæ nequit a parte rei stare sine subiecto determinato. In secunda vero suppositione, solum significatur pura necessitas vaga, idest conditionata cujuslibet oculi ad videndum, & cujuslibet navis ad navigandum; ex suppositione, quod alter oculus, & alix naves deficiant, seu haberi nequeant, ut loco suo melius explicabitur, tum in logica, tum etiam alibi, præsertim in theologia, ubi de necessitate vaga assentiendi alicui auxilio divinæ gratiæ, sermo erit.

XXIV. Dico 7. Dividitur præterea suppositio in simplicem, & personalem: cujus divisionis explicatio varia est, valde controversa apud Doctores, ut videre est apud Arriag. in *sammulis* disput.

*disput. 1. de terminis sect. 6. subsect. 3. a num. 36. et subsect. 4.* Jam, juxta communio<sup>rem</sup> explicandi modum, Simplex suppositio est, in qua subiectum significatur, veluti reduplicative, & reflexe: seu secundo intentionaliter sumptum, idest, ut terminus secundæ intentionis: & secundum aliquam denominationem, quam recipit ab intellectu, v. g. animal est genus: Petrus est subiectum: homo est prædicatum. Personalis suppositio est, in qua subiectum sumitur signate, directe, seu, ut terminus primæ intentionis, idest, prout se habet independenter ab intellectu, v. g. Petrus est homo.

Dico 8. Suppositio dividitur iterum in propriam, & impro-  
priam. Propria est, cum terminus usurpatur pro eo, ad quod  
significandum per se, & directe est institutus, v. g. fulmen, pro  
ætheris sagitta: leo, pro animali rugibili. Impropria est, cum  
terminus usurpatur pro re, quam non proprie, & per se, sed  
improprie, metaphorice, aut per accidens significat, v. g. elo-  
quentiæ fulmen, pro Pericle: Leo de tribu Juda, pro Christo.

Dico 9. Addi solet suppositio accommodata, seu in sensu accom-  
modo, cum scilicet significantur omnia, eo tamen sensu, ut ne-  
cessario aliquod excludatur, v. g. Cælum omnia tegit: Petrus  
est omnium discipulorum studiosissimus: Deus est ens omnium  
optimum: subintelligitur enim, præter seipsum; cum nec Cæ-  
lum seipsum contegat, nec Petrus seipsum superet studio, nec  
Deus seipsum perfectione.

## A R T I C U L U S XII.

De Ascensu, Descensu, Statu, Ampliatione,  
Restrictione Terminum.

XXV. **D**ico 1. Ascensus est, cum fit progressus, veluti ascen-  
dendo ab inferioribus termini communis, sufficien-  
ter enumeratis, ad eundem terminum communem, v. g. hic di-  
scipulus est studiosus: ille est etiam studiosus, & sic de singulis:  
ergo omnes discipuli sunt studiosi. Descensus est, cum fit pro-  
gressus, veluti descendendo a termino communi ad inferiora,  
v. g. omnis discipulus est studiosus: ergo hic discipulus est stu-  
diosus, & ille est etiam studiosus, & sic de cæteris. Jam

Dico 2. Tam ascensus, quam descensus quadruplex est: pri-  
mo

mo distributivus, seu copulativus: secundo copulatus: tertio disjunctivus: quarto disjunctus. Primo descensus distributivus, seu copulativus correspondet suppositioni distributivæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente distributive, ad singula inferiora, v. g. homo est rationalis: ergo Petrus est rationalis: Paulus est rationalis, & sic de singulis. Vocatur etiam copulativus, quia per ipsum, veluti copulantur plures propositiones. Secundo descensus copulatus correspondet propositioni copulativæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente copulative, ad inferiora copulative; idest simul sumpta, v. g. elementa sunt quatuor: ergo aqua, aer, ignis, & terra sunt quatuor. Tertio descensus disjunctivus correspondet suppositioni determinatæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente determinate, ad singularia singillatim, sed disjunctive, idest adhibita particula disjunctiva, v. g. aliquis discipulus loquitur: ergo vel Petrus, vel Paulus, vel Marcellus loquitur. Quarto descensus disjunctus correspondet suppositioni confusæ, & est, cum fit progressus a termino communi, supponente confuse, ad singularia, sufficienter enumerata, disjunctive accepta, v. g. aliqua navis est necessaria ad navigandum: ergo vel hæc, vel illa, & sic de singulis.

Quæ diximus de descensu, proportionem servata, intelliguntur de ascensu: puta inverso ordine; adeo, ut, quæ erat conclusio in descensu, fiat præmissa in ascensu.

XXVI. Dico 3. Status est suppositio termini pro suis inferioribus, existentibus tempore importato per copulā, v. g. omnis homo currit, idest, omnis homo est currens: quæ propositio loquitur de hominibus defuncto existentibus.

Ampliatio est, veluti extensio quædam minoris significationis ad majorem: fit, quando subiectum extenditur in ordine ad inferiora significanda; & supponit, non solum pro existentibus, sed etiam pro præteritis, futuris, & possibilibus, v. g. homo est rationalis. Potest etiam fieri Ampliatio, cum subiectum non extenditur ad significanda plura inferiora, sed ad consignificanda plura tempora, v. g. cæci vident, idest illi, qui alio tempore cæcitate laborabant, nunc vident. Hæc tamen ab aliis termini distractio nuncupatur.

Restriccio est limitatio amplioris, & majoris significationis in minorem: v. g. primo, si addatur subiecto aliquod adjectivum

re-

restringens, ut, discipulus studiosus commendabitur: vel secundo, relativum, ut, qui studuerit, commendabitur: vel tertio, aliquod obliquum, ut, servus Dei commendabitur: vel quarto, substantivum particulare, limitans subjectum aliqui commune, ut, Urbs Panormi est felix.

### A R T I C U L U S XIII.

De Alienatione, Diminutione, Appellatione  
Termini.

XXVII. **D**ico 1. Alienatio, est translatio nominis à propria significatione in impropriam, & alienam, v. g. equus, qui significat animal hinnibile, cum transfertur ad significandum equum pictum. Ubi Tò, pictus, dicitur additum distrahens; equus vero, terminus distractus. Alienatio autem, si fiat per additum determinans ipsum terminum non ad rem existentem, aut possibilem, sed ad chimeram; dicitur remotio: & tunc additum appellatur additum removens; & subjectum, cui additur, dicitur terminus remotus, v. g. homo equus hinniret.

Diminutio est, quando terminus, ratione alicujus additi, significat secundum quid, id, quod aliqui integre, simpliciterque significaret, v. g. Æthiops est albus, secundum dentes.

Appellatio est applicatio significationis formalis alicujus termini supra alterum, quem afficit, v. g. Aristoteles doctus, vel Julius Cæsar, vel, Logicus musicus: doctus, dicitur appellare Aristotelem, id est cadere supra Aristotelem. Terminus autem adhærens esse solet adjectivum, vel quasi adjectivum, ut, doctus; & dicitur terminus appellans: terminus vero, supra quem cadit, esse solet substantivum, seu quasi substantivum, ut Aristoteles; & dicitur appellatus. Dixi, adjectivum, seu quasi adjectivum: substantivum, seu quasi substantivum: quia in primo exemplo allato, Tò, Cæsar, sumitur quasi adjectivum; in secundo, Tò, logicus, quasi substantivum.

Dico 2. Potest quandoque vox aliqua appellare subjectum in aliqua propositione, v. g. Petrus bonus est philosophus; & tunc dicitur appellatio materialis: & sensus non est, quod Petrus sit philosophus bonus, sed quod Petrus aliqui bonus, sit etiam philosophus: quæ bonitas dicitur materialiter, & impertinenter  
se

se habere in ordine ad philosophiam : adeoque ad hoc , ut Petrus reputetur bonus , aut malus philosophus : hinc tritum illud , musicus ædificat . Aliquando potest appellare prædicatum , v.g. Petrus est bonus philosophus : & tunc dicitur appellatio formalis : & sensus est , Petrum esse philosophum bonum , idest insignem , philosophia . Hæc quoad Summulam primam , quæ fuit de Termino : deinceps quoad Summulam secundam , quæ erit

## DISPUTATIO II.

### De Propositione.

*Primo , in Universum . Secundo , de Inesse . Tertio , Modali . Quarto , Definitiva . Quinto , Divisiva .*

## ARTICULUS I.

### De Propositione in Universum.

Quid sit , & quotuplex Propositio .

- I. **D**ico 1. Propositio in universum est oratio enuncians aliquid de aliquo , v.g. Petrus est homo . Jam , ut notat Hurtadus , Arriaga , & alii communiter , oratio est vox significativa verbo , & nomine inter se congruentibus : si enim illa non congruant inter se , proprie non est oratio : ut si quis diceret , ego amabunt te , proprie & per se nihil significaret : perinde ac si diceret , ego Blictri ; aut , Blictri , Blictri ; licet facile esset viro docto , inde deducere , quid ille vellet fortasse significare , scilicet , ego amabo . Nomen autem , ex Aristotele , dicitur vox significativa ad placitum sine tempore ; cujus nulla pars separata , significat , finita , & recta : sed quia plura nomina constant partibus actu significantibus , ut Respublica ; tunc , quia casus omnes obliqui , etiam sunt proprie nomina , ideo magis expedite , ex Antonio Nebrissensi nomen est , vox declinata per casus . Videtur bona definitio , quia competit omni , solique definito , nec ullo contra leges bonæ definitionis vitio peccat . Verbum definitur , ex Aristotele , vox significativa cum tempore , ad placitum : cujus nulla pars per se significat : finita , & recta : & est eorum , quæ dicuntur nota . Sed quia hæc definitio Aristotelica similes patitur difficultates , ac definitio nominis : esseque videtur subobscura , clarius a Nebrissensi verbum dicitur : vox conjugata per tempora . Propositio dividitur multifariam . Pri-

*Prima divisio Propositionis.*

II. Dico 2. Dividitur propositio ratione diversae considerationis, in mentalem, objectivam, vocalem, & scriptam. Mentalis propositio est enunciatio formalis, idest ipsa intellectio, seu iudicium enuncians unum de aliquo. Objectiva, obiectum dictae propositionis. Vocalis, voces ipsae dictae propositioni, tanquam signa vocalia, correspondentes. Scripta, eadem propositio literis, signisve similibus, aut æquivalentibus exarata. Breviter, ipsamet propositio considerari potest primo quoad entitatem: secundo quoad obiectum: tertio quoad voces: quarto quoad scripturam, aut æquivalentia signa, quibus exprimitur. Primo modo considerata, dicitur propositio mentalis: secundo modo, objectiva: tertio modo, vocalis: quarto, scripta, seu quasi scripta.

*Secunda divisio Propositionis.*

Dico 3. Dividitur propositio ratione materię in necessariam, contingentem, possibilem, & impossibilem. Necessaria dicitur, cuius termini necessariam habent connexionem, v. g. homo est animal rationale. Contingens, cuius termini contingentem, idest non necessariam habent connexionem, v. g. Petrus est albus. Possibilis, cuius termini, licet actu non connectantur, possunt tamen habere connexionem, v. g. (loquendo de Petro non actu currente) Petrus est currens. Impossibilis, cuius inter terminos impossibilis est connexio, v. g. Petrus est lapis. Dicitur hæc Divisio ratione materię, scilicet ratione terminorum, seu obiecti, quibus propositio mentalis, vocalis, scripta intelligitur advenire, aut forma quædam extrinseca.

*Tertia divisio Propositionis.*

Dico 4. Dividitur propositio ratione formę in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, qua affirmatur aliquid de aliquo, v. g. Petrus est homo: & hæc appellatur etiam compositio, quia per ipsam intellectus veluti componit, & coniungit subiectum cum predicato. Appellatur etiam assensus, quia per ipsam intellectus veluti assentitur, & annuit affirmando: prosecutio, quia intellectus affirmando veluti adhæret obiecto, illudque prosequitur, ut voluntas per amorem. Negativa est, qua aliquid de aliquo negatur, v. g. Petrus non est lapis: & hæc appellari etiam solent divisio, quia intellectus dividit, & sejungit unum ab alio, Petrum minus a lapide appellari etiam solet dissensus, & fuga,

ga, quia intellectus per negationem quasi dissentitur, & refugit ab objecto, ut voluntas per odium. Dicitur hæc divisio ratione formæ, quia affirmatio, aut negatio intelligitur advenire objecto affirmato, aut negato, ut subjecto, tanquam forma quædam extrinseca: ad eum modum, quo amor, & odium objecto amato, vel odio habito.

*Quarta divisio Propositionis.*

III. Dico 5. Dividitur propositio ratione quantitatis, in universalem, particularem, indefinitam, & singularem. Universalis est, quæ continet subjectum commune, affectum signo universalitatis, v. g. omnis homo est animal: nullus homo est lapis. Particularis est, quæ subjectum continet commune affectum signo particularitatis, v. g. aliquis homo est albus: aliquis homo non est albus. Indefinita est, quæ subjectum continet commune nullo affectum signo: quæ quidem propositio, si sit in materia necessaria, æquivalet propositioni universali, v. g. homo est animal rationale; subintelligitur enim omnis homo: si sit in materia contingente, æquivalet particulari, v. g. homo est albus: sensus enim est: aliquis homo est albus. Singularis propositio est, quæ subjectum continet singulare, v. g. Petrus est albus: vel subjectum commune, affectum signo demonstrativo hic, ille, v. g. hic homo est albus: ille homo est niger. Dicitur hæc divisio ratione quantitatis, quia per universalitatem, particularitatem, singularitatem, propositio quasi extenditur, aut restringitur, scilicet ad plura, vel pauciora: ad multa, vel ad unum.

*Quinta divisio Propositionis.*

Dico 6. Dividitur propositio ratione qualitatis in veram, & falsam. Vera est, quæ conformatur objecto, v. g. Petrus est homo: hæc enim propositio Petrum repræsentat, ut est in se. Falsa propositio est, quæ difformatur objecto, illud repræsentans aliter, ac est in se, v. g. Petrus est lapis. Dicitur hæc divisio ratione qualitatis: quia, ut honestas, aut inhonestas sunt actuum humanorum voluntatis perfectio, aut imperfectio, unde reputantur moraliter esse boni, vel mali; ita veritas, aut falsitas sunt actuum intellectualium, idest iudiciorum, perfectio, aut imperfectio, unde illi dicuntur esse logice boni, vel mali.

*Sexta divisio Propositionis.*

IV. Dico 7. Dividitur propositio ratione tendentiæ suæ in simplicem, & compositam. Simplex est, quæ unica enunciatione

*Ant. Forti.*

ne

ne absolvitur, & hæc dicitur etiam propositio categorica, v. g. homo est animal. Composita propositio est, quæ multiplici enunciatione coalescit v. g. Deus daret promissum præmium, si homo recte operaretur. Dicitur hæc divisio ratione tendentiæ, idest modi tendendi, quia desumitur ex modo, quo una eadunque intellectio, idest iudicium, tendit in suum objectum; scilicet, vel simpliciter, vel æquivalendo pluribus iudiciis, quibus illa objecta possent enunciari hoc, vel illo diverso modo tendendi.

*Septima divisio Propositionis.*

Dico 8. Propositio simplex subdividitur in propositionem, de secundo adjacente, & de tertio adjacente. Dicitur propositio de secundo adjacente, quæ constat subiecto, & verbo, involvente prædicatum, v. g. Petrus scribit, idest Petrus est scribens. Dicitur de tertio adjacente, quæ constat subiecto, copula, & prædicato expressis, v. g. Petrus est homo.

*Octava divisio Propositionis.*

Dico 9. Propositio simplex subdividitur etiam in propositionem de inesse, & in propositionem modalem. Propositio de inesse est, quæ simpliciter enunciat prædicatum esse, vel non esse in subiecto, v. g. Petrus est homo: equus non est homo. Modalis propositio est, quæ ulterius enunciat modum, quo prædicatum inest, vel non inest subiecto. Hic autem modus quadruplex communiter a logicis recensetur, videlicet: primo necesse: secundo impossibile: tertio contingens: quarto possibile, quanvis hi duo ultimi modi ab aliquibus confundantur. Modi prædicti adhiberi solent dupliciter, vel scilicet adverbialiter, vel verbaliter. Adverbialiter adhibentur cum dicitur, v. g. Petrus necessario est animal: impossibiliter est arbor: contingenter est albus: possibiliter niger. Verbaliter usurpantur cum dicitur, v. g. Petrum esse animal necesse est: Petrum esse arborem impossibile est: Petrum esse album contingens: Petrum esse nigrum possibile est. In quibus, atque id genus propositionibus, valde observari oportet aliud esse dictum, aliud esse modum. Dictum enim est, quod se tenet ex parte subiecti, v. g. Petrum esse animal, esse arborem, esse album, esse nigrum: modus vero est particula illa modificans, v. g. necesse, impossibile, contingens, possibile.

*Nona divisio Propositionis.*

V. Dico 10. Ad propositionem modalem reducitur propositio exponibilis, quæ ratione multiplicis sensus, quem facit ob-

*Phil. Neg. Summ.*

D

ali-



aliquam dictionem, seu adverbialem, five nominalem; talis est, ut, nisi resolvatur in plures propositiones, per quas exponatur; intelligi commode nequeat. Jam propositio exponibilis duplex est, exclusiva una, exceptiva altera. Exclusiva dicitur, quæ particulam habet excludentem a termino, supra quem cadit, omne id, quod ab illo distinguitur: cuiusmodi sunt particulae illæ, tantum, solum, duntaxat, solus. Exceptiva est, quæ dictionem, seu signum aliquod continet exceptivum, excipiens rem, quæ alioqui necessario, contineri deberet sub termino communi: cuiusmodi sunt particulae illæ, præter, nisi: quarum propositionum sensus, & vis, ut recte percipiatur, notandum semper, supra quem terminum cadat particula exclusiva, vel exceptiva: longè enim diversum est dicere: tantum Deus est omnipotens, quod quidem verissimum est; ac dicere: Deus est omnipotens tantum, idest non habet aliud attributum, præter omnipotentiam, quod quidem falsissimum est.

*Decima divisio Propositionis.*

Dico 11. Propositio composita dividitur in copulativam, disjunctivam, causalem, rationalem, & conditionalem. Copulativa propositio est, quæ plures enunciationes habet ligatas conjunctione, v. g. homo dormit, & canis latrat: & hæc dicitur etiam ab aliquibus propositio conjunctiva. Disjunctiva est, quæ plures enunciationes habet, intercedente particula disjunctiva, seu junctas, v. g. vel Author naturæ patitur, vel mundi machinam dissolvitur. Causalis est, quæ plures enunciationes habet, particula causali conjunctas, v. g. dies est, quia sol est in horizonte. Rationalis, quæ plures enunciationes habet connexas particula rationali, seu illativa, v. g. sidera scintillant, ideo noctem adesse novimus. Conditionalis est hypothetica, quæ plures enunciationes habet, intercedente conditione, seu particula, si, v. g. homo salvabitur, si recte operetur.

*Undecima divisio Propositionis.*

Dico 12. Dividitur propositio in universum ratione muneris, quod ipsa præstat, in definitivam, & divisivam. Definitiva est, quæ rei definitionem continet; divisiva, quæ divisionem; scilicet definitiva dicitur definitio, divisiva divisio nuncupatur objecti sui. Dicitur hæc divisio, ratione muneris, quia munus præcipuum propositionis est rem definire, illamq; si partes habet, dividere.

A R-

A R T I C U L U S II.

Solvuntur Objectiones.

VI. **O**bjicies 1. contra primam assertionem : melior est illa definitio , quam alii tradunt dicendo : oratio est vox significativa ad placitum , cujus partes etiam per se sunt significativæ : ergo nostra definitio videtur reiicienda.

Resp. Nego antecedens : quia illa definitio confundit orationem cum termino complexo , ut patet ex dictis.

Objicies 2. Ex Oviedo contra eandem assertionem : In hac propositione , qua dicitur : homo currit est propositio , ly , homo currit , est terminus complexus ; & tamen est vox significativa , constans nomine , & verbo , inter se congruentibus : ergo nostra definitio potest etiam competere termino complexo.

Resp. Distinguo antecedens : est vox significativa supponens materialiter , concedo : formaliter , nego antecedens , & consequentiã. In allata propositione ly , homo currit , sumitur materialiter , idest pro ipsis vocibus , non autem formaliter , pro re distincta , quam significant ; adeoque proprie dictæ voces non sunt hic , & nunc absolute , & simpliciter significativæ : quando enim dicitur aliqua vox absolute , & simpliciter significativa , sensus est de significatione formali , quæ est propria , & rigorosa significatio , & suppositio , ut supra diximus : sicuti quando dicitur absolute , & simpliciter , homo , sensus est de homine proprie accepto , non autem de homine picto , qui non est , nec dicitur proprie , & rigoroze homo , sed minus proprie , & cum addito , pictus.

Objicies 3. Contra eandem assertionem : cum quis dicit , v. g. si equus curreret : hæc , vel esset oratio ; vel non : neutrum dici potest : ergo.

Resp. Nego minorem : & dico , quod esset oratio , licet imperfecta . Oratio enim duplex esse potest , perfecta nimirum , & imperfecta . Perfecta , quæ constat verbo perfecte , & complete significante . Imperfecta , quæ non complete significat , ut in exemplo allato , si equus curreret : hic enim sensus remanet suspensus , cum aliquid aliud expectet , ut compleatur , & absolvatur.

VII. Objicies 4. Contra eandem assertionem : aliqua nomina , v. g. gelu , veru , & similia non declinantur per casus : ergo falsum est , nomen esse vocem declinatam per casus.

D 2

Resp.

Resp. Distinguo antecedens : non declinantur per casus habentes diversam terminationem , concedo : habentes eandem terminationem , nego antecedens , & consequentiam . Nomina prædicta , & similia , quæ vulgus Grammaticorum vocat indeclinabilia , proprie indeclinabilia non sunt : habent enim suos casus , licet eodem modo desinentes , & sine terminationis diversitate .

Obijcies 5. contra eandem assertionem : etiam Blictri , quin & voces omnes possunt declinari per casus : ergo juxta nostram definitionem , omnis vox est nomen : ergo nostra definitio non competit soli definito ; adeoque est falsa . Antecedens probatur : quia Blictri potest ita declinari : Blictri est terminus non significativus ; en casum rectum , idest nominativum . Præterea : nulla significatio Blictri ; en genitivum . Insuper , nulla Blictri data est significatio ; en dativum , & sic de aliis casibus , & vocibus : ergo .

Resp. Nego antecedens : ad ejus probationem , nego iterum antecedens , quia in exemplis allatis , proprie non declinatur Blictri ; sed quod illi necessario conjunctum subintelligitur , nempe , vox ; adeo ut sensus sit : hæc vox Blictri est terminus non significativus : hujus vocis Blictri nulla est significatio : huic voci Blictri nulla data est significatio . Gelu tamen , veru , & similia nomina , etiam nulla voce subintellecta , possunt commode inflecti per casus , ut dictum est ad superiorem objectionem .

Obijcies 6. Contra eandem assertionem : etiam hæc nomina , hora , hebdomada , mensis , annus , prandium , idest comestio meridiana , cæna , idest comestio vespertina , significant tempus ; & tamen non sunt verba : ergo falsum est verbum definiri , vocem conjugatam per tempora .

Resp. Distinguo antecedens : significant tempus connotative , transeat : conjugative , nego antecedens , & consequentiam . Prædicta nomina significant aliquo modo , idest connotant , non vero proprie consignant tempus : siquidem non conjugantur cum tempore , quia per eadem non affirmatur , nec negatur tempus existentia illarum rerum : utrum scilicet illæ defacto existant , extiterint , vel sint futuræ . Verbum autem proprie , & per se significat , utrum res existat , extiterit , aut exulet .

ARTICULUS III.

De Propositione de Inesse.

*Primo, quoad Formam. Secundo, quoad Quantitatem.*

*Tertio, quoad Oppositionem. Quarto, quoad Qualitatem.*

*Quinto, quoad Equipollentiam. Sexto, quoad Conversionem.*

*Quoad formam propositionis de Inesse.*

VIII. **D**ico 1. Propositionem de Inesse, si fuerit simplex, fieri affirmativam, vel negativam ratione copulae: si nimirum copula afficitur particula, non, aut simili, propositionem esse negativam: non vero ratione praedicati, aut subiecti: quia si particula non afficiat subiectum, aut praedicatum, tunc, ut supra innuimus, propositio erit affirmativa. Itaque affirmativa est propositio illa: Petrus est animal: Petrus est non lapis: non homo est non Petrus. Negativa est propositio illa: Petrus non est lapis: si vero propositio de inesse fuerit composita, fieri affirmativam, aut negativam non ratione propositionum, quas includit, sed ex affirmatione, vel negatione particulae illius, quae dictas propositiones suo modo connectit. Itaque affirmativa erit haec propositio, & Petrus non dormit, & canis non latrat: Negativa erit illa: non & Petrus dormit, & canis latrat.

*Quoad quantitatem propositionis de Inesse.*

Dico 2. Quantitas propositionis de inesse desumitur a subiecto, & quidem secundum id, quod importatur in recto, non in obliquo; unde particularis est reputanda propositio illa: Bucephalus est omnis equus; sicut haec alia: omnis hominis equus est albus: universalis vero illa: omnes milites sunt unus exercitus. Signum negativum afficiens subiectum particulare habet quandoque vim reddendi propositionem universalem negativam, ut nullus hominis equus currit.


*Quoad oppositionem propositionis de Inesse.*

IX. Dico 3. Oppositio propositionum de inesse est duarum propositionum de utroque extremo eodem ordine participantium, secundum quantitatem, vel qualitatem mutua repugnantia. Itaque oppositio quadruplex est, primo nimirum contraria, secundo contradictoria, tertio subcontraria, quarto subalterna. Contraria

traria oppositio est, quæ intercedit inter duas propositiones, quarum quælibet per affirmationem, aut negationem, pugnans cum altera, plus assert, quam requireretur ad falsificationem illius. Hinc contrarie opponuntur propositio universalis affirmativa, v. g. *omnis homo est animal*, & hæc propositio universalis negativa: *nullus homo est animal*: quia ad falsificandam illam propositionem universalem affirmativam, sat esset, si aliqui homines non currerent, immo sat esset, si unus non curreret. Contradictoria oppositio est, quæ intercedit inter duas propositiones, quarum utralibet per affirmationem, aut negationem, pugnans cum altera, tantum assert, quantum præcise requiritur ad falsificationem illius: hinc contradictorie opponuntur propositio universalis affirmativa, v. g. *omnis homo est animal*, & hæc propositio particularis negativa: *aliquis, nempe unus homo non est animal*. Subcontraria oppositio est, quæ intercedit inter duas propositiones particulares, quarum una sit affirmativa, altera negativa, v. g. *aliquis homo est animal*: *aliquis homo non est animal*. Subalterna oppositio est, quæ intercedit inter duas propositiones ambas affirmativas, vel positivas, quarum una sit universalis, altera particularis, v. g. *omnis homo est animal*, *aliquis homo est animal*. Quarum duarum propositionum universalis vocatur a Summulistis subalternans: particularis vero vocatur subalternata.

X. Dico 4. Notandum, ex Aristotele, quod hæc duæ postremæ oppositiones proprie, & rigoroſe veræ oppositiones, seu contrarietates non sunt, sed verbales, & ad summum relativæ: subcontrariæ enim propositiones non pugnant inter se proprie, & rigoroſe, quia non sunt in rigore de eodem subjecto; neque subalternæ, quia propositio particularis proprie, & rigoroſe non contradicit propositioni universali, sub qua continetur, & a qua virtualiter affirmatur: sunt nihilominus inter se correlativæ, quæ ut melius memoriæ retineri possint, subijci pro tyronibus solet.

Figura Quantitatis, & Oppositionis Propositionum  
de Inesse.



*Quoad qualitatem propositionis de Inesse.*

XI. Dico 5. Qualitas propositionis veritas, & falsitas reputatur. Hanc aliqui cum Fonseca qualitatem propositionis accidentalem vocant, ad distinctionem affirmationis, & negationis, quam iidem propositionis qualitatem essentialem appellant. Jam quoad veritatem, & falsitatem propositionis, illæ sunt observationes principaliores. Primo propositiones contrariæ in nulla materia possunt esse simul veræ, v.g. *omnis discipulus scribit, nullus discipulus scribit*. In materia contingente possunt esse ambæ falsæ, v.g. *omnis discipulus scribit, nullus discipulus scribit*; potest enim accidere casus, ut aliqui scribant, alii vero non scribant; adeoque potest falsificari, tum *omnis*, tum *nullus*. Secundo ex duabus propositionibus contradictoriis necessario una debet esse vera, altera falsa, v.g. si est vera, *omnis discipulus scribit*, implicat esse veram, *aliquis discipulus non scribit*, aut e converso. Tercio propositiones subcontrariæ non possunt esse ambæ falsæ, v.g. si est falsa hæc, *aliquis discipulus scribit*, implicat non esse veram, adeoque implicat esse falsam etiam hanc, *aliquis discipulus non scribit*; quia idem non potest simul esse, & non esse. Solum in materia contingente possunt esse ambæ veræ, v.g. *aliquis discipulus scribit*; &, *aliquis discipulus non scribit*; puta alius

diversus ab eo, qui scribit. Quarto si propositio subalternans sit vera, vera erit subalternata: quia, v. g. si est vera hæc: *omnis discipulus scribit: omnis homo est animal*; implicat, non esse veram etiam hanc: *aliquis discipulus scribit: aliquis homo est animal*: siquidem particularia continentur in universali. Si vero subalternata sit falsa, falsa etiam erit subalternans, quia v. g. si est falsa hæc, *aliquis discipulus scribit*, implicat non esse falsam illam universalem, *omnis discipulus scribit*, siquidem ad falsificandum *Tò*, *omnis*, sufficit, *aliquis non*. In materia necessaria, & remota, si subalternata sit vera, vera etiam erit subalternans: si subalternans sit falsa, falsa etiam erit subalternata, quia in materia necessaria, utpote essentiali, quidquid competit toti speciei, aut non competit; competit etiam, aut non competit cuilibet individuo, ut cuilibet homini esse animal, non esse lapidem.

Quinto quoad veritatem, & falsitatem propositionis disjunctivæ, varia sunt Doctorum placita. Veteres ad veritatem propositionis disjunctivæ requirebant, ut una tantum pars esset vera; ita ut particula, *vel*, sensum faceret, *tantum*, quod si neutra, vel utraque pars disjuncti esset vera, falsam propositionem disjunctivam reputabant. Unde si quis diceret, *vel Petrus, vel Paulus scribit*: si neuter, sive uterque scriberet, falsam propositionem illam esse contendebant. Recentiores cum Arriaga volunt, propositionem disjunctivam esse quidem falsam, si utraque pars disjuncti, falsa sit: esse tamen veram, etiam si utraque pars disjuncti verificetur; ita, ut particula, *vel*, sensum faciat, *ad minus*. Unde, per hos Autores, propositio disjunctiva supra relata vera est, etiam utroque scribente, tum scilicet Petro, tum Paulo: ut patet ex Evangelio *Matth. 18. 20.* cum dicitur, *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Equidem cum Toletus, Fonseca, Casilio, aliisque dicerem, Veteres considerasse sensum disjunctionis, qui talis, proprius, & rigorosus, ut patet ex ipso nomine; nam disjunctio videtur disjungere, idest habere vim excludendi ex partibus disjuncti unam, & affirmandi alteram, v. g. *vel Petrus scribit, vel non Petrus, sed Paulus scribit: aut viceversa*. Recentiores vero non item. Ad id, quod additur ex Evangelio; disjunctionem proprie cadere supra *Tò*, *duo, vel tres*, adeo ut sensus sit, *ubi fuerint duo soli, vel non duo soli, sed tres*, quod sane disjunctum implicat adæquate simul falsificari, aut adæquate verificari: cum

im-

Ant. Forti.

implicet eos, in quorum medio sit Christus, non esse duos tantum, nec plusquam duos, adeoque tres. Quidquid sit, an præterea sint tres cum exclusione aliorum, vel non; quod non facit ad disjunctum præsens, de quo loquimur: cumque implicet etiam, eos, in quorum medio sit Christus, esse duos tantum, & simul esse plusquam duos, adeoque tres. Unde inter disputandum, cum arguens assertit propositionē disjunctivam falsam quoad utranque partem, v. g. equus vel rugit, vel ululat; aut veram quoad utranque partem, v. g. equus vel est substantia, vel hinnibilis; negandam arbitror propositionem illam, dicendo: nego majorem, nego minorem, nego antecedens quoad disjunctum.

XII. Sexto quoad veritatem, vel falsitatem propositionis copulativæ, seu conjunctivæ; ut hujusmodi propositio vera sit, omnes enunciationes, quibus componitur, debent verificari, v. g. & Petrus scribit, & Paulus dormit: si enim illarum una falsificetur, falsa erit propositio copulativa: quia conjunctio vim habet affirmandi omnes illas propositiones, quibus suo modo, coalescit propositio conjunctiva.

*Quoad æquipollentiam propositionis de Inesse.*

XIII. Dico 6. Æquipollentia est æquivalentia, seu eadem, vis in significando duarum propositionum: & inventa est a philosophis, ut si forte propositio obscura sit, resolvatur in aliam, clariorem, ut notat Oviedus. Jam circa æquipollentiam, illæ sunt logicorum observationes præcipuæ. Primo propositiones contrariæ fiunt æquipollentes, si particula, non, alterutrius subjecto postponatur, v. g. *omnis homo non est animal*; idem est, ac dicere, *nullus homo est animal*: & e converso: *nullus homo non est animal*: idem est, ac dicere: *omnis homo est animal*. Secundo pro subcontrariis eandem tradunt regulam nonnulli, ac pro contrariis. Sed licet vera sit regula hæc, inutilis tamen omnino videtur esse, cum subcontrarias propositiones vel redderet omnino easdem, vel nimium obscuras, v. g. idem prorsus idem, erit dicere: *aliquis homo non est animal*, ac *aliquis homo non est animal*, sed omnino identice: idem erit dicere: *aliquis homo non non est animal*, ac *est animal*, sed obscure: quippe per duas negationes, quæ vim habent affirmandi. Tertio propositiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, si particula, non, alterutrius subjecto præponatur, v. g. idem erit dicere: *non omnis homo est animal*, ac *aliquis homo non est animal*: & idem erit dicere: *non aliquis homo*

*Phil. Neg. Summ.*

E

*homo*



*homo non est animal*, ac, *omnis homo est animal*. Quarto subalternæ propositiones fiunt æquipollentes, si particula, non, alterutrius subjecto, & præponatur, & postponatur, v. g. idem erit dicere: *omnis homo est animal*, ac, *non aliquis homo non est animal*: & idem erit dicere: *aliquis homo est animal*, ac, *non omnis homo non est animal*. Quæ regulæ ne memoria excidant, sequens versiculus tradi solet:

Præ, contradic: post contra: præ, postque subalter.  
idest, ut propositiones contradictoriæ evadant æquipollentes inter se, particula, non, subjecto alterutrius præponenda est: ut propositiones contrariæ evadant æquipollentes inter se, particula, non, subjecto alterutrius postponenda est: ut propositiones subalternæ, evadant æquipollentes inter se, particula, non, & præponenda, & postponenda est subjecto alterutrius. Hæc ulterius regulas explicant illi versiculi apud Petrum Hurtado in *Summ. disp.* 4. §. 13.

*Non omnis, quidam. Non omnis non, quasi nullus.*  
*Nonnullus, quidam. Sed, nullus non, valet, omnis.*  
*Non aliquis, nullus. Non quidam non, valet, omnis.*  
*Non alter, neuter. Neuter non, præstat utrumque.*

#### *Quoad conversionem propositionis de Inesse.*

XIV. Dico 7. Conversio est duarum propositionum unius ad alteram, per extremorum transportationem, necessaria consequentia, v. g. *aliquis homo est animal*: ergo *aliquod animal est homo*. Jam propositio, quæ convertitur in aliam, dicitur convertens: illa, in quam convertitur, dicitur conversa.

Triplex est conversio, simplex nimirum, per accidens, & per contrapositionem. Simplex conversio est, in qua solum transportantur termini, nulla alia facta mutatione: & convenit propositioni universali negativæ, & particulari affirmativæ, v. g. *nullus homo est lapis*: ergo, e converso, *nullus lapis est homo*: vel, *aliquis homo est animal*: ergo, e converso, *aliquod animal est homo*. Conversio per accidens est, in qua, præter terminorum transportationem, mutatur quantitas propositionis, servata forma; idest si erat universalis, fit particularis; si erat particularis, fit universalis. Cæterum remanet affirmativa, vel negativa, ut erat antea. Et hæc conversio convenit propositioni universali affirmativæ, & universali negativæ, v. g. *omnis homo est animal*: ergo,

ergo, *aliquod animal est homo* : & rursus : *nullus homo est lapis* : ergo, *aliquis lapis non est homo*. Conversio per contrapositionem est, in qua, servata eadem quantitate, & forma propositionis, extrema transportantur, & infinitantur; idest ante extrema, jam transportata, ponitur particula, non. Hæc autem conversio convenit propositioni universali affirmativæ, & particulari negativæ, v. g. *omnis homo est animal* : ergo, *omne non animal est non homo* : & rursus : *aliquis homo non est albus* : ergo, *aliquod non album non est non homo*. Ad hujusmodi autem regularum intelligentiam, & memoriam retinendam illis versiculis utuntur Summulistæ :

fEcl simpliciter : convertitur EvA per accid.

AstO per contra ; sic fit conversio tota.

In quibus versiculis notandæ sunt, ad conversionem recte peragendam, voces illæ, fEcl, EvA, AstO : & in voce illa : fEcl, notandæ literæ E, & I : in EvA, notandæ literæ B, & A : in AstO, notandæ literæ A, & O. Jam litera, A, denotat propositionem universalem affirmativam : E, denotat universalem negativam : I, particularem affirmativam : O, particularem negativam : ut innuunt sequentes versiculi :

Afferit A, negat E : verum generaliter ambo.

Afferit I, negat O : sed particulariter ambo.

Itaque cum dicitur, fEcl, simpliciter, sensus est : E, & I, idest propositio universalis negativa, & particularis affirmativa convertuntur conversione simplici. Cum dicitur, EvA per accid. sensus est : E, & A, idest propositio universalis negativa, & propositio universalis affirmativa, convertuntur conversione per accidens. Cum dicitur, AstO, per contra ; sensus est : A, & O, idest propositio universalis affirmativa, & particularis negativa convertuntur per contrapositionem.



## ARTICULUS IV.

## De Propositione Modali.

*Primo, quoad Formam. Secundo, quoad Qualitatem. Tertio, quoad Quantitatem. Quarto, quoad Oppositionem. Quinto, quoad Equipollentiam. Sexto, quoad Conversionem.*

*Quoad formam, qualitatem, quantitatem, & oppositionem Propositionis Modalis.*

XV. **D**ico 1. Quoad formam, idest affirmationem, aut negationem propositionum modalium; illa desumenda est a modo, non a dicto earundem: jam ex modis duo, scilicet, *necesse*, & *possibile* sunt affirmativi: duo, scilicet *impossibile*, & *possibile non*, reputantur negativi.

Dico 2. Quoad qualitatem, idest veritatem, aut falsitatem, hujusmodi propositionum; illa desumenda pariter est proprie a modo earundem: itaque falsa erit hæc propositio: *necesse est hominem esse album*: quia, quanvis dictum sit verum, scilicet: *hominem esse album*; falsus tamen est modus, idest, *necessario esse album*.

Dico 3. Quoad quantitatem, & oppositionem hujusmodi propositionum; *necesse* correspondet propositioni universali affirmativæ: *impossibile* correspondet propositioni universali negativæ: *possibile* correspondet propositioni particulari affirmativæ: *possibile non*, correspondet propositioni particulari negativæ; quia, *necesse* includit *possibile*: & *impossibile* includit *possibile non*: adeoque, sicuti opponuntur inter se *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *aliquis non*; ita, & opponuntur inter se, *necesse*, *impossibile*, *possibile*, *possibile non*: quod denotant regulæ illæ, instar versiculorum:

Omnis *necesse* valet: impossibile nullus:

Possibile quidam: quidam non possibile non.

Idest *necesse*, est universalis affirmativa, ut *omnis*: *impossibile*, universalis negativa, ut *nullus*: *possibile*, particularis affirmativa, ut *quidam*, seu *aliquis*: *possibile non*, particularis negativa, ut *quidam non*, seu *aliquis non*.

*Quoad æquipollentiam propositionis modalis.*

XVI. Dico 4. Quoad æquipollentiam hujusmodi propositionum;

num; illæ fiunt æquipollentes, præponendo, vel postponendo particulam, *non*, ipsi modo, juxta regulas æquipollentiæ simplicium, quas supra tradidimus. Particula, *non*, dicitur præferri modo, cum applicatur eidem modo: dicitur postponi, cum applicatur dicto. Itaque hujusmodi propositiones, v. g. necesse est omnem hominem esse animal: impossibile est omnem hominem esse animal, cum sint contrariæ, ut fiant æquipollentes, juxta vericulum supra allatum, qui fuit:

Præ, contradic: post, contra: præ, postque subalter; observandum Tò, *post contra*, adeoque postponenda est *modo* particula, *non*, idest applicanda, *dicto*, & dicendum: *necesse est hominem non esse animal*; & idem erit, ac dicere: *impossibile est hominem esse animal*; vel e contrario: *impossibile est hominem non esse animal*: & idem erit, ac dicere: *necesse est hominem esse animal*.

Dico 5. Ad meliorem prædictorum intelligentiam, habenda præ oculis

Figura Oppositionis, & Æquipollentiæ modalium.

1. Iliacæ.

- I- Petrum currere, non est possibile.
- li- Petrum currere, non est contingens.
- a- Petrum currere, est impossibile.
- ce. Petrum non currere, est necesse.

2. Purpurea.

- Pur- Petrum non currere, non est possibile.
- pu- Petrum non currere, non est contingens.
- re- Petrum non currere, est impossibile.
- a. Petrum currere est necesse.

3. Edentuli.

- E- Petrum non currere, est possibile.
- den- Petrum non currere, est contingens.
- tu- Petrum non currere, non est impossibile.
- li. Petrum currere, non est necesse.

4. Amabimus.

- A- Petrum currere, est possibile.
- ma- Petrum currere, est contingens.
- bi- Petrum currere, non est impossibile.
- mus. Petrum non currere, non est necesse.

In

In qua observandæ quatuor illæ voces in quadratis : nimirum , prima Iliace : secunda Purpurea : tertia Edentuli : quarta Amabimus : & in his vocibus notandæ vocales illæ A, E, I, U, per A, significatur propositio modalis nihil negans : per E, significatur propositio modalis negans tantummodo dictum : per I, significatur propositio modalis negans solum modum : per U, significatur propositio modalis negans utrumque , tum scilicet modum , tum dictum : quæ omnia breviter innuit tritus ille versiculus :

E, dictum negat : Ique modum : nihil A: sed U, totum.

XVII. Dico 6. Propositiones omnes , quæ continentur sub uno , eodendque quadrato , quæ nimirum correspondent uni , eisdemque ex prædictis vocibus , sunt inter se æquipollentes , & ita quidem , ut *prima* propositio sit de *modo possibili* : *secunda* de *contingente* : *tertia* de *impossibili* : *quarta* de *neceffe* , v. g. sub illa voce *Iliace* , quæ signat primum quadratum , in prima syllaba continetur , I, nimirum propositio negans modum : cuiusmodi est : *Petrum currere non est possibile* : in secunda syllaba continetur itidem propositio modalis negans modum , expressa per I , cuiusmodi est : *Petrum currere non est contingens* : in tertia syllaba continetur A , idest propositio nihil negans , sed affirmans , tum dictum , tum modum , v. g. *Petrum currere est impossibile* : in quarta syllaba continetur E , idest propositio negans solummodo dictum , cuiusmodi est illa : *Petrum non currere est neceffe*. Quæ propositiones omnes reputantur æquipollentes : & simili modo de aliis discurrendum . Notandum tamen cum Oviedo in *sum. contr.* 3. *punct.* 10. n. 3. in propositionibus de dicto *communi* , in *possibile* , *contingens* , *impossibile* , si dictum fuerit affectum signo universali ; in propositione , de *neceffe* , afficiendum esse signo particulari : & viceversa , si in tribus primis modis , dictum fuerit affectum signo particulari ; in quarto , scilicet in , *neceffe* , afficiendum esse signo universali : aliter propositiones non erunt æquipollentes , v. g. in *Purpurea* , si dicatur : *nullum animal esse hominem* , *non est possibile* ; ut fiat æquipollens in *neceffe* ; dicendum erit : *aliquod animal esse hominem* ; *est neceffe* : nam si diceretur : *omne animal esse hominem* , *est neceffe* ; hæc propositio non erit æquipollens primæ veræ , sed falsæ , ut patet : neque enim omne animal est homo.

*Quoad conversionem propositionis modalis.*

Dico 7. Quoad conversionem huiusmodi propositionum ; in pri-

primis adhibenda est conversio ipsi dicto, juxta regulas propositionum simplicium, seu de Inesse: deinde addendus modus, quem habebat propositio antiqua, v. g. propositio erat: *necesse est nullum hominem esse lapidem*. Prius igitur convertenda simpliciter illa propositio: *nullum hominem esse lapidem*: est enim propositio universalis negativa (fEcl simpliciter) & dicendum, *nullum lapidem esse hominem*. Deinde addatur idem modus, quem prius habebat propositio, & inferendum: ergo *necesse est, nullum lapidem esse hominem*, & sic de reliquis. Verum.

Dico 8. Propositiones modales, juxta traditas regulas, non semper converti possunt: sed tunc solum, quando modus necessitatis, impossibilitatis, aut contingentiae, est æque conveniens unioni, vel divisioni subjecti cum prædicato, ac prædicati cum subjecto. Itaque converti potest per accidens prædicta propositio: *necesse est, omnem hominem esse animal*: in illam: *necesse est, aliquod animal esse hominem*. Quandoquidem tam necessario competit alicui animali identitas cum homine, idest esse hominem; quam homini identitas cum animali, idest esse animal. Non vero potest converti hæc alia propositio, *omnem musicum esse hominem necesse est*, in illam: *aliquem hominem esse musicum necesse est*; quia non necessario competit alicui homini esse musicum, ut necessario competit musico esse hominem.

## A R T I C U L U S V.

### De Propositione definitiva.

XVIII. **D**ico 1. Quoad essentiam; propositio definitiva dicitur rei cujusvis definitio, quod unum, & quidem primum est ex tribus præcipuis instrumentis sciendi: cum sit oratio manifestativa ignoti; quod est esse instrumentum sciendi, per Aristotelem. Jam definitio ex eodem Aristotele, est oratio significans quod quid erat esse rei; idest explicans, quid sit id, quod definiendum assumitur. Quam definitionem ita clarius explicant Recentiores: definitio est oratio explicans naturam rei: idem enim significat quid rei, ac ejusdē essentia, quidditas, & natura, v. g. homo est animal rationale. Definitio, dicitur oratio, quia conceptus esse debet virtualiter compositus, ut saltem duabus dictionibus correspondeat; quarum prima sit genus, nempe id, per quod res definita ultimo conveniat

veniat cum aliis , ut est animal in prædicta hominis definitione : secunda sit differentia ; nempe id , per quod res definita primo differat ab aliis , ut est , rationale , in supra allata definitione . Dicitur : explicans naturam rei , ut diversificetur ab aliis orationibus , quæ non sunt definitiones . Unde constat , definitionem hanc definitionis esse bonam , ipsamque constare ex suo genere , & differentia : *Tò* , enim , oratio , stat loco generis : *Tò* , explicans naturam rei , loco differentię .

Dico 2. Quoad divisionem ; dividitur communiter definitio , majoris claritatis gratia , in definitionem rei , & definitionem nominis . Definitio rei dicitur , per quam definitur ipsa res secundum se , v. g. homo est animal rationale . Definitio nominis est , cum definitur nomen rei , non vero ipsa res , v. g. homo est vox imposita ad significandum animal rationale : & huc reducuntur omnes etymologiæ nominum , ipsorumque significationis investigationes . Verum aliqui contendunt , hanc revera non esse rigorosam divisionem definitionis : cum quodlibet nomen sit res ; licet Fonseca in favorem hujus communis divisionis , notet , nomen a re contradistingui per philosophos , ut signum a re significata .

XIX. Dico 3. Definitio rei , dividitur in essentialem , accidentalem , & causalem . Essentialis definitio est , quæ explicat naturam rei per ea , quæ ipsi rei essentialia sunt ; nimirum , vel per partes metaphysicas , ut , homo est animal rationale : & hæc dicitur definitio essentialis metaphysica : per antonomasiam absolute , & simpliciter definitio essentialis : vel per partes physicas , ut , homo est constans corpore , & anima rationali : & hæc dicitur definitio essentialis physica . Accidentalis definitio est , quam alii descriptionem appellant , quæ explicat naturam rei per ea , quæ sunt extra essentiam rei , nempe per accidentia . Jam accidentia , vel sunt propria , scilicet nulli alteri convenientia , ut est risibilitas in homine ; & hinc fit definitio : homo est animal risibile ; vel sunt accidentia communia , quæ scilicet aliis etiam rebus convenire possunt : & tunc , ut rem definitam ab omni alia re contradistinguat definitio accidentalis , continere debet tale aggregatum accidentium , quod collective sumptum nulli alteri rei conveniat , v. g. homo est animal implume , bipes , rectum . Causalis definitio est , quæ explicat naturam rei assignando ejus causas , vel scilicet causam efficientem , vel materialem , vel formalem ,

*Ant. Forti.*

vel

vel finalem , & huc reducitur definitio per *causam* exemplarem , sive idealem.

. XX. Dico 4. quoad proprietates ; bonę definitionis proprietates varię sunt . Prima , ut illa sit clarior definito , idest ut conceptus correspondens definitioni , v. g. *animal rationale* , philosopho consideranti , sit clarior conceptu correspondente nomini rei definite , quę est *homo* . Quandoquidem explicatio debet esse clarior re explicata , ut res illuminans clarior est re illuminata . Itaque in exemplo allato , per *Tò* , homo , concipitur homo conceptu quidem proprio , sed valde imperfecto , scilicet in ordine ad accidentia externa , formam corporis , faciei , manuum , coloris , ut notat Arriaga : per *Tò* vero , animal rationale , concipitur homo in ordine ad connotata ipsius propriissima , scilicet in ordine ad sensationem , & discursum : & inde ex vi illorum concipitur virtus sentiendi , & discurrendi . Secunda proprietas est , ut definitio non competat alteri a definito , sed competat soli rei definite : aliter hanc ab omni alia re contradistinguere non poterit . Tertia proprietas est , ut definitio dicatur ad convertentiam cum definito , talis nimirum sit , ut possit prædicari de re definita ; & pariter res definita possit de ipsa definitione prædicari cum veritate , v. g. *homo est animal rationale* : *animal rationale est homo* . Quarta proprietas est , ut quidquid competit definitioni , competat etiam definito : nam idem omnino realiter sunt ex parte objecti definitio , & definitum . Quinta proprietas est , ut definitio non sit diminuta , idest manca : aliter non explicabit adæquate totam naturam rei . Sexta proprietas est , ut definitio non sit redundans , idest continens aliquod superfluum ; ut si quis diceret : *homo est animal rationale mortale* : aliter , præter naturam , seu essentiam rei , & aliquid aliud supervacaneum explicabit . Septima proprietas est , ut definitio non sit plus æquo proluxa : aliter non poterit commode memorię mandari , retinerique , atque inter disputandum adhiberi . Octava proprietas est , ut definitio fiat per ultimum genus , & per primam differentiam , idest per prædicatum illud , per quod res ultimo convenit cum aliis , quę non sunt ipsa , quod est genus : & per illud prædicatum , per quod primo differt ab aliis , quę non sunt ipsa , quod est differentia . Unde , si diceretur : *homo est vivens rationale* ; non esset bona definitio , quia *vivens* , non est ultimum genus , cui additur *rationale* : *angelus enim est vivens* ,

*Phil. Neg. Summ.*

F

nec



nec tamen est rationalis, sed intellectivus: quippe non intelligens dependenter a sensibus, & phantasmatibus, quod proprie sonat rationale. Ubi autem D. Gregorius *in cap. 2. D. Matth. homil. 10. in Evangelia*, angelum, animal appellat rationale; loquitur minus proprie, & non in toto rigore philosophico, volens duntaxat significare, angelum esse vivens intellectivum.

## A R T I C U L U S VI.

## De Propositione divisiva.

XXI. **D**ico 1. quoad essentiam; propositio divisiva est divisio, secundum instrumentum sciendi. Divisio est oratio distribuens totum in suas partes, v. g. animal aliud est rationale, aliud irrationale. Itaque non idem formaliter est divisio, ac definitio: quia, licet utraque assignet partes alicujus totius; non tamen eodem modo: nam divisio assignat partes totius, illas ad invicem inter se distinguendo, v. g. homo constat animalitate, & rationalitate: definitio vero assignat partes totius, totum distinguendo ab omni eo, quod non est ipsum, v. g. homo est animal rationale; adeoque non est equus, non est leo, non est lapis.

Dico 2. quoad divisionem ejusdem; dividitur communiter divisio in divisionem rei, & divisionem nominis. Divisio rei est, quæ distribuit in suas partes rem significatam per vocem, ut in exemplo allato. Divisio nominis est, quæ varias alicujus vocis significationes assignat, & dividit. Divisio rei subdividitur in essentialem, & accidentalem. Essentialis divisio, quam alii vocant divisionem per se, est, quæ dividit totum in partes, quæ ipsi formaliter, & qua tali, conveniant, v. g. homo vel est mas, vel est femina. Accidentalis divisio est, quam alii vocant divisionem per accidens, quæ distribuit totum in partes, quæ ipsi materialiter, & per accidens conveniunt, v. g. homo alius est philosophus, alius musicus, alius ædificator.

Dico 3. Divisio essentialis trifariam dividitur; in integram nimirum, essentialem per antonomasiam, & potentialem. Integralis est, quæ totum quantitativum, seu continuum, sive discretum, in suas partes integrales distribuit, v. g. hora constat quadrantibus, & deinde minutis, & instantibus: corpus humanum constat capite, pectore, manibus, pedibus. Essentialis

lis autonomasice nuncupatur, quæ totum dividit in partes essentielles, vel metaphysicas, v. g. hominem in animalitatem, & rationalitatem: vel in partes physicas, v. g. ipsum hominem in corpus, & animam. Potentialis est, quæ totum distribuit in partes suas potenciales, quas scilicet actu non habet, sed in potentia, idest quas habere potest suo modo, v. g. genus in species, animal nimirum in rationale, latrabile, rugibile. Species in individua, v. g. hominem in Petrum, Paulum, Joannem.

XXII. Dico 4. Divisio accidentalis trifariam quoque dividitur; primo videlicet in divisionem subjecti in accidentia, v. g. homo alius est albus, alius est niger, alius rufus: secundo in divisionem accidentis in subjecta, v. g. album aliud est lac, aliud nix, aliud paries: tertio in divisionem accidentis in accidentia, v. g. album aliud est dulce, aliud amarum.

Dico 5. quoad proprietates; bonæ divisionis proprietates varix sunt, quarum prima, & præcipua est, ut totum divisum excedat suas partes singulas; quia totum est majus sua parte. Secunda proprietas est, ut partes omnes simul sumptæ adæquant totum, idest neq; excedant, neq; excedantur ab illo: quia aliter, vel assignaretur toti pars non sua, vel non omnes partes assignarentur. Tertia proprietas est, ut unum membrum dividens non contineatur in altero. Hinc mala esset divisio, si quis diceret: homo alius est sanus, alius infirmus, alius febre laborans: jam enim febricitans includitur in illa parte, infirmus. Quarta proprietas est, ut divisio fiat per membra pauciora, quoad fieri poterit, scilicet ut evitetur confusio. Hinc non dicitur dividendo, v. g. animal aliud est rationale, aliud canis, aliud leo, aliud equus; sed, animal aliud est rationale, aliud irrationale. Deinde subdividendo irrationale in suas partes, descendendo ab universalioribus ad minus universalia. Quinta proprietas est, ex Aristotele, ut membra dividenda aliquam habeant inter se oppositionem infra idem genus. Unde mala esset divisio, si quis diceret: animal aliud est terrestre, aliud nigrum: quia terrestre, & nigrum nullo modo inter se opponuntur: sed bona esset, si diceretur: animal aliud est terrestre, aliud ærium, aliud aquaticum, & fortasse aliud igneum; si vere detur aliud, quod in igne vivat, ut contendunt nonnulli, de quibus videri poterit Mendoça in Virid. Sexta proprietas est, ex Aristotele, ut quando res divisa est positiva, partes in quas dividitur non sint negativæ: quia negatio per Aristotelē non potest esse rei positivæ.

F 2

Hinc

Hinc male quis divideret animal in hominem, & non hominem. Cum autem dicitur passim, animal aliud est rationale, aliud irrationale, & similia; vox illa negativa, irrationale, imposita est ad significandam rem positivam, ob vocabulorum penuriam. Hactenus quoad Summulam secundam de Propositione: deinceps quoad Summulam tertiam

## DISPUTATIO II. De Argumentatione.

*Primo, Syllogistica in Genere. Secundo, Syllogistica in Specie. Tertio, Fallaci, & Sophistica.*

### ARTICULUS I.

De Argumentatione Syllogistica in Genere.

*Primo, quid sit in se. Secundo, quoad vim. Tertio, quoad medium terminum. Quarto, quoad formam remotam. Quinto, quoad formam proximam. Sexto, quanam Argumentationis proprietates.*

Quid sit in se.

Argumentatio Syllogistica in genere, scilicet Syllogismus.

I. **D**ico. 1. Argumentatio Syllogistica, quæ secundum sciendi instrumentum ab Aristotelicis nuncupatur, cum sit oratio, in qua aliquid ex aliquo inferitur, est Syllogismus. Hic metaphysice sumptus, ex Aristotele *prim. prior. cap. 1. & prim. topic. cap. item 1.* dicitur: *Oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quid a positis necesse est contingere, eo quod hæc sint:* idest syllogismus est oratio, in qua, concessis præmissis, negari non poterit consequentia, v. g. si concedatur: *homo est animal, sed Petrus est homo,* negari non poterit, puta ab intellectu sano, & penetrante vim illarum, hæc consequentia: *ergo Petrus est animal.*  
Dico

Dico 2. Syllogismus physice consideratus importat necessario tres propositiones, saltem virtualiter, & æquivalenter, nec plures, nec pauciores: duæ primæ dicuntur præmissæ, & ex his prima præmissa dicitur *major*: secunda *minor*: & tertia propositio dicitur *consequentia*: syllogizare enim nihil aliud est, nisi ostendere extrema, v. g. Petrum & animal esse idem inter se, vel non esse idem; ex vi identitatis, aut non identitatis cum uno tertio.

Dico 3. Syllogismus habet materiam proximam, & remotam. Proxima sunt dictæ propositiones, ex quibus constat. Remota sunt termini, quibus ipsæ propositiones efformantur. Huiusmodi termini tres esse debent, nec plures, nec pauciores: duo nimirum extrema, & tertius medius terminus, qui semel ingredi debet maiorem præmissam, semel minorem, nunquam vero consequentiam, seu conclusionem: si secus fiat, fallax erit syllogismus: & ineptus ad concludendum. Unde est, ut syllogismum, appellarit non nemo Tridentem philosophiæ; quo in mentis area, tritici, palearumque ritu, verum a falso secernatur. Quæ, ut melius percipiantur, distincte explicando;

*Quid sit syllogismus quoad vim;*

II. Dico 4. Tota vis syllogistica illi principio innititur lumine naturæ noto: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; vel contra: *quæ ita se habent, ut unum sit idem cum uno tertio, aliud vero non, nõ possunt esse eadem inter se*. Utrum autem, & quomodo, quove sensu, hoc principium habeat locum in mysterio Trinitatis, vel non habeat, dictum est in Theologia lib. 1. de Deo. Volunt aliqui, totam vim syllogisticam inniti principio illi: *dici de omni, dici de nullo*: quod scilicet, si aliquid prædicatur cum veritate de aliquo termino communi, v. g. de homine, necessario prædicari debeat de omni eo, quod continetur sub termino communi, v. g. de Petro; contra vero, si *Tò*, lapis, v. g. non prædicatur cum veritate de homine, de nullo, quod continetur sub homine, prædicari poterit cum veritate: adeoque valebit ita argumentari: *homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal*: vel contra: *homo est animal, sed lapis non est animal, ergo lapis non est homo*. Verum hoc principium, præter quam quod non videtur habere locum in syllogismo expositorio, in quo medius terminus non est communis: ut in hoc syllogismo: *hic discipulus est modestus, sed Marcellus est hic discipulus, ergo*

*ergo Marcellus est modestus* ; resolvitur tandem in illud principium supra dictum : *quæ sunt eadem uni tertio , sunt eadem inter se , vel contra* : ideo enim , quod prædicatur de termino communi , aut quasi communi (ut ajunt) prædicari debet de inferiori , aut quasi inferiori ; quia , quæ sunt eadem uni tertio , idest termino communi , aut quasi communi , sunt eadem inter se . Quod magis explicant , quæ sequuntur.

*Quid sit Syllogismus quoad medium terminum.*

III. Dico 5. Medius terminus est tertium quid , quod identificatur , tam cum subjecto , quam cum prædicato conclusionis . Nam , si quis velit probare duo extrema , v. g. Petrum , & animal , esse idem , vel non idem inter se ; invenire debet medium terminum , seu tertium aliquod , cum quo unum ex dictis extremis , v. g. Petrus identificetur , cujusmodi esse potest , v. g. homo : tum , si agnoscat aliud etiam ex duobus extremis , quod erat , animal , identificari cum illo tertio , recte inferet : ergo Petrus , & animal identificantur etiam inter se , ita discurrendo per syllogismum : *homo est animal , sed Petrus est homo , ergo Petrus est animal* . Quod , si medius terminus , seu tertium illud tale sit , ut unum ex extremis identificetur cum illo , alterum vero , nequaquam ; legitime infertur , illa extrema , non identificari inter se , v. g. quia homo est idem cum animali , lapis vero non est idem cum animali ; infertur , quod homo , & lapis , neque sint idem inter se , ita syllogizando : *homo est animal , sed lapis non est animal , ergo lapis non est homo* .

Dico 6. Quoniam conclusio quadruplex esse potest , scilicet primo universalis affirmativa : secundo particularis affirmativa : tertio universalis negativa : quarto particularis negativa : ideo Aristoteles *prim. prior. cap. 2.* quatuor tradit regulas ad invenendum medium terminum aptum ad concludendum . Prima regula est : quando concludendum est universaliter affirmative , medius terminus esse solet terminus , qui sit consequens respectu subjecti conclusionis , & antecedens respectu prædicati . Jam antecedens est , ex quo aliud sequitur , ut animal respectu viventis : valet enim : est animal , ergo est vivens : consequens est , quod sequitur ex alio , ut idem animal respectu hominis : valet enim : est homo , ergo est animal : quanvis non valeat viceversa : est animal , ergo est homo . Itaque Tò , *animal* est medius terminus aptus ad concludendum in *Barbara* , per universalem affirmativam ,

vam, *vivens*, & *homo*, tali pacto: *omne animal est vivens: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est vivens.*

Secunda regula est: quando concludendum particulariter affirmative, medius terminus esse solet terminus antecedens tum respectu prædicati, tum respectu subjecti conclusionis inferendæ. Itaque Tò, *homo*, est medium aptum ad concludendum in *Darapti* per particularem affirmativam *aliquod animal*, & *risibile*, tali pacto: *omnis homo est risibilis: sed omnis homo est animal: ergo aliquod animal est risibile*. Per eundem medium terminum concludi poterit in *Daraj*, dummodo minor præmissa convertatur conversione *per accidens*, in particularem affirmativam, v. g. *omnis homo est risibilis: sed aliquod animal est homo: ergo aliquod animal est risibile.*

Tertia regula: quando concludendum est universaliter negative, medius terminus esse solet aliquod extraneum, seu repugnans ad unum terminorum conclusionis, consequens vero ad alterum. Jam extraneum, seu repugnans respectu alicujus est, quod illi convenire minime potest, ut risibile respectu lapidis. Itaque Tò, *risibile*, est medium aptum ad concludendum vel in *Cesare*, vel in *Celarent*, vel in *Camestres*, per universalem negativam: *nullus homo*, & *lapis*: quia videlicet *risibile* est extraneum, seu repugnans *lapidi*: est vero consequens ad *hominem*. Unde legitima erit in *Cesare* hæc consequentia: *nullus lapis est risibilis: sed omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est lapis.*

Quarta regula: quando concludendum est particulariter negative, medius terminus esse solet, aliquod extraneum, seu repugnans prædicato conclusionis inferendæ, antecedens vero subjecto ejusdem. Itaque Tò, *equus*, est medium aptum ad concludendum in *Felapton*, *aliquod animal*, & *non intellectuale*: quia videlicet hic terminus, *equus*, est antecedens respectu *animalis*, estque repugnans, seu extraneum respectu *intellectualis*. Unde legitime inferitur in *Felapton*, hæc consequentia: *nullus equus est intellectualis: sed omnis equus est animal: ergo aliquod animal non est intellectuale*. Quod si minor hujus syllogismi convertatur *per accidens*, idem in *Ferio* concludi poterit æque bene, dicendo: *Nullus equus est intellectualis: sed aliquod animal est equus: ergo aliquod animal non est intellectuale.*

Tradit præterea Aristoteles cap. eodem tres regulas de tribus combinationibus inutilibus. Prima regula est: non esse medium aptum

aptum ad ullum syllogismum ; terminum illum , qui pure consequens est ad subjectum , & prædicatum . Ratio est , quia per huiusmodi medium deberet construi syllogismus in *secunda figura* ex puris affirmativis : ex quo nihil sequitur.

Secunda regula est : nec esse medium aptum , saltem ad concludendum *directe* ; terminum illum , qui est antecedens prædicati , & repugnans subjecti . Ratio est , quia deberet construi syllogismus in *prima* , vel *tertia figura* ex minori negativa : ex qua nihil , saltem *directe* , sequi posset.

Tertia regula : non esse medium aptum terminum illum , qui repugnans , seu extraneus est tum prædicato , tum subjecto conclusionis inferendæ . Ratio est , quia per huiusmodi medium , utpote quod deberet de utroque extremo negari , construendus esset syllogismus constans utraq; præmissa negativa : ex puris autem negativis nihil sequitur.

Cæterum quæ ulterius quoad artem medii termini reperiri coacervant nonnulli , vel nullius , vel admodum sane exigui videntur emolumenti ; vel tyronibus ad terendum tempus , ac frangendum caput potius apta , quam ad discendum . Ingenii acies , memoriæ felicitas , studii diuturnitas , nec non arguendi , respondendique usus quotidianus , ut notat Arriaga , sufficiens erit , divesque mediorum terminorum ad quodlibet inferendum aurisfodina.

*Quid sit Syllogismus quoad formam remotam ,  
idest figuram.*

IV. Dico 7. Ut in quolibet opere artefacto dispositio materiæ dicitur forma , ita & in syllogismo : & quia duplex est syllogismi materia , ut supra dictum est , proxima scilicet , & remota ; duplex etiam est ejus forma , proxima videlicet , ac remota . Forma proxima syllogismi est dispositio , & varia combinatio materiæ remotæ , idest terminorum : & hæc figura nuncupari consuevit , de qua in præsentī sermo est , cum de modo agendum sit in sequenti . Jam triplex est syllogismi figura , pro triplici diversa extremorum , mediique termini combinatione . Prima figura est , in qua medius terminus in una præmissa subijcitur , seu est subjectum : in altera prædicatur , seu est prædicatum , v. g. *omnis homo est animal ; sed Petrus est homo : ergo Petrus est animal* . Hæc cum non sit combinatio medii , & extremorum essentialiter diversa , sed solum materialiter talis , non constituit diversam figuram ,

*Ant. Forti.*

ram ,

ram (quam appellant figuram Galeni, utpote ab eo excogitatam) si eadem præmissæ mere quoad ordinem varientur: adeoque huiusmodi syllogismi ad primam figuram semper spectabunt.

Secunda figura est, qua medius terminus in utraque præmissa prædicatur, seu est prædicatum, v. g. *nullus lapis est animal, sed Petrus est animal, ergo Petrus non est lapis*. In quo syllogismo medius terminus est, animal, ut patet.

Tertia figura est, qua medius terminus in utraque præmissa subijcitur, seu est subiectum, v. g. *omnis homo est rationalis, sed omnis homo est sensibilis: ergo aliquod rationale est sensibile*. In quo syllogismo medius terminus est, omnis homo. Quarum regularum veluti clavis esto versiculus ille:

Sub, præ prima: sed altera bis, præ: tertia bis, sub:

*Quid sit Syllogismus quoad formam proximam.*

V. Dico 8. Forma proxima syllogismi est, ex dictis, varia combinatio ad quantitatem, & qualitatem propositionum spectans, quibus componitur syllogismus: quæ consurgit ex varietate terminorum explicatione. Sexaginta quatuor enumerat syllogismorum modos nonneino: *verum utiles, & communes novemdecim* recensentur, sequentibus versiculis contenti, in quorum singulis vocibus prima vocalis significat qualitatem, & formam primæ præmissæ; secunda vocalis, secundæ præmissæ; tertia vero, conclusionis, juxta regulam supra traditam; quod nimirum, A, denotet propositionem universalem affirmativam: E, universalem negativam: I, particularem affirmativam: O, particularem negativam. Quod si in aliqua voce inveniantur quatuor vocales, nulla quartæ vocalis habenda est ratio, cum inserviat soli metro. Quoad huiusmodi modos, illa sunt carmina summulistarum solemnna:

1. Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipon,  
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisemonorum.
2. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. 3. Darapti,  
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

In quibus novem primi modi pertinent ad primam figuram: quatuor sequentes ad secundam: ultimi sex ad tertiam. Ex modis autem assignatis aliqui concludunt directe, alii indirecte. Directe concludunt illi, in quibus subiectum majoris est prædicatum in minore: & subiectum minoris est subiectum in conclusione. Alii, qui non ita se habent, dicuntur indirecte concludere. Hæc

*Phil. Neg. Summ.*

G

est



est explicatio diversitatis inter conclusionem directam, & indirectam : quæ videtur omnium, quæ circumferuntur, clarissima. Ex allata doctrina colligitur, quod soli quatuor primi modi primæ figuræ concludant directe : reliqui vero omnes indirecte. Jam modi directe concludentes, perfecti nuncupantur, reliqui vero imperfecti : quia videlicet illi soli adeo bene dispositi sunt, ut bonitatem consequentiæ statim, & magis perspicue ostendant consideranti. Claritatis gratia, pro tyronibus, exempla modorum subiiciuntur.

*Primæ figuræ modi directi.*

VI. 1. *Barbara.*

Omne bonum est laudabile :  
Sed omnis virtus est bona :  
Ergo omnis virtus est laudabilis.

2. *Celarent.*

Nullum bonum est odibile :  
Sed omnis virtus est bona :  
Ergo nulla virtus est odibilis.

3. *Darii.*

Omnis virtus est laude digna :  
Sed aliqua modestia est virtus :  
Ergo aliqua modestia est laude digna.

4. *Ferio.*

Nullum vitium est amabile :  
Sed aliquis ludus est vitium :  
Ergo aliquis ludus non est amabilis.

*Primæ figuræ modi indirecti.*

5. *Baralipton.*

Omnis morbus est destructivus naturæ :  
Sed omnis febris est morbus :  
Ergo aliquod destructivum naturæ est febris.

6. *Celantes.*

Nullus homo est quadrupes :  
Sed omnis discipulus est homo :  
Ergo nullus quadrupes est discipulus.

7. *Da-*

7. *Dabitis.*

Omne canorum est gratum auribus :  
Sed aliqua avis est canora :  
Ergo aliquod gratum auribus est avis.

8. *Fapesmo.*

Omnis sanitas est appetibilis :  
Sed nullus morbus est sanitas :  
Ergo aliquod appetibile non est morbus.

9. *Frisesomorum.*

Aliquod studium est utile :  
Sed nullum otium est studium :  
Ergo aliquod utile non est otium.

*Modi secundæ figuræ.*

VII. 10. *Cesare.*

Nullus flos est equus :  
Sed omne animal hinnibile est equus :  
Ergo nulum animal hinnibile est flos.

11. *Camestres.*

Omnis prudens est laudabilis :  
Sed nullus scelestus est laudabilis :  
Ergo nullus scelestus est prudens.

12. *Festino.*

Nulla improbitas est amabilis :  
Sed aliqua virtus est amabilis :  
Ergo aliqua virtus non est improbitas.

13. *Baroco.*

Omne vitium est fugiendum :  
Sed aliqua venatio non est fugienda :  
Ergo aliqua venatio non est vitium.

*Modi tertiæ figuræ.*

14. *Darapti.*

Omne vitium est punibile :  
Sed omne vitium est indecorum :  
Ergo aliquod indecorum est punibile.

15. *Felapton.*

Nullum vitium est utile :

Sed omne vitium est fugiendum :

Ergo aliquod fugiendum non est utile.

16. *Disamis.*

Aliquis homo est brevi moriturus :

Sed omnis homo est rationalis :

Ergo aliquod rationale est brevi moriturum.

17. *Datifi.*

Omne honestum est amabile :

Sed aliquod solatium honestum est breve :

Ergo aliquod breve est amabile.

18. *Brocardo.*

Aliqua scientia non est Astrologia :

Sed omnis scientia est laudabilis :

Ergo aliquod laudabile non est Astrologia.

19. *Ferison.*

Nullus peccator est felix :

Sed aliquis peccator est dives :

Ergo aliquis dives non est felix.

*Alii modi reiiciuntur.*

VIII. Dico 9. Enumerant alii præterea, cum Lynceo, alios modos, quos vocant, juxta versiculum illum :

*Terfandros, Falaris, Perago, Centauro, & Arestor.*

Verum non est, cur a communi numero modorum discedendum sit. Hi siquidem alii modi, & non sunt essentialiter diversi ab enumeratis, sed materialiter tantum, & facile ad aliquem ex modis communiter assignatis reducuntur : puta, *Terfandros*, ad *Celarent* : *Falaris*, ad *Barbara* : *Perago*, ad *Celantes* : *Centauro*, ad *Cesare* : *Arestor*, ad *Camestres* : a quibus non differunt, nisi quia loco conclusionis universalis inferunt particularem subalternatam ; quæ non est notabilis diversitas, nec tanti momenti, ut a communi sensu per novitates recedamus.

Dico 10. Idem esto judicium de modis quibusdam, quos assignat Peñafiel : quosque Petrus Hurtadus in *summ. disp.* 5. §. 27. juxta versiculos illos :

*Barmaba, Galerent, dimari, firemo, Bamaliptom,*

*Calemes, Dimatis, fesapo, fresisonorum:*

cum

cum enim illi fundentur in quarta figura Galeni, quam diximus reduci ad primam, non sunt nisi materialiter diversi a modis solemnibus communiter allatis. Neque hinc sequitur, quod *Baralip-ton* non differat a *Barbara*, nisi materialiter; multo minus *Celantes* a *Celarent*, & *Dabitis* a *Darii*: modi enim *Barbara*, *Celarent*, & *Darii* sunt perfecti, directeque concludentes: *Baralip-ton* vero, *Celantes*, *Dabitis* sunt modi imperfecti, indirecte concludentes: quæ videtur notabilis differentia, sicut etiam notabilis reputatur differentia, quæ intercedit inter *Baralip-ton*, & *Darapti*; inter *Dabitis*, & *Datifi*: quia pertinent ad figuras diversas.

## A R T I C U L U S II.

Quæ sint Syllogismi proprietates.

*Primo, quoad præmissas. Secundo, quoad consequentiam.*  
*Tertio, quoad reductionem ostensivam. Quarto,*  
*quoad reductionem ad impossibile.*

*Proprietates quoad præmissas syllogismi.*

IX. **D**ico 1. Boni syllogismi proprietates variae sunt. Jam in ordine ad ejus præmissas, prima ex præcipuis proprietates est, ut non utraque præmissa sit negativa: nam ex puris negativis nihil infallibiliter sequitur per se: cum per ipsas neque ostendantur duo extrema esse idem cum uno tertio; neque unum esse idem cum uno tertio, & alterum non.

Secunda proprietates est, ut non utraque præmissa sit particularis; adeoque nec indefinita in materia contingente: quia ex puris particularibus nihil sequitur per se, & infallibiliter: terminus enim particularis nunc supponit pro uno, nunc pro alio; adeoque non ostendit identitatem, vel distinctionem duorum in eodem tertio. Quod si terminus, alioqui particularis, semper supponeret pro eodem, tunc utilis consurgere posset syllogismus etiam ex duabus alioqui particularibus: verum tunc bona conclusio esset per accidens, & ratione materiæ, non ratione formæ: quandoquidem, si bona esset ratione formæ, deberet, ex qualicumque binario præmissarum particularium in omni materia, deduci bona consequentia; quod tamen est falsum.

Tertia proprietates est, ut distribuatur in præmissis extremum, quod

quod perfecte distribuendum est in conclusione . Distribui perfecte terminum aliquem communem, est supponere pro omnibus suis inferioribus , pro quibus potest . Itaque si quis dicat , v. g. *omnis homo est animal : sed omnis homo est substantia : ergo omnis substantia est animal* ; non erit rectus syllogismus : quia terminus ille communis , substantia , in minore non perfecte distribuitur, idest non significat omnem substantiam : in conclusione perfecte distribuitur , cum omnem substantiam significet.

Quarta proprietas est , ut syllogismus , in modis directis primæ figuræ , majorem habeat non particularem , & minorem, non negativam.

Quinta proprietas est , ut syllogismus , in modis secundæ figuræ, non habeat utramque præmissam affirmativam , vel majorem particularem.

Sexta proprietas est , ut syllogismus , in modis tertiæ figuræ, non habeat minorem negativam , aut conclusionem universalem.

*Proprietates quoad consequentiam syllogismi.*

X. Dico 2. Variæ sunt boni syllogismi proprietates, quoad consequentiam. Ex præcipuis prima proprietas est, ut non inferatur , nisi verum ex præmissis veris , recte dispositis . Si vero duo extrema debito modo se habeant cum medio termino, quoad convenientiam , & disconvenientiam , rectamque dispositionem in præmissis , ita & se habebunt inter se in conclusione.

Secunda proprietas enumerari passim solet , ut ex antecedente falso , non solum falsum , sed etiam materialiter verum , inferri quandoque possit . Est doctrina Aristotelis : & ratio est , quia non per hoc præcise , quod duo vere non connectantur cum aliquo tertio determinato in talibus præmissis , non possunt connecti cum alio medio , adeoque esse idem inter se ex alio capite. Dixi , materialiter verum : nam formaliter vera consequentia , seu conclusio , si altera ex præmissis sit falsa , sequi non potest, ut infra videbitur loco suo . Nec ideo inferat quis temere cum Helmontio, inutilem esse logicam , artemque syllogizandi Aristotelicam : sufficit enim vero ad logicæ utilitatem , primo , quod infallibiliter deduci doceat verum ex præmissis veris recte dispositis : secundo , quod ostendat , quid infallibiliter sequatur conditionate : si nimirum admittantur ut veræ præmissæ , quæ re ipsa sunt falsæ , quin etiam impossibiles , ut suo loco explicabimus.

Tertia proprietas est , ob rationes prædictas , ut non nisi necessaria-

cessarium ex antecedente necessario consequatur : Ex impossibili autem inferri poterit tum impossibile , tum necessarium , tum contingens.

Quarta proprietas est , ut ex contradictorio consequentis inferatur contradictorium antecedentis : v. g. si quis dicat , Petrus currit , ergo movetur ; poterit deinde arguere : Petrus non movetur , ergo non currit.

Quinta proprietas est , ut ex contradictorio antecedentis non inferatur contradictorium consequentis : v. g. si quis dicat : Petrus currit , ergo movetur ; non valebit deinde argumentari : Petrus non currit , ergo non movetur : poterit enim Petrus non currere , & tamen ambulare , vel alio modo moveri.

Sexta proprietas est , ut , quidquid sequitur ex consequenti , sequatur etiam ex antecedente . Unde si valet dicere : Petrus est rationalis , ergo est risibilis ; valebit etiam inferre : Petrus est rationalis , ergo potest esse absolute ridens : quia hoc sequitur ex risibili.

Septima proprietas est , ut ex affirmativa de tertio adjacente , in materia contingente , recte inferatur affirmativa de secundo adjacente , v. g. Petrus est modestus : ergo Petrus est , nimirum existit . Non valet inferre simili modo , in materia non contingente : dicendo , v. g. Antichristus est possibilis : ergo est , seu existit : alter Deus est impossibilis : ergo est , seu existit ; & ratio est , quia esse modestum , præsupponit existentiam , ut esse album , esse nigrum , esse pallidum . At vero esse possibile , non præsupponit existentiam : cum possit aliquid esse possibile , & tamen actu non existere , ut alter mundus : & a fortiore , esse impossibile non præsupponit , immo excludit necessario existentiam.

Octava proprietas est , ut ex integra disjunctiva , si una destruaturs pars , altera sequatur infallibiliter , v. g. vel Deus est mendax , vel Deus est : sed non est mendax : ergo Deus est . Ubi notandum , non debere inferri partem illam disjuncti , quæ destruitur jam per particulam , non . Hinc ridiculus esset hic modus argumentandi : tu , vel es equus , vel non es equus : sed non es equus : ergo es equus . Ratio est , quia in minore destruitur jam illud consequens , quod deinde male inferitur in consequentia.

Nona proprietas est , ut conclusio sequatur debiliorem partem : nimirum si præmissarum altera sit particularis , aut negativa ; particularis , aut negativa inferenda conclusio ; & ratio præmi

mi est, quia, si in præmissis ostenditur identitas duorum cum uno tertio, duntaxat particularis, non poterit in conclusione legitime deduci identitas duorum universalis, quæ non apparuit in præmissis. Ratio secundi est, quia si una ex præmissis negat; ergo non affirmatur in præmissis identitas duorum cum uno tertio, sed affirmatur identitas unius, & negatur identitas alterius termini cum eodem medio: ergo non poterit in conclusione affirmari identitas duorum terminorum inter se, sed negari: ergo conclusio non potest esse, nisi negativa.

*Proprietates quoad reductionem syllogismi ostensivam.*

XI. Dico 3. Reductio est, cum syllogismus imperfectus ad aliquem ex perfectis reducitur. Dupliciter id fieri potest: ostensive nimirum, & ad impossibile. Circa reductionem ostensivam, cum quatuor sint modi syllogismorum perfecti, ex superius traditis, scilicet *Barbara*, *Celarent*, *Danii*, *Ferio*; ut magis clare ostendatur veritas conclusionis, si forte negata fuerit, quilibet modus imperfectus ad unum ex perfectis hisce quatuor reducatur; & quidem ad illum, cum quo communem habet primam litteram, v. g. Baralipton, qui incipit litera B, reducatur ad *Barbara*, qui etiam incipit litera B; Celantes ad *Celarent*; & inferatur vel conclusio negata, vel saltem ejus convertens, ex qua illa legitime sequitur.

Dico 4. In modis imperfectis considerandæ sunt illæ quatuor consonantes, nimirum S, P, M, C. Littera S, indicat, propositionem notatam per vocalem sibi antecedentem, convertendam esse simpliciter, ut fiat reductio ostensiva. P vero, convertendam esse per accidens. M, mutandum esse ordinem, idest transportandam majorem in minorem, minorem vero in majorem: & quia cum M, fere conjungitur S, ideo denotatur, propositionem, quæ signatur per litteram, quæ est immediate antecedens, convertendam etiam simpliciter: & ubi habetur etiam P, convertendam præterea esse per accidens, ut in *Fapesmo*. C, in medio dictionis positum, significat, non posse modum illum reduci reductione ostensiva, sed reducendum reductione per impossibile, de qua infra. Quæ regulæ illis quasi versiculis indicantur:

Simpliciter verti vult, S: P, vero per accid:

M, vult transponi: C, per impossibile duci.

Exemplum sit syllogismus in *Cesare* reductus ad *Celarent*. *Cesare:*

*Ant. Forti.*

*Nul-*

*nullum vitium est amandum : sed omnis modestia est amanda : ergo nulla modestia est vitium .* Reducendus est ad Celarent , quia incipit litera C : & quoniam vox illa *Cesare* in medio habet S , post literam E ; ideo propositio major universalis negativa , quam denotat litera E , quæ est ante S , convertenda est simpliciter , idest per conversionem simplicem : & sic fiet syllogismus in Celarent : *nullum amandum est vitium : sed omnis modestia est amanda : ergo nulla modestia est vitium .*

*Proprietates syllogismi quoad reductionem ad impossibile.*

XII. Dico 5. Reductio hæc dicitur ad impossibile , seu per impossibile , quia cogit adversarium , qui forte , concessis præmissis alicujus syllogismi imperfecti , conclusionem negaverit , ad concedendas duas propositiones contradictorias , vel contrarias , ex quibus facile deduci poterunt propositiones contradictoriæ . Quilibet modus imperfectus ad unum ex quatuor perfectis est reducendus , vel scilicet ad Barbara , vel ad Celarent , vel ad Darii , vel ad Ferio . Pro qua regulâ notandæ tres illæ voces : nesciebatis , oriebar , letareromanis , seu : nEſcIEbAtIs : OrIEbAr : lEtArErOmAnIs . Quarum prima vox per quinque vocales , quas continet , quinque modos indirectos primæ figuræ significat , scilicet E , Baralipton : I , Celantes : E , Dabitis : A , Fapesmo : I , Frisefomorum . Secunda vox per suas quatuor vocales , ordine item suo , quatuor modos secundæ figuræ indicat . Tertia eodem ordine sex modos secundæ figuræ per suas vocales designat . Ex his omnibus modis illi , qui correspondent in his vocibus vocali A , reducendi sunt ad Barbara : qui correspondent E , reducendi sunt ad Celarent : qui correspondent I , reducendi sunt ad Darii : qui correspondent O , reducendi sunt ad Ferio . His prænotatis ,

Dico 6. Illud est artificium reductionis ad impossibile : si in prima figura sit syllogismus reducendus , formetur contradictorium conclusionis negatæ , & ponatur pro majore syllogismi perfecti de novo construendi : tum , quæ erat major syllogismi imperfecti , fiat minor in perfecto , & deducatur debita conclusio , quæ quidem vel contradictoria , vel contraria erit minori concessæ in syllogismo imperfecto . Verum ab hac regula excipiantur Celantes : si enim Celantes reducendus sit , pro minore syllogismi

*Phil. Neg. Summ.*

H

per-



perfecti adhiberi debet contradictorium conclusionis negatæ: pro majore vero minor ejusdem syllogismi imperfecti: pro conclusione contrarium minoris concessæ. Exemplum sit syllogismus in *Fapesmo* reductus ad impossibile. *Fapesmo: omnis homo est rationalis: sed nullus lapis est homo: ergo aliquod rationale non est lapis.* Si quis, concessis præmissis, negaverit consequentiam, sumendum est contradictorium conclusionis negatæ, quod ab adversario negari non poterit, ex suppositione, quod negaverit secundam propositionem contradictoriam; tum hoc contradictorium ponendum est pro majore syllogismi perfecti construendi, hoc modo: *omne rationale est lapis:* deinde ponenda pro minore major syllogismi imperfecti jam concessæ, quæ erat: *omnis homo est rationalis:* & inferendum: *ergo omnis homo est lapis.* Quæ nova conclusio est contraria minori concessæ in syllogismo imperfecto, quæ erat: *nullus lapis est homo.* Quæ propositio per conversionem simplicem evadit: *nullus homo est lapis.* Quæ propositio est immediate contraria conclusioni illatæ in novo syllogismo perfecto, qui fuit in *Barbara:* *omne rationale est lapis: sed omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est lapis.* En in quas angustias reductio hæc conijcit adversarium!

XIII. Dico 7. Si in secunda figura sit modus reducendus ad impossibile, relinquatur major, quæ erat syllogismi imperfecti; & ponatur pro minore contradictorium conclusionis negatæ; tum inferatur contradictorium majoris jam concessæ. Exemplum sit syllogismus in *Cesare* reductus ad impossibile per *Ferio.* *Cesare: nullus homo est animal: sed omnis equus est hinnibilis: ergo nullus equus est homo.* *Ferio: nullus homo est hinnibilis: sed aliquis equus est homo: ergo aliquis equus non est hinnibilis.*

Dico 8. Si in tertia figura sit syllogismus reducendus ad impossibile, ponatur pro majore contradictorium conclusionis negatæ: relinquatur eadem minor invariata, & inferatur contradictorium majoris concessæ. Exemplum sit syllogismus in *Brocardo* reductus per impossibile ad *Barbara.* *Brocardo: Aliquis homo non est niger: sed omnis homo est animal: ergo aliquod animal non est nigrum.* *Barbara: omne animal est nigrum: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est niger.* Excipitur ab hac regula Felapton, in quo, ut ipse reducatur ab *Barbara*, fiat major contradictorium conclusionis negatæ, relinquatur eadem minor, & inferatur contrarium majoris concessæ. Quæ regulæ illis carminibus suggeruntur:

Ma-

Major fit minor , & contradictoria major  
 In prima : verum in Celantes vertitur ordo.  
 Servat majorem , variatque secunda minorem .  
 Tertia majorem variat , servatque minorem.  
 Haëenus de argumentatione syllogistica in universum . Dein-  
 ceptus erit

*De Argumentatione syllogistica in specie , seu de syllogismo  
 in particulari , tum legitimo , tum fallaci.*

### A R T I C U L U S III.

De syllogismo legitimo in particulari.

*Primo , de syllogismo expositorio . Secundo , de obliquo . Tertio ,  
 de modali . Quarto , de disjunctivo . Quinto , de con-  
 ditionali . Sexto , de causali . Septimo , de  
 truncato . Octavo , de ab induëtione .  
 Nono , de ab exemplo . Deci-  
 mo , de dilemmate .*

XIV. **D**ico 1. Prætermissa turba syllogismorum , varia ra-  
 tione materiæ , formæ , qualitatis , & quantitatis ;  
 præcipuas syllogismorum species explicamus.

*Prima species, syllogismus expositivus,*

Est syllogismus indicativus , qui , cum rem veluti ob oculos  
 exponat , nuncupari etiam solet syllogismus sensibilis : & est , qui  
 constat medio termino singulari : atque in omni figura formari  
 potest . Ille , si fiat in prima , vel secunda figura , non solum me-  
 dium , sed & extrema contineat pure singularia ; alioqui non be-  
 ne concludet . Hoc vitio peccat sequens syllogismus : *aliquis ho-  
 mo non est Petrus : sed hic homo est Petrus : ergo hic homo non est  
 aliquis homo* . Si vero fiat in tertia figura , satis est , si solum me-  
 dium habeat pure singulare , v. g. *Petrus currit : sed Petrus est  
 albus : ergo aliquod album currit.*

*Secunda species, syllogismus obliquus,*

Est syllogismus , qui medium , vel extremum aliquod habet in  
 casu obliquo , licet semper subintelligatur aliquod rectum , v. g.  
*omnis creatura est ab alio : sed homo est creatura : ergo est ab alio.*  
 Subintelligitur, dependens.

*Tertia species, syllogismus modalis,*

Est syllogismus, qui unam, vel utranque præmissam modalem habet: conclusionem vel modalem, vel absolutam inde deducit, v. g. *hominem salvari possibile est: sed Petrus est homo: ergo Petrum salvari possibile est.*

*Quarta species, syllogismus disjunctivus,*

XV. Est syllogismus, qui, in maiore propositionem disjunctivam proponens, in minore, altera parte disjuncti affirmata, vel negata, alteram in conclusione vel negat, vel affirmat, v. g. *vel est dies, vel est nox: sed non est dies: ergo, est nox.*

*Quinta species, syllogismus hypotheticus, seu conditionalis,*

Est syllogismus, qui dupliciter fieri potest: primo ita, ut maiorem conditionalem, minorem habeat absolutam: & tunc conclusio absoluta esse debet: sive illa ex affirmatione conditionis, affirmationem effectus conditionati inferat; sive ex negatione effectus conditionati, negationem conditionis deducat: secundo, ita, ut utranque præmissam conditionalem contineat; & tunc conclusio esse debet conditionalis. Primi generis exemplum sit: *si curris, moveris: sed curris: ergo moveris.* Vel viceversa: *si curris, moveris: sed non moveris: ergo non curris.* Exemplum secundi generis sit: *si doctus eris, laudaberis: sed, si studueris, doctus eris: ergo, si studueris, laudaberis.*

*Sexta species, syllogismus causalis,*

Est syllogismus conditionali affinis, ad quem reducitur. Jam ille est, qui rei causam continet, seu propositionem, quam logici causalem appellant, v. g. *equus, quia non est rationalis, non habet principium discurrendi: sed lapis non est rationalis: ergo lapis non habet principium discurrendi.*

*Septima species entymema,*

XVI. Est syllogismus truncus, cui nimirum desit una præmissa, quæ tan.en inter disputandum subintelligitur: v. g. *sol est: ergo dies est.* Subintelligitur una præmissa, nimirum: *cum sol est in horizonte, est dies: sed nunc sol est in horizonte: ergo nunc est dies.*

*Octava species, syllogismus ab inductione,*

Est syllogismus, quo, a singularibus sufficienter enumeratis, ad universale progredimur, v. g. *Melampus est quadrupes: sed*

Ly-

*Lycisca est quadrupes, & sic de singulis canibus: erga omnis canis est quadrupes.*

*Nona species, syllogismus ab exemplo.*

Est syllogismus, quo ab uno, vel altero singulari ad aliud argumentando proceditur. Quod quidem fieri potest: primo a minore ad majus: secundo a majore ad minus: tertio a pari. Primi generis exemplum sit, v. g. *puer debilis jejunit: ergo, & vir robustus poterit jejunare*. Secundi generis exemplum sit: *Angeli non penitentes damnantur: ergo, & homo, nisi penitenti am egerit, damnabitur*. Tertii generis exemplum sit: *Petrus studeo evasit doctus: ergo, & Paulus, si studuerit, doctus evadet*.

Dico 2. Hæc sane argumenta, ut patet, fundantur in identitate rationis: quæ ubi non aderit, ridiculum erit ab uno ad alterum argumentari: ut a baculo in angulo ad quodvis aliud: ubi tamen aderit identitas rationis, adeoque concesso *Tò*, ideo; deinde concedere unum, & negare alterum, quippe pro quo æque militat eadem ratio, erit non recte discurrere, sed potius insanire.

*Decima species, Dilemma.*

Seu syllogismus bicuspis, aut argumentum cornutum, ut illud vocat Aulus Gellius apud Levayer in schola principum, & nobilium, est syllogismus, qui duas habet partes, quarum unam si fugiat adversarius, altera impetatur necesse est, v. g. *vel percipis, quæ traduntur, vel non percipis: si percipis, quare non bene refers? si non percipis, quare non interrogas, ut ediscas?*

Dico 3. Omnes species argumentorum prædictæ principio illi innituntur: *quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se*: quia omnes reducuntur tandem ad syllogismum: atqui syllogismus tali principio innititur, ut dictum est articulo 1. assert. 4. num. 2. ergo & omnes species argumentorum prædictæ eidem principio innituntur.

## ARTICULUS IV.

### De syllogismo fallaci.

XVII. **D**ico 1. Syllogismus fallax dicitur, qui continet sophisma, quo sophisticus fallax, captiosus, vitiosus, inutilis nuncupatur. Hujusmodi syllogismorum fallaciæ ad duas classes reducuntur. Prima classis illorum est, qui, licet prima

ma fronte appareant boni, in dictionibus tamen, idest in vocibus dolum continent. Secunda classis illorum est, qui extra dictiones fraudem occultant. Loquendo igitur

*De fallaciis intra dictionem:*

Prima fallacia intra dictionem est æquivocatio, v. g. *omnis canis est latrabilis: sed aliquod fidus est canis: ergo aliquod fidus est latrabile*. Æquivocationem habet terminus ille *canis*, qui in majori canem verum animal, in minore canem cælestem metaphoricum significat.

Secunda fallacia intra dictionem est amphibologia, v. g. *quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele: sed hic tuus liber est logica Aristotelis: ergo tuus hic liber possidetur ab Aristotele*. Amphibologiam continet illa vox *est*: in majore enim significat esse possessive, idest sub dominio Aristotelis, in minore vero significat esse causaliter, idest quid compositum ab Aristotele.

XVIII. Tertia fallacia intra dictionem est accentus, v. g. *omnis populus est arbor: sed hæc multitudo hominum est populus: ergo hæc multitudo hominum est arbor*. In majore terminus ille *populus* primam syllabam longam habet; in minore brevem, & diversa significat.

Quarta fallacia intra dictionem est compositio, v. g. *quidquid est possibile, potest contingere: sed quod aliquis, qui non habet linguam, naturaliter loquatur, est possibile: ergo aliquem sine lingua naturaliter loqui, potest contingere*. Arguitur a sensu diviso ad sensum compositum: possibile enim est, ut loquatur ille, qui linguam non habet; in sensu tamen diviso, non autem in sensu composito cum defectu linguæ: scilicet loqui posset, sed tunc, cum linguam haberet.

Quinta fallacia intra dictionem est divisio, v. g. *impossibile est, oculos claudentem videre: sed tu nunc oculos claudis: ergo nunc impossibile est te videre*. Male arguitur a sensu composito ad sensum divisum. Impossibile est videre in sensu composito cum occlusionem oculorum: non autem impossibile est, ut, qui nunc clausos habet oculos, eos aperiendo, videat, videlicet ubi faciat sensum divisum ab occlusionem oculorum, & sensum compositum cum aperiuntur eorundem. Ad prædictam fallaciam spectat modus ille a sensu distributivo ad collectivum, v. g. *omnis homo vel est doctus, vel indoctus: sed non omnis est doctus: ergo omnis est indoctus*. In majore *omnis homo* sumitur in sensu distributivo, in mino-

minore vero in sensu collectivo, sicut etiam cum dicitur: *Apostoli sunt duodecim: sed Petrus, & Andreas sunt Apostoli: ergo Petrus, & Andreas sunt duodecim.*

XIX. Sexta fallacia intra dictionem est figuræ dictionis, cum scilicet, ob similitudinem duarum vocum, inferimus similitudinem rerum per ipsas significatarum: & sic fit transitus de uno ad aliud prædicamentum, v. g. *Ea, quæ in duabus tantum literis discrepant, in omni alia re sunt similia: sed frons, & pons in duabus tantum literis discrepant: ergo frons, & pons in omni alia re sunt similia.* Ad hanc fallaciam reducitur illa: *quod emisti, bibisti: sed merum sine aqua emisti: ergo merum sine aqua bibisti.* In maiore significatur substantia rei emptæ, in minore modus, idest qualitas; quæ sunt res valde diversæ.

*De fallaciis extra dictionem.*

XX. Dico 2. Prima fallacia extra dictionem, & quidem omnium subtilissima, dicitur fallacia accidentis, qua, ex Aristotele, fit, ut quod competit uni rei secundum aliquam rationem, illi assignatur secundum aliam rationem, secundum quam ei minime competit, v. g. *hoc frigidum est tua manus: sed nunc factum est hoc frigidum: ergo nunc facta est tua manus.* Non recte concluditur, quia hoc, quod est, *nunc fieri*, competit huic concreto, non ratione subiecti, quod est *tua manus*, sed ratione unionis cum frigore, quod est forma. Ad prædictam fallaciam reducitur etiam ille modus arguendi vitiosus: *omnis, qui credit Deum esse unum, verum credit: sed aliquis, qui credit Deum esse unum, credit Verbum non esse incarnatum: ergo aliquis, qui credit Verbum non esse incarnatum, verum credit: Tò, verum credit*, competit illi, quatenus credit, Deum esse unum, non quatenus falso credit, Verbum non esse incarnatum, vel alium articulum falsum.

Secunda fallacia extra dictionem est a secundum quid ad simpliciter: vel viceversa a simpliciter ad secundum quid: primi generis exemplum sit: *omnis bonus latro est bonus: sed Fulanus est bonus latro: ergo Fulanus est bonus: Tò, bonus*, quod convenit illi cum addito diminvente, scilicet *bonus latro*, eidem applicatur absolute, dicendo, illum esse absolute bonum, quod sonat bonum hominẽ; & est falsum, cum sit malus, si est latro. Secundi generis exemplum sit: *Æthiops est niger: ergo est niger secundum dentes: competit quidem Æthiopi esse nigrum, sed simpliciter; non autem, secundum quid, scilicet etiam secundum dentes.*

Ter-

XXI. Tertia fallacia extra dictionem est petitio principii, cum scilicet vel assumitur id, quod est in quaestione: vel præterea probatur per se ipsum, aut per synonyma, solum mutatis vocibus. Nam, si probetur definitum per definitionem, vel per conceptum saltem hic, & nunc clariorem, optime inferitur. Exemplum hujus fallaciæ sit, si quis in aliquem, qui negaret cælum, esse rotundum, ita argueret: *Cælum est sphericum: ergo est rotundum.*

Quarta fallacia extra dictionem est ignorantia Elenchi, quæ fit, cum inferuntur duo, quæ apparenter, non vere sunt contradictoria: bonus enim Elenchus est, ex Aristotele, syllogismus inferens contra adversarium duo vere contradictoria. Hujus fallaciæ exemplum sit: *manducare, & non manducare, sunt contradictoria: sed tu manducas, dum vigilas; & non manducas, dum dormis: ergo manducas, & non manducas; adeoque de te verificantur duo contradictoria. Manducare, & non manducare, ut sint contradictoria; sicut, & alia omnia similia; debent esse ejusdem, de eodem, secundum idem; si nimirum subjectum, cibus, tempus, & reliquæ circumstantiæ sint omnino eadem, non autem si variantur, ut hic variatur tempus.*

XXII. Quinta fallacia extra dictionem est consequentis, cum scilicet aliquid inferitur, non servatis regulis bonæ consequentiæ: v. g. si quis ex termino superiore velit inferre inferiorem, dicendo: *equus est animal: ergo est homo.*

Sexta fallacia extra dictionem est secundum non causam, ut causam: cum scilicet assignatur non causa, pro causa, v. g. *Petrus est musicus, & ædificat: ergo musica docet ædificare.* Quavis Petrus sit musicus, & ædificet, musica tamen non est causa ædificationis, sed impertinenter ad illam se habet.

Ad prædictam fallaciam spectat ille modus argumentandi vitiosus, & alii similes: *si nullus homo dormiret, omnes homines vigilarent: sed, si nullus homo existeret, nullus homo dormiret: ergo, si nullus homo existeret, omnes homines vigilarent.* Sophisma latet in majore, quæ assignat causam vigiliæ non adæquatam, sed inadæquatam: causalis enim adæquata vigilantiae esset, & haberi defacto homines, & præterea eos non dormire.

XXIII. Septima fallacia extra dictionem est plurium interrogationum, cum scilicet plura per unicam interrogationem adversarius proponit, ut fallat: cui nonnisi per plures respon-

*Ant. Forti.*

sio-


fiones satisfaciendum: v. g. *tu, & tuus canis estis rationales, ut ne? si affirmes; ergo tuus canis est rationalis: si neges; ergo tu non es rationalis*. Respondendum erit duplici responsione, per distinctionem: me esse rationalem, concedo: meum canem esse rationalem, nego. Præterquam quod responderi possit, negando simpliciter, puta; si interrogatio fuerit conjuncta; quia, ex dictis disp. 2. præcedente artic. 3. dicto 5. n. 12. ut simpliciter falsa sit hæc propositio conjunctiva: *tu, & tuus canis estis rationales*; sufficit, si canis non sit rationalis.

Dico 3. Omnibus syllogismis fallacibus vel poterit, concessis præmissis, negari consequentia: & deinde detegi fallacia: & assignari quatuor termini, ubi opus erit: vel poterunt distingui præmissæ, juxta varium sensum, quem continent: & deinde negari consequentia. Qui secundus modus videtur magis usitatus: ne fortasse pusilli, aut ignorantes scandalizentur, ubi audierint, concedi præmissas, & negari deinde consequentiam.

Quod si distinguendum sit in conclusione, dicatur: distinguo consequens: concedo deinde, vel nego consequentiam.

Et ratio est, quia in argumenti conclusione duo considerari possunt: primo nimirum, propositio illata secundum se, quæ dicitur consequens: secundo, illatio, seu connexio dictæ propositionis cum præmissis, unde deducitur; quæ dicitur consequentia.

Hinc, quia propositio illata est æquivoca, & varios habet sensus; dicitur distingui Consequens: quia vero ejus connexio cum præmissis vel est simpliciter vera, vel simpliciter non vera, sed falsa; dicitur simpliciter concedi, vel negari Consequentia.





# PHILOSOPHIÆ

N E G A T I V Æ

L I B E R S E C U N D U S .

L O G I C A .

**S**ummis, quas, libro primo, prælibandas tyronibus proponavimus, ceu Logicæ cuidam minori, Logicam nunc paulo majorem adjungimus. Et quoniam, ex Aristotele, ut absoluta perfectaq; cujusvis rei tractatio sit, investigare oportet ejus essentiam, possibilitatem, existentiam, divisionem, proprietates, causas, effectus; hæc de Logica nobis erunt examinanda, juxta scholarum nostrarum consuetudinem. Quem utique invariaturum semper nos sentimus ordinem, dum aliquid, pro modulo nostro, seu rhetorice, seu philosophice, sive theologice scripsimus; quippe & peripateticam, & addiscentium facilitati methodum præ ceteris consentaneam.

Jam quadrifariam dividimus totam Logicam: prima pars erit clavis philosophiæ negativæ: secunda pars erit de Logica secundum se: tertia pars de objecto Logicæ in genere: quarta pars de objecto Logicæ in specie.

In prima parte, probare, pro tenuitate nostra, conabimur, & quidem tum exercite, tum signate; philosophiam pure humanam, sibi relictam, in argumenta Negativa passim resolveri. Ad quod principale assumptum, per totum deinde philosophiæ nostræ progressum, quippe post præcipuas fere disputationes, persæpe digrediemur, subiecta brevi quadam analysi, quæ tum supra rationes nostras reflectat, tum supra rationes, quas ipsimet asserunt adversarii.

In secunda parte, de Logica secundum se, videbimus, quid sit Logica, an possibilis, an existens; unde sit: & quotuplex: & in quo illa reperiatur. Quænam ejus proprietates; scilicet, an sit ars, an virtus, an scientia, an simpliciter practica (ubi quid importet, cognitionem aliquam esse practicam; quid, esse speculativam) an Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas.

In

In tertia parte, de objecto Logicæ in genere (quod putamus, esse propositionem passive rectam) videbimus, quodnam sit objectum Logicæ proximum, & per se: puta, quodnam materiale, formale, attributionis; & attributi.

In quarta parte, de objecto Logicæ in specie, agendū de primariis speciebus propositionum: nimirū de propositione in materia possibili, & impossibili: ubi de ente rationis logico, & metaphysico. De propositione universali, & particulari, seu singulari: ubi de unitate, & pluralitate; idētitate, & distinctione, qua independenter, qua dependenter ab intellectu: deque universali tum in genere, tum in specie: & hic de creatura immultiplicabili. De propositione comparativa, seu relativa: ubi de relatione. De propositione vera, & falsa: ubi de veritate, ac falsitate formali. De propositione syllogistica: ubi de syllogismo, tum in communi, tum demonstrativo, tum probabili: adeoque de scientia, de opinione, de fide humana. Tandem de propositione vocali, & vocum significatione.

## LOGICÆ PARS PRIMA.

### CLAVIS PHILOSOPHIÆ NEGATIVÆ,

seu

*Disputatio prima, necessario prælegenda.*

### ARTICULUS PRIMUS.

Quo tandem aliquando resolvi oporteat philosophiam  
pure humanam, sibi relictam.

**I** Dico 1. Quidquid habet philosophia pure humana, sibi relictā, idēst præcindendo a revelatis, vel *Supponitur*, vel tandem aliquando *Negative* probatur. Hoc est assumptum totius nostræ philosophiæ, unde ei nomen fecimus NEGATIVÆ: illud prima fronte videtur asperum: at, si funditus introspectatur, præsertim a viris doctis, animique passione minime præoccupatis; haud facile fortasse negabitur: vel saltem non admodum difficile persuadebitur: quanvis enim adhuc nemo (quod sciam) illud

illud expresse tradiderit cui talem fallor, forte non extitit inter-  
no sapientiorum suffragio penitus destitutum; testibus viris eru-  
ditissimis, quos, ne proprio iudicio fiderem, hac de mea opinio-  
ne consultos volui: Jam antequam probetur assertio, præmitto,  
me non negare, syllogismos non raro positivos affirmari, vide-  
licet ex præmissis, & consequentia affirmativis: neque enim adeo  
memoria laboro, ut exciderim quæ didici ubi vix logicam pri-  
mo e limine salutavi: quæque docui in *summu. disp. 3. artic. 8. assert. 8. v. 8.* syllogismos videlicet positivos esse septem ex peri-  
pato celebres, in Barbara, Darii, Baralipton, Dabitis, Darapti,  
Disamis, Datisi. Quod contendo, illud est: ut efficaciter ad-  
versarius convincatur, dum inter disputandum verbo, scriptove,  
inordicis remittendo, denegat propositiones, & argumenta,  
quibus impetitur; tandem aliquando rem totam in *Argumentum*  
aliquod *Negativum* reduci, resolvique oportere: nec ultra pro-  
cedi posse: & ita defacto agere tum nos, tum reliquos omnes;  
eos etiam, qui se argumenti negativi juratos hostes orerentur pro-  
fitentur. Negativo autem argumento probari dicitur, ne quæ-  
stio sit de *vocabulo*, quidquid, *v. g.* probatur esse possibile, præ-  
cise quia non apparet repugnans: vel quidquid probatur non da-  
ri defacto, præcise quia nulla apparet necessitas, aut solidum fon-  
damentum asserendi, quod illud defacto existat, quanvis alioquin  
possibile reputetur: vel quodcunque aliud simili modo probetur:  
puta quidquid probatur per aliquem syllogismum, cujus medius  
terminus sit negativus, petitus videlicet ex *non apparentia*, ni-  
mirum, *non apparens*, & quidem, vel non apparens, quoad abso-  
lute, & simpliciter essendum; vel quoad essendum respectivo, &  
secundum quid: adeoque cujus syllogismi alterutra præmissarum  
sita sit in alicujus objecti *non apparentia*: quæ ideo communiter  
dicitur præmissa negativa: indeque argumentum construï negati-  
vum; sive de cætero negativis, sive positivis terminis, ac phra-  
sibus proponatur. Effet *enimvero* puerilis error, existimare, con-  
clusionem positive probari per hoc præcise, quod ejus ratio pro-  
ponatur sine particula non, & absque omni alia voce synonyma,  
aut prorsus æquivalente, quanvis vim significandi contineat ne-  
gativam.

.. II. Assertio probatur: quidquid habet philosophia: pure hu-  
mana, sibi relicta, tandem aliquando vel est primum principium  
vel conclusio: quæ possit quandoque, & ipsa deinde assumi in  
prin-

principium, non tamen absolute, & simpliciter primum; sed respective, & secundum quid, scilicet in præmissam ad aliam conclusionem inferendam: atqui, si est primum principium; supponitur: si est conclusio; tandem negative probatur: ergo quidquid habet philosophia pure humana, sibi relicta, tandem aliquando, vel supponitur, vel negative probatur. Major non videtur indigere probatione. Minor probatur sequentibus assertionibus.

III. Dico 2. omne primum principium supponitur. Omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relicta, tandem negative probatur. Prima pars assertionis, probatur omne primum principium vel est mere probabile, vel est evidens, sed utriusque generis primum principium supponitur, ut mox videbitur: ergo omne primum principium supponitur. Secunda pars assertionis probatur: omnis conclusio per syllogismum deducitur. Sed quidquid per syllogismum deducitur, tandem negative probatur. Ergo omnis conclusio tandem negative probatur. Ergo, & omne primum principium supponitur: & omnis conclusio philosophiæ pure humanæ sibi relicta tandem negative probatur. Prioris syllogismi minor, & constat ex Aristotele prim. top. cap. 1. ubi ait: non enim oportet in disciplinæ principis inquirere propter quid, sed secundum unumquodque principiorum ipsam per se esse fidem: & claritatis gratia, probatur distincte sequentibus assertionibus. Itaque.

IV. Dico 3. Omne primum principium mere probabile, supponitur. Assertio probatur, quia, si illud aliunde probari posset, non esset absolute, & simpliciter primum. Atqui est absolute, & simpliciter primum, ex hypothesi. Ergo supponitur: & quidem, cum non sit evidens (est enim mere probabile) supponitur, quia immediate, id est ex ipsis terminis, verum existimatur quævis aliunde probari minime possit. Nam primum principium speculative probabile, ex Aristotele lib. prim. top. cap. 1. citato dicitur: quod videtur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus; atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis, seu, ut alii videntur: vel maxime familiaribus, & probatis. Unde D. Thom. 1. 2. q. 44. ex Aristotele pr. post. Si ergo sit aliqua propositio contingens mediata, oportet, quod reducatur ad aliquas immediatas. Non quidem, reducitur ad immediatas necessarias, quia necessaria non sunt principia contingentium, neque ex

ne-

*necessarius potest concludi contingens. Unde relinquitur, quod sit aliqua propositio immediata contingens, & aliqua mediata.*

His congruit doctrina, quæ colligitur ex *Sev. Boet. lib. prim. differentiar. topic.* ubi docet, quod veteribus, probabiles eę sententiar, ex consensu cōmuni, dicebantur, quibus sponte, atque ultro cōsensus adjuugebatur, sive facile animus auditoris consentiret, & acquiesceret, ut nulla probatione egerent. Et harum multa genera erant: sive quod dictum manifesto aliter esse non posset: sive quia experientia constabat, quod semper, vel fere semper fieri solerent: sive quia de condicō supponerentur; vel cōmuni hominum sensu, vel cōmuni sapientum traditione, vel horum sapientum plurium approbatione, vel maxime notorum, atque publice commendatorum auctoritate: vel prorsus eruditorum in unaquaque disciplina, & arte respective, attestatione: vel quia sic viderentur sermonem inter se mutuo cōferentibus, qui in illa consentirent.

V. Jam potest hujusmodi primum principium, primo esse tale, ut, ex ipsa apprehensione terminorū, appareat omnibus sanę mentis verum: adeoque prudenter supponendum, ut certum licet nō sit evidenter, metaphysice, essentialiter infallibile: adeo, ut illud profecto negare, quin etiam de eo dubitare, aut deliberate formidare, sit imprudens, & irridēda temeritas. Cujus generis principia sunt v.g. primo, nunc in Sicilia non omnes dormire, aliquos vigilare: secundo, nunc Ætnam esse, ubi erat anno præterito, non alio translatus: tertio, non dari distinctionem ineffabilem, aut virtutalem, aut aliud æquivalens, cujus beneficio semota contradictione, res simul esse, & non esse queat: & similia.

Vel potest 2. primum principium probabile esse tale, ut non omnibus, licet sanę mentis, sed aliquibus tantum appareat, ex ipsa apprehensione terminorum, prudenter certo supponendum ut verum: atque adeo possit idem aliis, etiā sanę mentis, ex ipsa apprehensione terminorum, non apparere tale, immo apparere certo supponendum, ut falsum, prudenter philosophando: jam cujuscunque classis sit tale principium, illud sane evidens non erit, cum, ex hypothesi, sistat intra cancellos meræ probabilitatis; adeoque solum probabiliter supponatur; cum nec probetur esse falsum, nec probetur esse verum: si enim probetur esse falsum; probatur male assumi, ut primum principium: si aliunde probetur esse

ve-

verum; probatur non esse principium absolute, & simpliciter primum. Coherenter ad hæc docuit Aristoteles, contra negantes prima principia, disputandum non esse: cum enim contingat non raro, ut una schola supponat aliquod, ut primum principium probabile, cujus e diametro oppositum, item ut primum principium, supponat altera schola contraria; statim ac eo pervenerint disputando, nisi alterutra probet aliunde, assumptum esse falsum, neutra poterit alteram argumentando convincere, per hoc præcise, quod illud gratis assumatur: assumitur enim, quia illis considerantibus, immediate verum, quantumvis probabiliter, non evidenter, apparet ex ipsis terminis: nec aliunde convincitur falsitatis: quod idem dicere poterit pro opposito assumpto adversarius, nisi aliunde vincatur falsi. Itaque conveniendum prius in principiis, ut possit cum aliquo non incassum disputari: sicut enim, quibusdam præsuppositis, quasi ligato hoste, atque una manu pressa, facile poterit altera vulnerari: ita nisi aliqua præsupponantur, quibus utraq; pars acquiescat, neutra poterit alteram non irritis conatibus perurgere. Hinc argumenta ex paritate, seu identitate rationis, & quæ, ad hominem, vocant, ex coherentia, magno cum plausu excipiuntur, & non leve faciunt negotium adversariis.

VI. Quandoquidem, si propositio aliqua afferatur ut conclusio deducta præcise ex vi alicujus rationis: & ex una parte talis ratio militare etiam videatur in alio casu: ex alia vero parte non appareat disparitas, cur ratio, quæ alioqui videtur eadem, contracta in alio determinato subiecto, non idem inferat; si supponatur illud principium probabile: *omne, non apparens dispar, par est quo ad illationes*; tenetur defendens eodem modo concedere consequentiam in utroque casu v. g. ideo homo est videns, præcise quia habet visionem. Sed, si visio ponatur in lapide, lapis est habens visionem: ergo, si visio ponatur in lapide, lapis est videns. Cui syllogismo si concedatur absolute, & adæquate causalis, cum sit identitas rationis, in hypothese, qua loquimur, sequatur oportet conclusio: quia, si concedantur duo esse idem inter se, præcise quia in præmissis affirmantur esse omnino idem cum uno tertio; si pariter in aliis, vel in iisdem præmissis affirmantur alia duo esse omnino idem cum eodem, vel cum aliquo alio tertio; dicenda pariter erunt esse idem inter se. Jam paritas, id est identi-

tas rationis affirmat C, D, esse idem omnino cum uno tertio, ut A, B, idem omnino cum uno tertio: concludendum igitur (in hypothefi, qua loquimur) C, D, esse idem inter fe, ut A, B, idem inter fe sunt, ex eadem ratione. Et si negari velit conclusio, ut neganda est in syllogismo propositio; neganda erit causalis absolute, & adæquate loquendo: homo enim habens visionem, non est videns, præcise quia habet visionem, sed quia & habet visionem, & præterea supponitur capax recipiendi ab illa denominationem videntis, idest constituendi cum illa hoc concretum: homo hic, & nunc habens talem visionem; quæ capacitas non supponitur in lapide: ideoque non militat pro lapide adæquata causalis, sed habetur disparitas, & dispar ratio, cur scilicet hoc, quod est habere visionem, in homine præstet effectum formalem videntis, non vero eundem effectum formalem præstet in lapide: quæ quidem disparitas nisi eluceret, discurrendum esset eodem modo, in hypothefi, qua loquimur, ex vi paritatis, quæ omnino præsumi deberet, licet latere fortasse posset aliqua disparitas. Dixi, in hypothefi, qua loquimur, supposita nimirum, ut primum principio speculative probabili; illa propositione, quæ communiter assumitur: *omne non apparens dispar, par est quo ad illationes*: nam nisi propositio prædicta, ut primum principium supponatur: sed vel supponatur, ut primum principium, propositio contradictoria, scilicet, *omne non positive apparens dispar, nec positive apparens par*; *dispar est, quo ad illationes*: vel propositio media, *omne non positive apparens dispar, nec positive apparens par*; *neutrum est, quo ad illationes*; in ordine ad nos; utique argumentum ex non apparentia disparitatis, & ex non apparentia paritatis, vel inferet potius disparitatem, vel neutralitatem, quo ad intellectum, idest suspensionem iudicii, quam paritatem.

Si vero propositio aliqua afferatur, non ut conclusio, sed ut primum principium speculative probabile; dico non valere argumentari contra illam ex paritate: disparitas enim erit experientia, qua assumens experitur, sibi propositionem aliquam, non evidentem, apparere veram ex ipsa apprehensione terminorum: alteram vero propositionem ipsimet non ita apparere veram.

VII. Itaque veluti latrunculariam exercet, aut similem procludit ludum ingeniorum, qui in arte se exercet humanæ philosophiæ: nam sicut in latrunculorum tabula, & alio quovis huiusce generis certamine, ut ultro citroque pugnari possit, prius

*Ant. Forti.*

*ordi-*

ordinandus est utrinque campus; præsuppositis quibusdam, & assignato cuique latrunculorum proprio nomine, munere, loco, & ritu, modoque depræliandi, saltandique, in ordine ad quæ nulla sit controversia; adeo ut, postquam in his omnibus duo colludentes ultro convenerint, possint non incassum pugnare ancipiti Marte, cum metu iacturæ, speque victoriæ: nisi in iisdem convenerint, sed nolint fervare ludi vocabula, ritus, statuta; nunquam possint ad invicem debellari: quia ubi unus alterum urgeat, hic saltabit intempestive extra chorum, certabitque extra ordinem, & contra leges: unde capeisset fugam latrunculus, nec unquam sinet se loco trudi; teneri, atque alterius prædam fieri: ita, ex dictis, ars humanæ philosophiæ: quæ & ludus ingeniorum est: non tamen frustra institutus, sed ut inde recte discurrere disceret, & assuesceret humanus intellectus, argumentari, sese defendere contra adversariorum insultus, in aliis materiis, etiam seriis, & moralibus, & theologicis, & civilibus, & canonicis, qua publicis, qua privatis: ut nec frustra latrunculorum ludus, similesque, seu potius præexercitamenta ad bellandum sunt instituta; verum, ut hac etiam via ediscant homines, & assuescant, non inconsultos, & palabundos, ritu caprarum, sed modo humano, scilicet non sine bellicæ artis præsidio, industria, stratagemmatis præliari, ubi in rei publicæ, vel privatæ utilitatem veris armis oporteat in campum procedere. Est enim vero in omnibus ars bellandi, eadem: variatis duntaxat materia, phrasis, ac vocabulis, quippe in omnibus homini pugnandum, ut homo est: secus, non hominem agit, sed beluam: quomodo autem militet homo, ut homo est, nisi syllogizando, videlicet discurrendo, adhibito in omnibus ratiocinio? Audi Salomonem loquentem de vera philosophia, *proverb. cap. 24. v. 5. & 6.* quod nos ponderavimus in *theopolitica physiognomonica paradiasmate* 1. *viri boni, præ sagitione 6. ex viribus, & incesu* [vir sapiens fortis est: & vir doctus robustus, & validus: quia cum dispositione initatur bellum: & erit salus, ubi multa consilia.]

VIII. Videant igitur, quam longe aberrant a vero, qui logicam, immo & philosophiam speculativam scholasticam universam humano convictui, rei que publicæ emolumento parum, aut nihil idoneam esse deblaterant. Quid, inquit, reipublicæ cum terminis, propositionibus, syllogismis, enthymematis, ac fallaciis? Quid politicæ, æconomicæ, aut monasticæ utilitati

Phil. Neg. Log.

K

cum



eum entibus rationis, cum præcisionibus intellectus, cum universalibus, categoriis, principiis, causis, ubi, quando, infinito, continuo, creaturis possibilibus controversis nescio quibus? Quid reipublicæ cum entibus, & non entibus, cumque formalitatibus, ac subtilitatibus metaphysicis (illis præsertim, quas veterum disputationibus addiderunt de novo recentiores) omnino vanis, phantasticis, inutilibus, solumque terendo temporis aptis, atque opportunis? Quid scholasticis philosophis cum reipublica? Medici profunt. Juris-periti consulunt rebus publicis, & privatis, juxta decantatum illud:

Dat Galenus opes, dat sanctio Justiniana:

Ex aliis paleas, ex istis collige grana.

Hos inter adnumera casuistas: quippe, dum alienæ prælucent utilitati, solerti dextera justitiæ bilâces proximum ita librare doceant, ut salvo æquitatis æquilibrio, unius juri nihil derogent, eum tamen alterius, proprio præsertim, ærario, qui hæc alios edocent, multum arrogant. Cæterum scholastici philosophi (hiscæ theologos adoptatos volunt speculativos) quid, altercando, vociferando, disputando, nisi aquas fodiunt, lapidea inarant, ventos demētunt? Hæc utinam equidem hisce auribus non audissem, cum risu, ni dicam stomacho! Nempe putant, qui talia in philosophiam congerunt maledicta, posse hominem sine discursu procedere humano modo in negotiis peragendis. Quid enimvero logica, quid tota vetus, ac recens philosophia, quantumvis speculativa, & scholastica, nisi ars, præexercitamentum, palæstra quædam facile, perfectæque discurrendi in omni materia? Nonne profecto insaniret, qui hominem aspiciens deditum molinariæ machinæ fabricandæ, ita irridendo reprehenderet? Quid hæc ad humanam vitam? Homo victu, potuque pascitur: non calce, lignis, mola, rotis, non istis, quibus præparandis instrumentis opes impendis, dies, noctesque consumis. De vobis narratur fabula quotquot de præexercitamentis discurrendi male meremini, dum isthæc profertis scommata adversus scholasticam speculativam, saltem temporis nostri, philosophiam; quam sane, qui sibi, aut aliis comparat, talem construxit machinam, cui quidquid moliendum commiserit, puta materiam seu politicam, seu bellicam, seu moralept., feliciter assequatur operæ pretium. Et quidem novimus, nostra etiam tempestate, eos passim, qui post emensum philosophiæ spatium aliis sese facultatibus tradiderunt

ab

ab humero, & sursum extolli supra ceteros ejusdem scientiæ professores ( modo in cavillos, atque sophismata non degenerent ) cum contra, qui vix bene logici aliis sese applicant disciplinis, non raro soleant, concessis præmissis, negare mordicus consequentiam. Quam ob causam non multis ab hinc annis rogatus quidam in hoc regno celeberrimus, mihi enixe commendavit, suo primogenito filio persuaderem, ut feci, integrum philosophiæ cursum absolveret, si vellet deinde in utriusque juris prudentia funditus erudiri, seque insignem reddere supra ceteros. Hæc de philosophia. Quod theologiam concernit, alibi dictum est. Unum tamen silentio præterire nullus possum. Scilicet, experientia, teste, impossibile esse, ut qui non profunde calleat speculativam scholasticam theologiam, sit, vel mediocriter quidem, theologus moralis, dogmaticus, canonista. Feret ad summum harum scientiarum tincturam, superficie tenus, plane levissimam. Universalia quædam, & in abstracto, quæ legerit in summissis, vix penetrabit: nec eadem poterit hic, & nunc casibus applicare, particularibus, qui per sæpe ex varietate legislatorum, personarum, temporum, locorum, rationum, motivorum, finium, circumstantiarum, diversas induunt formas, & substantialiter immutantur. Tandem, si aliquid eorum decisionibus obijciatur, hærent, hoc uno protecti clypeo, quod ita legerint apud talem authorem, ita repperint apud alium: & per sæpe authores inveniendi oppositos inter se, quo se vertant, penitus ignorant: quippe assertum vident: rationem non investigant, nec introspiciunt. Ex hæcenus tradita assertione,

IX. Dico 4. Immerito Ant. Goudinus *phys. par. 1. disp. 1. quest. 1. art. 3. §. 2. in fine*, inquit: *Argumenta ex paritate sunt levissima, & ad explicandum, quam ad persuadendum accommodatiora*. Hic author, crediderim, philosophicum argumentum ex paritate confundit vel cum argumentis penitus disparatis: vel cum similitudinibus, & exemplis quibusdam popularibus, perutilibus quidem ne dum in vulgus, verum etiam apud doctos; sed quæ neque faciunt ad rem præsentem. Enimvero dum arguitur paritate, vel habetur identitas, seu connexio rationis, vel non habetur. Si primum; asserere unum, non alterum, cum pro utroque militet eadem ratio, non est cohærenter ratiocinari. Si secundum; illa non est paritas, sed ineptia. Et sane paritas philosophica, primo non est præcise dicere: Petrus scribit, ergo

K 2

Paulus

Paulus dormit. Hoc esset ineptire, non argumentari, & discurre-  
 re: quæ enim connexio rei, aut rationis, præcise inter scrip-  
 tionem Petri, & cursum Pauli? Sane non nisi, quæ inter bacu-  
 lum in angulo, & cursum Pauli. Secundo paritas philosophica  
 non est, dicere: homo est arbor inversa: quatenus assimilatur ar-  
 bori inversæ: puta capillos habens sursum, quasi radices; alias  
 corporis partes, & plantas deorsum, quasi ramos: hac enim præ-  
 cise res explicari contenditur, non deduci. Tertio paritas phi-  
 losophica non est merum exemplum, v. g. si quis dicat: ut, si sal  
 evanescat, non est, in quo saliat; ita, si doctor erret, non est,  
 unde corrigatur: hæc enim, & similia sunt quædam explica-  
 tiones ad rerum abstrusiorum faciliorem intelligentiam: & sa-  
 ne laudabiles quidem, & tum a rhetoricis, tum a philosophis,  
 & theologis, etiam Sanctis Patribus, quin & in sacris paginis ab  
 ipso etiam Christo Domino, non inutiliter usitatæ. Sed non fa-  
 ciunt ad rem nostram. Quarto igitur paritas philosophica est,  
 quæ fundatur in identitate rationis: quæque ea propter vim ha-  
 bet vel inferendi consequentiam intentam: vel inferendi, quod  
 adversarius non bene discurrat: si videlicet ex ratione A, inferat  
 C, connexum cum illa: & ex ratione eadem inferat non B, sed  
 ejus oppositum, non obstante, quod B, connecti videatur  
 eum eadem ratione, eo prorsus modo, quo cum ea connectitur  
 C. Hoc siquidem est non percipere vim syllogismi, quo reducitur  
 paritas philosophica, utpote fundata in rationis identitate: ut  
 si quis ita arguat: Petrus est homo, ergo Paulus est homo. Pro-  
 bo consequentiam: ideo Petrus est homo, quia est animal ra-  
 tionale: atqui Paulus etiam est animal rationale: ergo, si Pe-  
 trus est homo, & Paulus est homo. Ecquis sanæ mentis reputet,  
 hunc, aut similem syllogismum esse levissimum, aut plane ineptum  
 ad inferendum? Quisquis est, penetratis terminis, &  
 affirmatis præmissis, neget, si sapiat, consequentiam. Ideo  
 quinto non videntur percipere vim talis argumenti, qui non-  
 nunquam assignant diversitatem aliquam, quæ non facit ad rem,  
 ut semel accidit mihi juniori, cum exteris quidam publice ar-  
 gueretur contra creaturam successivam possibilem ab æterno, quam  
 equidem propugnabam. Cum enim asseruissem, potuisse Deum,  
 ejusque intrinsecam æternitatem indivisibilem, ipsimet Deo iden-  
 tificatam, omnino immobilem, & invariata, correspondere  
 tempori, idest durationibus successivis creatis semper diversis,  
 fluen-

fluentibus ab æterno, ut etiam in æternum; ad eum modum, quo arbor, fixa ad fluminis ripam, correspondet partibus aquæ fluentibus successive semper diversis; respondit ille, disparitatem esse evidentem: siquidem, inquit, arbor habet frondes, Deus autem frondes non habet. Equidem hæc audiens obstupui. Theatrum, pro debito plausu, dedit cachinnos. Quod sane, nisi mihi accidisset, vix crederem.

Mirari non desino, Goudinum virum sane doctum, & eruditum, adeo hic de paritate malemereri, cum ipse passim argumentis utatur ex paritate: immo cum idem in hoc ipso paragrapho doctrinam Cartesii, quoad prima rerum principia, sic impugnet: *Demum esto ex doctrina hujus authoris explicari, aut potius imaginationi comprehensibilia fieri possent naturæ phenomena, non tamen propterea sequeretur, eam esse veram. Nam etiam aliis modis res a Deo fieri, & hominibus explicari possunt. Ptolemaeus, Copernicus, & Ticho Brahe contrarias, & inter se pugnantes hypotheses, quæ proinde simul veræ esse nequeunt, in astrologia constituunt, & tamen ex ijs quilibet astrorum phenomena explicare potest: quidni ergo a pari naturæ phenomena poterunt a viro ingenioso ex falsis suppositionibus declarari; præcipue cum nonnisi entium naturalium corticem, sensibus percipiamus?* Hoc argumentum sibi in fine 4. par. proponit quidem Cartesius, sed solvit solum ex quadam defectuosa paritate, quam ideo referendam, & impugnandam omitimus, quia argumenta ex paritate sunt levissima, & ad explicandum, quam ad persuadendum accommodatiora. At, bone Deus! Si argumenta ex paritate sunt levissima, ac proinde Cartesii responsio ex paritate, indigna etiam est, quæ referatur a Goudino; cur igitur in hoc eodem paragrapho non dedignatur Goudinus Cartesium impugnare argumento deducto ex paritate systematum, & hypothesium phenomenonorum apud astrologos, ad systemata, & hypotheses phenomenonorum naturæ apud physicos, de primis rerum principiis disceptantes? Quod, si fortasse dicat, paritatem Cartesii esse ineptam, quippe defectuosam; at non præcisè per hoc debuit contra omnem paritatem philosophicam incalescere. An quia fit unus homo defectuosus, ideo malus & inutilis omnis homo? Si ita res habet; per hoc præcisè, quod aliqui fiunt syllogismi defectuosi, nonnisi levissimum erit omne syllogisticum argumentum. At quid Goudino de hac ipsa paritate videri poterit?

Ve-

Verum huc digressos hactenus esse sit satis : non tamen tyronibus philosophiæ studiois supervacaneum , & inutile .

X. Dico 5. Omne primum principium probabile , si recte accipiat , fulciri intelligitur altera præmissa negativa , sita nimirum in alicujus objecti non apparentia . Assertio probatur , quia , cum tale principium , quippe mere probabile , non sit evidenter , metaphysice , essentialiter infallibile ; militat ex suppositione , quod aliunde non probetur , aut non constet , idest non appareat oppositum , quod quidem non evidenter metaphysice impossibile est ; ut in re sit , nosque latens , non appareat intellectui : adeoque eo res ultimo devolvitur , v. g. nisi constet oppositum , vere non omnes in Sicilia nunc dormiunt : vere Ætna mons non est alio translatus : sed nunc non constat oppositum , cum non appareat ratio asserendum casum rarissimum , aut affirmandi miraculum : ergo vere non omnes nunc in Sicilia dormiunt : vere Ætna mons non alio translatus existit.

Dico 6. Omne primum principium evidens , supponitur : quia , si aliunde probari posset , puta per præmissas , absolute , & simpliciter notiores , seu clariores , clarioritate majoris certitudinis ; non esset primum absolute , & simpliciter , ut patet . Hinc Sev. Boet. de differ. topicis lib. 1. inquit : *Propositionum quoque alia sunt per se nota , & quarum probatio nequeat inveniri : alia , quas tametsi animus audientis probet , eisque consentiat , tamen possunt aliis superioribus approbari . Et illa quidem , quarum nulla probatio est , maxima , ac principales vocantur , quod his illas necesse est approbare , quæ , ut demonstrari valeant , non recusant . Est autem maxima propositio , ut hæc . si de equalibus aequalia demas , quæ derelinquantur , aequalia sunt : ita enim hoc per se notum est , ut aliud notius , quo approbari valeat , esse non possit . Quæ propositiones , cum fidem sui naturæ propriam gerant , non solum alieno ad fidem non egent argumento , verum cæteris quoque probationis solent esse Principium .*

XI. Dico 7. Omne primum principium evidens , si recte accipiat , fulciri intelligitur altera præmissa negativa , sita in alicujus objecti non apparentia . Probatur : quia illud vel primo est evidens evidentia morali : vel secundo physica : vel tertio metaphysica . Si primo evidentia morali , cum hæc falli possit , licet valde raro , & difficile , reducitur ad illud primum principium :  
vera

vera est evidentia moralis, ubi non constat oppositum: quod quidem principium non est evidenter, & essentialiter infallibile, cum non sit evidenter tale, ut hic, & nunc in casu valde raro, & per accidens, non possit subesse falso: ergo supponitur, ut primum principium probabile, licet valde probabile, & probabilissimum, & prudenter assumendum, non tamen excedens limites meræ probabilitatis. Quod assumptum, ut inferat hic & nunc legitime consequentiam, ut major præmissa, conjungi debet alteri minori præmissæ negativæ, fundatæ nimirum in non apparentia, motivi sufficientis pro opposita parte, videlicet: sed hic, & nunc non constat oppositum: ergo hic, & nunc vera est evidentia moralis: ergo hic, & nunc in Sicilia vere non omnes dormiunt, aliqui vigilant.

XII. Si secundo, evidentia physica, cum & hæc falli possit, saltem miraculose, reducitur ad illud primum principium: vera est evidentia physica, sensuum testimonio suffulta, ubi non constat oppositum: quod quidem principium non est metaphysice & essentialiter infallibile, nec evidenter tale, ut hic, & nunc non possit falsitati esse obnoxium: quis enim merito neget, posse quandoque falli sensus nostros, saltem divinitus, etiam ad longum tempus? vel saltem quis id merito neget, ut evidenter falsum, ergo supponitur ut primum principium probabile, licet valde probabile, & probabilissimum, & prudens; non tamen excedens limites meræ probabilitatis. Quod assumptum, ad inferendam hic, & nunc bonam consequentiam, ut major præmissa, conjungi debet alteri minori præmissæ negativæ, fundatæ in non apparentia motivi sufficientis pro opposita parte, videlicet: sed hic & nunc non constat oppositum: ergo hic, & nunc vera est evidentia physica: ergo Ætna mons est, ubi oculis nostris videtur esse: non alio translatus, & solum apparens in solo antiquo.

XIII. Si tertio, evidentia metaphysica, hæc stare cum veritate partis oppositæ, si daretur distinctio ineffabilis, aut virtualis major, vel aliud æquivalens, quodcumque, & quaecumque illud sit, & quomodocumque vocetur, in ordine ad esse, & non esse: hujusmodi enim distinctio, si adsit in ordine ad esse, & non esse, conciliare poterit utranque partem alioqui contradictoriam: adeoque principia illa, quæ dicuntur prima principia metaphysica, nempe: quodlibet vel est, vel non est: non potest idem simul esse, & non esse: dici de omni, dici de nullo: quæ sunt eadem

dem uni tertio, sunt eadem inter se: totum est majus sua parte, possent non habere locum, si daretur talis distinctio, vel aliquid aliud æquivalens. Nam, si hæc detur inter duas conceptibilitates, seu virtualitates, seu formalitates, quæ identificantur, adeoque sunt unum, & idem; poterit una conceptibilitas, seu virtualitas, seu formalitas esse, altera non esse; adeoque idem simul esse, & non esse citra contradictionem, quomocunque res explicetur: in eodem sensu, quo in divinis Natura communicatur, Paternitas non communicatur, quanvis sint unum, & idem; poterunt duæ conceptibilitates, seu virtualitates, seu formalitates, esse: idem cum uno tertio, & tamen non esse idem inter se, absque ulla contradictione, quatenus poterit A, esse B, & B, esse C; & tamen A, non esse B; ita ut non valeret syllogizare: A, est B, sed B, est C, ergo A, est C; sicut, non valet in divinis: Pater est Deus, sed Deus est Filius, ergo Pater est Filius: nam, si potest idem esse, & non esse; poterit absque ulla contradictione, idem simul esse, & non esse idem: idem simul identificari, & non identificari cum eodem: adeoque idem extremum identificari cum uno tertio, & tamen non identificari cum altero extremo, quod extremum, quippe identificatum cum eodem tertio, sit idem cum dicto tertio: in quo casu idem erit tertium, & non erit extremum; quanvis tertium, & extremum sint idem; A, erit B, & non erit C; quanvis B, & C, sint idem; sicuti, juxta catholicum loquendi modum, Pater est Deus, Pater non est Filius; quanvis Deus, & Filius idem sint. Prima igitur principia, quæ dicuntur metaphysica, intelliguntur sensum habere conditionatum, ut sint essentialiter evidenter infallibilia, scilicet ex suppositione, quod hic & nunc non detur passim distinctio ineffabilis, aut virtualis, aut formalis, aut æquivalens capacitas, in ordine ad esse, & non esse: seu ex suppositione, quod id, de quo loquimur, sit idem omnino idem, absque ulla distinctione compossibili cum identitate: seu, ut alii loquuntur, ex suppositione, quod sit idem identitate pura, majore, intransitiva, aut alia æquivalente, quomocunque vocetur: seu, ex suppositione, quod sit una eademque omnino indistincta conceptibilitas, virtualitas, aut formalitas: ut enim manifeste, & evidenter contradictoria sunt esse, & non esse absolute, & simpliciter; aut esse, & non esse secundum quid, si sint ejusdem de eodem secundum idem; ita talia non sunt, nisi sint ejusdem de eodem secundum idem.

*Ant. Forti.*

XIV. Jam

XIV. Jam dictæ conditionis purificatio non est evidenter metaphysice essentialiter infallibilis, sed tantum probabilis, licet valde probabilis, & probabilissima, & prudens, non tamen excedens limites meræ probabilitatis: nam, quod hic & nunc, id, de quo loquimur sit idem omnino idem, sitque una conceptibilitas, v. virtualitas, seu formalitas omnino indistincta, ita ut non detur distinctio ineffabilis, seu virtualis, seu formalis, seu capacitas in ordine ad esse, & non esse, non est metaphysice evidens, cum non sit metaphysice evidens, metaphysice infallibile, quod hujusmodi distinctio repugnet, quodque defacto passim non detur.

Probo purificationem hujus conditionis, non esse evidenter essentialiter veram, & infallibilem metaphysice: non est evidenter, absolute & simpliciter falsum, quod, si detur in divinis hæc distinctio in ordine ad aliqua prædicata alioqui contradictoria, possit etiam dari in ordine ad esse, & non esse, ut fortasse, (ni fallor ex modo, quo ipsos scribere, loqui, suamque sententiam defendere non semel observavi) ab aliquibus re vera admittitur inter Deum, & ejus actum liberum, ac scientiam contingentem, quanvis id non intrepide, iustis de causis, clare & explicite fateri velint. Quia in sententia valde communi, & probabili, & nostra, multi ex hoc eodem absurdo, prædictam distinctionem, etiam in divinis, impugnant: quod, si illa dari posset in ordine ad aliqua prædicata alioqui contradictoria, posset etiam dari in ordine ad esse, & non esse: cum non minus sint contradictoria, communicari, & non communicari; producere, & non producere; produci, & non produci; quam existere, & non existere. Qui sane arguendi modus, ex connexionione per hanc sequelam, posita illa conditione, non est evidenter falsus, & improbabilis, sed suam habet probabilitatem. Atqui non est evidenter falsum, quod hæc distinctio, vel quid simile in ordine ad aliqua prædicata alioqui contradictoria, ut communicari, & non communicari, detur in divinis, immo probabiliter admittitur a multis theologis: ergo non est evidenter falsum, quod detur in divinis in ordine ad esse, & non esse. Sed non est evidenter falsum, quod, si prædicta distinctio detur in divinis, possit etiam dari in creatis: quia & admittitur probabiliter a plerisque; possibilis in creatis passim talis distinctio, vel distinctio ex natura rei formalis, vel aliud æquivalens, in ordine ad aliqua prædicata alioqui contradictoria,

Phil. Neg. Log.

L

pura



§ 3. *cognosci, & non cognosci; producere, & non producere; esse simile, & non esse simile; ex eo, quia datur in divinis: & negatur ab aliis, etiam probabiliter, in divinis, ex hoc eodem, quod nimirum, si posset dari in divinis, sequeretur, quod esset etiam possibilis in creatis: qui philosophandi modus pro utraque opposita parte non est evidenter falsus, & improbabilis, sed quam habet probabilitatem: ergo non est evidenter verum, quod, si praedicta distinctio detur in divinis, non possit etiam dari in creatis: ergo nec est evidenter falsum, quod, si possit dari in divinis haec distinctio in ordine ad esse, & non esse, possit etiam dari in creatis in ordine ad esse, & non esse: immo plerumque, ut & nos infra, probabiliter, etiam praescindendo a divinis, ex hoc ipso capite, praedictam distinctionem impugnant in creatis in ordine ad alia praedicata alioqui contradictoria, quaecunque illa sint; quod nimirum si dari possint duae conceptibilitates, virtualitates, aut formalitates identificatae, sed ita distinctae ineffabiliter, virtualiter, aut formaliter ex natura rei, aut modo aequivalente se habentes, ut conciliare possint duo praedicata alioqui contradictoria, in quantum, admissa tali distinctione, non essent ejusdem de eodem secundum idem, adeoque vere contradictoria non essent; ob eandem rationem, cum ita repugnantiam non involvant, sed tollant; dari etiam poterunt duae conceptibilitates, virtualitates, seu formalitates identificatae quidem, at ita ineffabiliter, virtualiter, aut formaliter ex natura rei distinctae, similive modo se habentes, ut conciliare possint haec duo praedicata alioqui contradictoria, scilicet esse, & non esse: cum tum illud sit, non minus esse inter se contradictoria, ut supra diximus, cognosci, & non cognosci; produci, & non produci; producere, & non producere; assimilari, & non assimilari; quam existere, & non existere.*

XV. *Breviter non est evidenter falsus hic syllogismus, immo suam habet probabilitatem: si possibilis esset distinctio ineffabilis, seu virtualis, seu formalis ex natura rei, aut quid simile in ordine ad alia praedicata, esset etiam possibilis in ordine ad esse, & non esse: sed non est possibilis in ordine ad esse, & non esse: ergo nec in ordine ad alia praedicata. Immo ita arguunt communiter contra praecisionem objectivam, & distinctionem virtuales, & formalem ex natura rei, qui illam esse possibilem negant. Nec est evidenter falsus hic alius syllogismus ex eodem principio infer-*

**Inferens oppositum** : si possibilis est distinctio ineffabilis, seu virtualis, aut quid simile in ordine ad alia prædicata, est etiam possibilis in ordine ad esse, & non esse : sed est possibilis in ordine ad alia prædicata : ergo & in ordine ad esse, & non esse. Cujus major præmissa eadem est, ac superioris syllogismi. Minor vero non est evidenter falsa, sed suam habet probabilitatem, & communis est apud eos, qui præcisionem objectivam, aut distinctionem virtuales, seu ex natura rei formalem, vel quid simile æquivalens admittunt, non solum possibile, verum & defacto, etiam in creatis passim. Consequentia est legitima. Igitur non est metaphysice evidens, quod distinctio virtualis, aut quid simile in ordine ad esse, & non esse, sit impossibilis.

**XVI.** Quod autem, si non sit impossibilis talis distinctio, non detur passim defacto, ita ut vel quælibet conceptibilitas, virtualitas, seu formalitas sit in infinitum divisibilis in duas semiconceptibiles, virtualitates, seu formalitates sine fine; quarum una existat, altera non existat; una correspondeat affirmationi, altera negationi; & distinguantur ineffabiliter, virtualiter, seu formaliter præcise, quia dicunt ordinem ad diversam affirmationem, & negationem existentiae; quod, inquam, prædicta distinctio, aut similis non detur passim defacto, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibile: & si probari velit, illam non dari, assumi debet illud principium, scilicet: vere datur omni-modæ identitas, unaque conceptibilitas, virtualitas, seu formalitas, ubi non constat ullam dari distinctionem etiam ineffabilem, virtuales, seu formalem, & multipliciter conceptibilitatum, virtualitatum, seu formalitatum: quod quidem principium nec est metaphysice evidens: cum non evidenter implicet, quod distinctio, & multipliciter conceptibilitatum, virtualitatum, seu formalitatum, etiam sine fine, alioqui non evidenter impossibilis, detur defacto hic, & nunc, lateat tamen nostrum intellectum, ut plura defacto latent, quanvis existant: ergo tale principium, assumitur, prudentissime quidem, sed probabiliter: quod assumptum, cum conditio nihil ponat in esse, ad inferendam hic, & nunc consequentiam intentam, ut major præmissa, conjungi debet alteri præmissæ minori negativæ, fundatæ in non apparentia necessitatis, & motivi sufficientis pro distinctione ineffabili, vel virtuali, aut formali, & pro multipliciter conceptibilitatum, virtualitatum, aut formalitatum, nimirum: in objecto, de quo loqui-

loquimur, non constat, ullam dari prædictam distinctionem, aut aliud æquivalens, & multipliciter conceptibilitatem, virtualitatem, seu formalitatem: ergo vere datur omnimoda identitas, unaque omnino indistincta conceptibilitas, seu virtualitas, seu formalitas in objecto, de quo loquimur. Omne igitur primum principium evidens, si recte res explicetur, & ipsum fulciri intelligitur altera præmissa negativa, sita in alicujus objecti non apparentia: quandoquidem ita, quoad hujusmodi principia philosophando, tandem aliquando proceditur: idem omnino idem, scilicet nec ineffabiliter, nec virtualiter, nec formaliter ex natura rei distinctum, similive modo se habens, idest idem non habens capacitatem essendi simul, & non essendi, non potest simul esse, & non esse. Idem impotens simul esse, & non esse, vel est vel non est. Quæ sunt omnino eadem unitertio, idest absque ulla distinctione, seu capacitate conciliandi prædicata alioqui contradictoria, sunt eadem inter se. In quo sensu hac dicuntur prima principia metaphysica, essentialiter infallibilia, & evidentia ex ipsis terminis: & qua talia, non aliunde probantur, sed maxime supponuntur, & sunt major præmissa in syllogismo construendo. Enimvero, ut hic & nunc aliquid legitime inferant, sequi debet altera minor præmissa, scilicet: sed objectum, de quo loquimur, est idem omnino idem: ergo objectum, de quo loquimur, non potest simul esse, & non esse. Pro cujus minoris probatione, iterum hoc pacto syllogizandum est: vere datur omnimoda identitas, unaque omnino indistincta conceptibilitas, seu virtualitas, seu formalitas, ubi non constat, idest non apparet, ullam dari prædictam distinctionem, aut quid simile, & multipliciter conceptibilitatem, seu virtualitatem, seu formalitatem: sed in objecto, de quo loquimur, non constat, idest non apparet, ullam dari distinctionem, aut ineffabilem, aut virtualem, aut formalem, aut quid simile, & multipliciter conceptibilitatem, seu virtualitatem, seu formalitatem: ergo in objecto, de quo loquimur, vere datur omnimoda identitas, unaque omnino indistincta conceptibilitas, virtualitas, seu formalitas. Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ supponitur, non est metaphysice evidens, ut supra observatum est n. 16. Minor est negativa, sita in distinctionis prædictæ non apparentia.

XVII. Dico 8. Omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ, tandem negative probatur: primo, quia ex dictis, negati-

gative tandem probari dicitur conclusio, quæ resolvitur ultimo in aliquem syllogismum, cujus una præmissa sita sit in alicujus objecti non apparentia: sed omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ, est hujusmodi: ergo omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ, tandem negative probatur. Minor probatur: omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ, resolvitur in suas præmissas, quæ vel sunt principia absolute, & simpliciter prima, vel in hæc resolvuntur: sed ipsa prima principia, ex dictis *an.* 10. fulciri intelliguntur altera præmissa, sita in alicujus objecti non apparentia: ergo omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ, resolvitur ultimo in aliquem syllogismum, cujus una præmissa sita sit in alicujus objecti non apparentia.

XVIII. Secundo, quia omnis conclusio sequitur, quatenus stat vis syllogistica, quæ tota quanta est innititur illi principio: quæ sunt eadem uniterio, sunt eadem inter se: vel dici de omni, dici de nullo: aut alteri æquivalenti, pro opinionum varietate. Unde est, ut ex eo, quia in præmissis duo videntur identificata cum uno tertio, asserantur in conclusione etiam identificata inter se: atqui hoc principium, & similia fulciri intelliguntur altera præmissa, ut probavimus *a num.* 10. sita in alicujus objecti non apparentia: ergo & omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ.

Tertio quia eatenus conclusio est vera, quatenus legitime inferitur per syllogismum non fallacem: atqui, quod syllogismus non sit fallax, probatur tandem: quia continet tres tantum terminos: quia est conformis regulis dialecticæ: & non continet sophisma. Jam hæc duo quomodo tandem probantur? Sane nonnisi, quia nequeunt in eo assignari, idest non apparent plus, quam tres termini: & quia nequit assignari regula dialecticæ, cui opponatur: aut quod ille sophisma contineat: ergo re vera habet tres terminos: re vera nulli regulæ dialecticæ opponitur: re vera nullam continet fallaciam. Quæ eo resolvuntur: hæc vitia, ubi non apparent, re vera non sunt: sed in hoc syllogismo non apparent: ergo non sunt.

XIX. Dico 9. Quod si conclusiones singillatim examinentur per vulgares argumentandi modos deductæ, illæ vel immediatius, vel clarius resolvuntur in duas præmissas, quarum una supponatur; probabiliter, altera sita sit in alicujus objecti non apparentia. Pro-

Probatur assertio, quia vel sermo est primo de argumento ex paritate, vel secundo de argumento ex inductione, vel tertio de argumento ex præsumptione, vel quarto de argumento ex non apparentia repugnantiæ, vel quinto de argumento ex non apparentia necessitatis, vel sexto de argumento ex apparente contradictione, vel septimo de argumento ex apparente necessitate, vel octavo de argumento ex requisitis ad aliquod, vel nono de argumento ex sufficientia requisitorum, vel decimo de argumento ex absurdo, vel undecimo de argumento ex contradictorio, quod sequitur, vel duodecimo de argumento ex auctoritate. Sed hujusmodi argumenta resolvuntur immediatius, seu clarius in duas præmissas, quarum una supponatur probabiliter, altera sita sit in alicujus objecti non apparentia: ergo & conclusiones per hujusmodi argumentandi modos deductæ. Minor probatur. Nam, si primo de argumento ex paritate, hoc argumentum eo resolvitur: ubi militat eadem ratio, res eodem modo se habent: sed in materia, qua loquimur, eadem militat ratio: ergo in materia, qua loquimur, res eodem modo se habent. Minor probatur, quia, ubi non apparet disparitas, id est dispar ratio; eadem militat ratio: sed hic, & nunc non apparet disparitas, id est dispar ratio: ergo eadem militat ratio. Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: non enim implicat, vel saltem non evidenter implicat, quod res diversimode se habeant, diversæque pro eis ratio militet, quanvis nobis, etiam diligenter earum prædicata perscrutantibus, hæc diversitas nequitiam innotescat. Minor vero præmissa sita est in disparis rationis, seu disparitatis non apparentia. Apud eos autem, qui argumento ex paritate viam prædicto modo inferendi fortasse pernegant, eo tandem resolvitur, vel simili modo: ubi non apparet disparitas (cum neque immediate, aut mediate aliunde paritas elucescat) præscindendum: sed hic, & nunc non apparet disparitas: ergo præscindendum: cum nec paritas immediate, aut aliunde elucescat, quo ad id, de quo controvertitur. Cujus syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: cum & oppositum apparere etiam possit verum ex ipsis terminis, & probabiliter assumi, ut assumitur communiter; suamque habeat probabilitatem, quod nimirum in similibus casibus sit præsumenda paritas, seu identitas rationis. Minor vero præmissa sita est, ut patet, in disparitatis, & paritatis non apparentia. Si

**XX.** Si secundo, de argumento ex inductione, illud eo resolvitur: ubi non apparet diversitas in materia, qua loquimur, omnia, & singula alia ita se habent, ut ea, quæ per inductionem enumerantur: sed hic, & nunc non apparet diversitas: ergo hic, & nunc in materia, qua loquimur, omnia, & singula ita se habent, ut ea, quæ per inductionem enumerantur. Cujus syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: nam illa individua, quibus componitur inductio, vel supponuntur similia quo ad omnia prædicata, cum individuo, de quo hic, & nunc controvertitur, vel supponuntur similia, quo ad alia prædicata, præscindendo ab illo prædicato, de quo fit quæstio. Si primum, petitur manifeste principium, & nihil probatur, sed supponitur id, quod est in quæstione. Si secundum, non videtur implicare, vel saltem non videtur evidenter implicare, quod talia individua, licet appareant ejusdem speciei cum individuo, de quo disputatur, tamen talia non sint: vel quod sint quidem ejusdem speciei, differant tamen in aliquo prædicato. (quod ideo non reputetur essentialiter) quanvis quo ad reliqua convenire videantur: non enim est metaphysice evidens, & essentialiter infallibile, convenientiam in specie, cum discrepantia in aliquo prædicato inveniri non posse, ut suo loco dicemus alibi: ergo prædicta major præmissa, quæ assumitur, non excedit limites meræ probabilis. Minor vero, ut patet, sita est in diversitatis non apparentia.

Quod si quis velit argumento ex inductione negare fortasse vim inferendi, hoc, vel simili modo tandem syllogizabit: ubi inductione facta, non apparet diversitas, neque æqualitas, præscindendum, vel standum pro inæqualitate, seu diversitate: sed hic, & nunc, inductione facta, non apparet æqualitas, aut inæqualitas: ergo præscindendum, vel standum pro inæqualitate. Cujus syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non habet metaphysicam evidentiam, & infallibilitatem essentialem, cum & oppositum principium sit probabile: minor sita est in æqualitatis, & inæqualitatis, seu diversitatis non apparentia.

**XXI.** Si tertio, de argumento ex præsumptione, illud eo resolvitur: ubi non constat oppositum, vera est præsumptio, v. g. pro numero majore; pro eo, quod sæpius fit; pro bonitate; pro possidente; pro libertate: sed hic, & nunc non constat oppositum: ergo hic, & nunc vera est præsumptio, v. g. pro numero majore;  
pro

pro eo, quod sapius sit; pro bonitate, pro possidente, pro libertate. Cujus syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: cum non implicet, vel saltem non evidenter implicet, quod hic, & nunc, licet id nobis non innotescat, res aliter contingat, ac regulariter, & sapius contingere soleat: quod quis, etiam natura, aliter operetur, ac passim regulariter operari soleat: quod quis vere sit malus, licet non appareat talis: quod quis non vere, aut legitime possideat, quanvis vere & legitime possidere videatur: quod quis actu non possideat, quanvis antecederet possederit: quodque hic, & nunc accadat aliquod alioqui rarissimum, quod nunquam antea contigerit. Quot enim in dies eveniunt, saltem per accidens, quæ nunquam antea evenerunt? Potest enim vero v.g. hic, & nunc extrahi ab urna schedula nigra, ex numero minore, licet regulariter sapius extrahi solitæ sint schedulæ albæ, ex numero valde majore: nam, ut tritum illud:

Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

Major igitur præmissa dicti syllogismi assumitur, ut primum, principium probabile, & prudens, non tamen excedens limites meræ probabililitatis: quatenus dicimus, eū prudenter philosophari, qui ex tali præsumptione philosophatur; non quia infallibiliter philosophatur (cum id potius sit divinare hic, & nunc) sed quia hoc ipsum supponimus esse exponere se minori periculo asserendi falsum hic, & nunc; adeoque prudenter philosophari: vocamus enim præctice magis probabile id, quod sapius contigerit. Quod autem hic, & nunc futurum sit, ut contingat, vere nescimus, nec illud ut metaphysice evidens, & essentialiter infallibile affirmamus, ut melius alibi explicabitur. Minor vero prædicti syllogismi præmissa sita est in non apparentia motivi sufficientis pro opposita parte.

Apud eos, qui fortasse præsumptioni prædictæ vim inferendi negare velint, eo tādē resolvitur modus syllogizandi in hujusmodi casibus: ubi hic, & nunc non apparet immediate, aut aliunde motivum pro numero majore, aut pro minore: pro casu raro, aut nō raro: pro possessione, vel non possessione: pro libertate, vel pro non libertate: præcindendum: sed hic, & nunc non apparet immediate, aut aliunde motivum pro numero majore, aut pro minore: pro casu raro, aut non raro: pro possessione, aut non possessione: pro libertate, aut non libertate: ergo hic, & nunc præ-

*Ant. Forti.*

scin-

scindendum . Cujus syllogismi major præmissa , quæ assumitur , non est metaphysice evidens , & essentialiter infallibilis : cum & principium oppositum , quod quidem communiter assumitur , suam habeat probabilitatem . Minor præmissa , ut patet , sita est in motivi sufficientis pro alterutra parte non apparentia .

XXII. Si quarto de argumento ex non apparentia repugnantia , de quo fuit disputatione sequenti ; illud eo resolvitur : omne id , in quo , consideratis diligenter eius prædicatis , immediate , aut aliunde nulla apparet repugnantia , dicendum esse possibile , & intra sphæram divinæ Omnipotentia : sed in hoc objecto , de quo hic , & nunc controvertitur , consideratis diligenter ejus prædicatis , nulla apparet repugnantia immediate , aut aliunde : ergo dicendum , illud esse possibile . Cujus syllogismi major præmissa , non est metaphysice evidens , & essentialiter infallibilis : cum non implicet , saltem evidenter , haberi in tali objecto repugnantiam , latere tamen intellectum philosophi , etiam diligenter ejus prædicata perscrutantis . Assumitur igitur ut principium mere probabile , ut dicemus *disp.* 2. Minor præmissa sita est in non apparentia repugnantia .

Per eos vero , qui negant , ex non apparentia repugnantia deduci rationabiliter objecti alicujus possibilitatem , eo resolvitur oppositus modus philosophandi : ubi , diligenter examinatis alicujus objecti prædicatis , non apparet immediate , aut aliunde possibilitas , idest non repugnantia , nec impossibilitas , idest repugnantia ; præscindendum est , suspendendo judicium pro possibilitate , aut pro impossibilitate ; vel asserendum judicium pro impossibilitate . Sed hic , & nunc , diligenter examinatis talis objecti prædicatis , non apparet immediate , aut aliunde possibilitas , aut impossibilitas ; non repugnantia , aut repugnantia : ergo , vel quo ad hujus objecti possibilitatem , aut impossibilitatem , præscindendum , suspendendo judicium ; vel afirmanda potius est ejusdem impossibilitas . Cujus syllogismi major præmissa , quæ assumitur , non est metaphysice evidens , & essentialiter infallibilis ( quod ne quidem , qui illam assument , contendunt ) sed mere probabilis , cum & oppositum principium sua probabilitate non careat . Minor præmissa est negativa in sensu prædicto , fundata nimirum in repugnantia , & non repugnantia non apparentia .

XXIII. Si quinto de argumento ex non apparentia necessitatis , illud eo resolvitur : non sunt multiplicanda entia , aut prædicata ,

*Phil. Neg. Log.*

M

aut



aut perfectiones, aut connexiones essentielles aut miracula, sine apparente necessitate, aut motivo sufficiente: sed hic, & nunc nulla est necessitas, aut motivum sufficiens hujus entis, hujus prædicati, hujus perfectionis, hujus connexionis, hujus miraculi adstruendi: ergo hic, & nunc non datur tale ens, tale prædicatum, talis perfectio, talis connexio essentialis, tale miraculum. Minor probatur, quia non apparet, nec assignabilis est talis necessitas, aut motivum sufficiens. Cujus syllogismi major præmissa, quæ assumitur, licet valde prudenter, & valde probabiliter assumatur; non tamen excedit limites meræ probabilitatis, cum non sit metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: non enim implicat, vel saltem non evidenter implicat, quod necessitas talis entis, prædicati, perfectionis, connexionis essentialis, miraculi, hic, & nunc vere habeatur, sed lateat intellectum, etiam diligenter speculantem. Minor vero est negativa, sita videlicet in necessitatis, & motivi sufficientis non apparentia.

XXIV. Quod si quis negare fortasse velit prædictum argumentandi modum, ita syllogizaret: ubi non apparet immediate, aut aliunde necessitas, aut superfluitas, aut otiositas alicujus entis, prædicati, perfectionis, connexionis essentialis, miraculi; præscindendum, suspendendo judicium quo ad ejus existentiam, aut non existentiam: sed hic, & nunc non apparet immediate, aut aliunde necessitas, aut superfluitas, aut otiositas talis entis, prædicati, perfectionis, connexionis essentialis, miraculi: ergo, quo ad ejus existentiam, aut non existentiam, præscindendum. Cujus syllogismi major præmissa, non est metaphysice evidens, & infallibilis, sed assumitur ut primum principium probabile, cujus oppositum suam etiam habet probabilitatem. Minor præmissa est negativa, in sensu prædicto.

XXV. Si sexto de argumento ex apparente repugnantia, illud eo resolvitur: esse, & non esse absolute, & simpliciter; esse, & non esse secundum quid; seu prædicata quævis alioqui contradictoria, nisi addit distinctio ineffabilis, seu virtualis, seu formalis ex natura rei, seu aliud æquivalens, vere sunt contradictoria, & repugnant: sed hic, & nunc non adest distinctio ineffabilis, virtualis, seu formalis, aut aliud æquivalens: ergo hic, & nunc vere sunt contradictoria, & repugnant. Minor probatur: ubi, consideratis omnibus, non apparet necessitas distinctionis ineffabilis, virtualis, seu formalis, aut capacitatis æquivalentis, vere hæc  
non

non adest : sed hic, & nunc non apparet necessitas talis distinctio-  
nis : ergo hic & nunc vere non adest talis distinctio . Cujus po-  
sterioris syllogismi major præmissa non est metaphysice evidens,  
& essentialiter infallibilis : neque enim implicat , saltem eviden-  
ter , quod distinctio ineffabilis, virtualis, seu formalis , aut æqui-  
valens aliqua capacitas adsit , sed lateat nostrum intellectum , ut  
supra diximus : ergo assumitur ut principium mere probabile .  
Minor est negativa , sita nimirum in necessitatis non apparentia.

XXVI. Si septimo de argumento ex necessitate apparente,  
illud eo resolvitur : id , sine quo hic, & nunc non possunt omnia,  
bene salvari, necessarium est hic, & nunc: sed sine A, hic, & nunc  
non possunt omnia bene salvari: ergo A, hic, & nunc necessarium  
est . Minor probatur: non possunt hic, & nunc omnia bene salva-  
ri sine eo , sine quo non apparet , nec assignabile est , quomodo  
salvari possint : sed hic, & nunc non apparet , nec assignabile est ,  
quomodo omnia bene salvari possint sine A : ergo non possunt.  
Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non  
est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis : cum non im-  
plicet , vel saltem non evidenter implicet , haberi modum , quo  
omnia possint bene salvari sine A, quâvis nos lateat, nec sit a no-  
bis assignabilis hic , & nunc talis modus . Minor est negativa , in  
sensu , quo loquimur , sita nimirum in non apparentia talis modi.

XXVII. Si octavo de argumento ex requisitis , aut prære-  
quisitis ad aliquod , & quidem sive sint requisita , ut puræ con-  
ditiones præviæ , sive ut causæ , sive ut constitutiva , sive,  
ut puri termini alicujus connexionis, cujuscunque generis sit hæc  
connexio ; illud eo resolvitur : ea , sine quibus aliquid salvari ne-  
quit , sunt ad illud requisita : sed A, salvari nequit sine B, & C:  
ergo B, & C, sunt requisita ad A. Minor probatur A, salvari ne-  
quit sine illis , sine quibus non apparet , nec assignabile est , quo-  
modo salvari possit : sed non apparet , nec assignabile est , quo-  
modo A, salvari possit sine B, C: ergo sine B, C, nequit salvari  
A. Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ assumitur,  
ut dictum est supra, non est metaphysice evidens, & essentialiter  
infallibilis : cum non implicet , vel saltem non evidenter implicet,  
dari modum, quo A, sine B; C, salvari possit, quâvis philosophum,  
etiam diligenter considerantem, lateat ille modus. Minor est ne-  
gativa , in sensu , quo hic sumitur , Tò negativa ; quatenus scilicet  
sita est in talis modi non apparentia.

M 2

XXVIII. Si

. XXVIII. Si nono de argumento ex sufficientia requisitorum, aut prærequisitorum; illud eo resolvitur: ea, præter quæ vere aliud non requiritur ad A, sunt requisita sufficientia ad ipsum: sed præter B, C; aliud vere non requiritur ad A: ergo B, C, sunt requisita sufficientia ad A. Minor probatur: quidquid gratis, & sine necessitate dicitur requiri ad A, vere non requiritur ad ipsum: sed præter B, C, gratis & sine necessitate dicitur requiri aliud ad A, cum non sit assignabile motivum sufficiens, & necessitas alterius: ergo præter B, C; vere aliud non requiritur ad A. Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: cum non evidenter implicet, dari re vera tale motivum, & necessitatem, licet hic, & nunc non appareat: ergo nõ excedit limites meræ probabilitatis. Minor est negativa, ut supra, sita in non apparentia motivi, seu necessitatis.

. XXIX. Si decimo de argumento ex inconveniente, quod sequeretur; illud eo resolvitur: omne id, quod vere non convenit, immo disconvenit naturæ, & essentia rei alicujus, v. g. rei, A, est eidem inconveniens: sed B, vere non convenit naturæ, & essentia A, immo ei disconvenit: ergo B, est inconveniens inesse, A. Minor probatur: omne id, quod non apparet, nec assignabile est, quomodo possit convenire, aut non disconvenire naturæ, & essentia A, vere ei non convenit, immo disconvenit: sed non apparet, nec assignabile est, quomodo B, convenire possit naturæ, & essentia A; immo quomodo possit ei non disconvenire: ergo B, vere non convenit, immo disconvenit naturæ, & essentia rei A. Cujus posterioris syllogismi major præmissa, quæ assumitur, non est metaphysice evidens, & essentialiter infallibilis: cum non evidenter implicet, quod possit quidem B, convenire A, & a fortiore eidem non disconvenire, quanvis modus hujus convenientia, aut non disconvenientia non innotescat philosopho, quantumvis diligenter speculanti: ergo supponitur, ut primum principium probabile, & prudens, non tamen excedens limites meræ probabilitatis. Minor est negativa, ut supra, utpote sita in modi convenientia, aut disconvenientia non apparentia.

. XXX. Si undecimo de argumento ex absurdo, aut contradictorio, quod sequitur, vel præsupponi oportet, nisi affirmetur assertio, quæ defenditur: aut nisi negetur assertio, quæ impugnatur: sive de omni alia sequela pro, aut contra conclusionem; illud

illud eo resolvitur : omne id , sine quo salvari nequit essentia , aut existentia alicujus rei , legitime ex ea inferitur syllogizando ; sive de cætero inferatur , ut quid ad eam præsuppositum ; argumentando a posteriore : sive inferatur , ut quid ab ea tractum , ut subsequens ; argumentando a priori : sive inferatur , ut mere comitans , & connexum , & quidem vel connexione entitatis , vel connexione rationis , ut alibi sæpe explicabitur ; argumentando a concomitante : sed sine absurdo , aut contradictorio B , nequit intelligi , & salvari essentia , aut existentia entis A : ergo ex essentia , aut existentia entis A , recte syllogizando , inferitur absurdum , aut contradictorium B . Minor probatur : omne id , sine quo , seu præsupposito , seu tracto , seu mere concomitante , non apparet , quomodo intelligi , salvarique possit essentia , aut existentia alicujus , tale re vera est , ut sine eo nequeat intelligi , & salvari essentia , aut existentia illius : atqui non apparet , quomodo sine absurdo , aut contradictorio B ; possit intelligi constituta essentia , & salvari existentia entis A : ergo sine absurdo , aut contradictorio B ; nequit intelligi , & salvari essentia , aut existentia entis A . Cujus posterioris syllogismi major præmissa , quæ assumitur , non est metaphysice evidens , & essentialiter infallibilis : cum non implicet , aut saltem non evidenter implicet , quod detur re vera modus salvandi essentiam , & existentiam alicujus rei perfecte constitutam , etiam sine alio , quanvis hujusmodi modus lateat philosophum , diligenter speculantem : ergo hæc major præmissa supponitur , ut primum principium probabile , & prudens , non tamen excedens limites meræ probabilitatis . Minor ejusdem syllogismi est negativa , ut supra , quippe sita in non apparentia modi , quo intelligi , aut salvari possit recte constituta essentia , aut existentia entis A , sine absurdo , aut contradictorio B ; præsupposito , subsequente , aut mere concomitante .

XXXI. Si duodecimo de argumento ex auctoritate ; illud eo resolvitur : textus , seu loca , & verba Doctorum , accipienda sunt in sensu proprio , & rigoroso , ubi nihil obstat , nec aliunde constet , sumenda esse in alio sensu metaphorico , aut minus proprio : sed hic & nunc in subiecta materia nihil obstat , quin accipiantur in sensu proprio , & rigoroso : ergo ita accipienda sunt . Major supponitur , ut primum principium probabile : nam posset quis assumere oppositum , ut mox videbitur . Minor probatur , quia non potest assignari , idest non apparet , quid obstat

obstet, quin textus allegatus accipiat in sensu proprio, & rigoroso. Vel viceversa philosophando, scilicet: textus, seu loca, & verba Doctorum, accipienda sunt in eo sensu, quo non multiplicentur in natura entia sine necessitate: quod enim fieri potest per pauciora, non debet fieri per plura: sed, si hic & nunc accipiantur in sensu proprio, & rigoroso, debent multiplicari entia sine necessitate, puta, v. g. perfectio, res, causa, causalitas physica: ergo accipienda sunt in sensu aut metaphorico, aut minus stricto, & rigoroso: cum aliunde nihil obstat præponderans, quin ita accipiantur: neque enim huiusmodi obstaculum assignari potest, idest non apparet: vel assignetur. Cujus syllogismi major supponitur, ut primum principium probabile. Minor probatur, quia nequit assignari, idest non apparet, quomodo salvari possit sensus proprius, & rigorosus, quin multiplicetur, sine necessitate, aliqua perfectio, res, causa, causalitas.

Tandem si plura sint loca seu textus, qui opponantur inter se, arguitur in alterutrius favorem: quia nequit assignari, idest non apparet, cur, aut quomodo textus contrarius sit præponderans, adeoque maiorem habens auctoritatem. Quæ omnia sita sunt in alicujus objecti non apparentia, Hactenus de modis argumentandi. Jam nunc ulterius ponderando quæstiones, quæ de rebus controversis solent institui;

XXXII. Dico 10. De qualibet re, seu objecto disputabili, illa a philosopho præcipue quæri possunt: primo quid sit metaphysice, secundo quid physice, tertio an sit possibile, quarto an actu existat, quinto quotuplex sit, sexto quæ ejus proprietates, septimo quæ ejus causæ, octavo qui ejusdem effectus, nono quæ concomitantia, decimo quæ opposita. Atqui, hæc investigando, & arguendo, philosophus tandem aliquando relabitur in syllogismum, cujus major præmissa supponatur, ut supra dictum est, tanquam primum principium speculativum mere probabile: minor præmissa sita sit in alicujus objecti non apparentia: ergo tandem aliquando relabitur semper in argumentum negativum. Minor probatur breviter recensendo singula, juxta superius tradita. Enimvero,

XXXIII. Si primum, nempe si queratur, quid sit res metaphysice; queritur definitio, seu essentia metaphysica hominis, v. g. animal rationale, constans ex genere, & differentia: de qua definitione dicitur esse bona: primo, quia competit omni, & soli definito:

nito : secundo, quia clarior definito : tertio, quia conformis regulis bonæ definitionis : quarto, quia nequit homo aliter, commodius, aut æque commode definiri. Quorum primum tandem probatur ita : non apparet, cuinam ex definitis, nimirum cuinam ex hominibus, hæc definitio non competat : ergo competit omni definito. Nequit assignari, idest non apparet, cui nam ex non definitis, idest cuinam non homini, hæc eadem definitio competat : ergo competit soli homini : ergo competit omni, & soli : dum enim aliter non apparet, ita re vera probabiliter est in se. Adeoque eni quomodo discursus duplici tandem aliquando fulcitur columna, quarum una supponitur, ut primum principium speculativum mere probabile : altera est negativa, utpote sita in alicujus objecti non apparentia. Quod, ne sæpius repetatur, observandum etiam est in sequentibus. Nam secundum probatur ita : nequit assignari, quomodo, & quare animal rationale, utpote suum objectum explicans magis distincte, scilicet per partes metaphysicas, quam homo, non sit conceptus clarior : ergo re vera est clarior.

Tertium probatur ita : nequit assignari, cuinam ex regulis bonæ definitionis hæc non sit conformis : ergo vere omnibus regulis bonæ definitionis conformatur. Quartum probatur ita : nequit assignari, quomodo homo possit diversimode, commodius, aut saltem æque commode definiri : ergo re vera nequit aliter commodius, aut æque commode definiri.

XXXIV. Si secundum, nempe si quærat, quid sit res physice ; quæritur, quanam sint physica hominis constitutiva : & illa dicuntur esse corpus, & anima rationalis unita. Id autem hoc, aut simili modo probatur, quia huic toti, & soli ternario, quod est corpus, anima, & unio, competit regula partium, seu constitutivorum physicorum : cum talia sint, ut ipsis præcise habitis, intelligatur haberi homo, scilicet verificari definitio metaphysica, seu essentia metaphysica hominis, quæ fundari debet in essentia ejusdem physica : at vero contra, quolibet ex illis præcise deficiente, intelligatur deficere homo metaphysice, adeoque & physice constitutus. Jam totum hoc probatur tandem : quia nequit assignari, quodnam ex prædictis tribus superfluat, aut quid præter tria prædicta ulterius requiratur ad hominis conceptum metaphysicum salvandum, adeoque ad eum per hæc physice, constituendum : scilicet non potest assignari, idest non apparet, quo-

quomodo possit homo satis intelligi sine aliquo ex prædictis: aut cur ulterius, ad hominem constituendum physice, aliquid aliud requiratur.

XXXV. Si tertium, nempe si quæratur, an res sit possibilis; quæritur possibilitas hominis: & dicitur homo esse possibilis, vel non esse possibilis. Si primum, probatur, quia homo, ex suo conceptu, non includit, non præsupponit, non trahit, non connexam habet repugnantiam: cum hæc nulla appareat, quæ in conceptu hominis includatur, aut quam ille præsupponat, aut post se trahat, aut secum pure ut concomitantem, juxta ea, quæ ex professo *dispositi sequenti præliminari* quo ad rerum possibilitatem dicenda sunt. Si secundum, probatur, quia homo aliquam, dicit repugnantiam: cum non appareat, quomodo salvari possit ejus essentia, quin includat, præsupponat, trahat, aut connexa secum afferat contradictoria.

XXXVI. Si quartum, nempe si quæratur, an res sit defacto existens; quæritur existentia hominis: & dicitur dari, aut non dari. Si affirmetur; probatur tandem, vel quia apparet oculis, & sensibus, aut ex sensibus discurrendo deducitur, existere hominem, idest animal rationale, constans physice ex ternario præ-explicato: cum non assignetur motivum, & necessitas dicendi, quod nos ipsi quo ad hoc fallamus: vel quia nequit assignari, quid aliud sit Petrus, & ad quam aliam speciem ille pertineat, si non est homo: cum nequeat assignari, quid Petro deficiat, ut sit homo: quid Petro insit, unde ab esse hominis expellatur: ergo re vera Petrus est homo: re vera non est aliud, quod non sit homo. Si negetur; probatur, quia non potest assignari, idest non apparet ratio, motivum, necessitas existentiae hominis: ergo re vera non datur talis necessitas: ergo re vera non datur talis entitas: cum non sint defacto ponendæ, aut multiplicandæ entitates sine necessitate.

XXXVII. Si quintum, nempe si quæratur, quotuplex sit res, de qua agitur; quæritur numerus, puta seu purus numerus, seu specificus: quo assignato, assertio probatur tandem, quia nequit assignari, quare talis numerus sit deficiens, aut redundans: cum non appareat, quis numerus, rite apponendus, prætermisus sit: aut quis, non apponendus, fuerit immerito intrusus, ac superadditus: ergo re vera nullus deficit, aut redundat: unde concluditur: individua hominis esse tot, & non plura, nec pauciora: ejus speciem esse unam, utpote infimam, atomamque.

*Ant. Forti.*

XXXVIII. Si

XXXVIII. Si sextum, nempe si quærantur rei alicujus proprietates; quæritur numerus proprietatum hominis, procedendo, ut dictum est in ordine ad quintum. Additur plerunque ulterius hoc, aut simile ratiocinium: nequit assignari, quænam sint proprietates hominis, si hæ non sunt: ergo re vera non aliæ, sed hæ sunt hominis proprietates; præterea, nequit assignari, cujus alterius, quod non sit homo, proprietates sint hæ, de quibus controvertitur: ergo re vera illæ non sunt proprietates alterius, sed solius hominis.

XXXIX. Si septimum, nempe si quærantur causæ alicujus rei; quæritur numerus causarum hominis, sive extrinsecæ, sive intrinsecæ illæ sint. Quoad has secundas, idem est, ac quærere hominis partes constitutivas, de quibus dictum est supra, ubi de secundo. Quoad utrunque, quæritur numerus causarum hominis: & discurritur, ut dictum est de 5. & 6.

XL. Si octavum, nempe si quærantur effectus rei, de qua disputatur; quæritur quot, & quænam sint effectus hominis. Quoad numerum proceditur probando, ut dictum est de quinto. Quoad, quænam sint hujusmodi effectus, proceditur, ut dictum est de secundo.

XLI. Si nonum, nempe si quærantur ejusdem rei comitantia; quæritur, quot, & quænam sint naturaliter, aut supernaturaliter connexa cum homine: quanvis non sint ad ipsum priora, aut posteriora: & proceditur tum ut supra de 6. & 7. tum ut de secundo, scilicet: si affirmetur aliquod esse connexum cum homine, aut naturaliter, aut supernaturaliter; probatur, quia nequit assignari, quomodo possit existere, aut naturaliter, aut supernaturaliter, homo sine hoc: ergo re vera nequit homo existere aut naturaliter, aut supernaturaliter sine hoc: ergo homo est connexus aut naturaliter, aut etiam supernaturaliter, cum hoc. Atqui non connexionem tanquam a priori; non tanquam a posteriori: cum neque hoc sit causa hominis, neque se teneat ex parte causæ; neque sit ejus effectus, aut quasi effectus: non enim assignari potest, quomodo hoc sit causa hominis, aut se teneat ex parte alicujus, de quo probetur esse causam hominis; aut quomodo homo sit causa hujus, aut se teneat ex parte alicujus, quod sit ejus causa: ergo connexionem mere tanquam a concomitante.

*Phil Neg. Log.*

N

XLII. Si



XLII. Si decimum, nempe si quærantur opposita rei, de qua agimus; quæritur quot, & quænam sint ea, quibus homo aliquo modo opponitur aliquali oppositione. Et quoad numerum, proceditur, ut supra de 5. Quoad oppositionem, comparantur prædicata, quæ apparent opposita, aut non opposita: si quæ videantur opposita, & disconvenientia; dicuntur esse talia: cum nequeat assignari, quomodo, adhuc positis talibus prædicatis oppositis, homo cum re illa non opponatur: si vero non videantur opposita, ita proceditur: ex una parte homo, & A, conveniunt in his prædicatis: ex altera parte non possunt assignari alia prædicata, in quibus disconvenient: ergo re vera non adiunt talia prædicata opposita: ergo homo, & A, re vera non opponuntur oppositione, de qua controvertitur.

Ergo a primo ad ultimum,

Hæc investigando, & arguendo, philosophus tandem aliquando relabitur in syllogismum, cuius major præmissa supponatur, ut supra dictum est, tanquam primum principium speculative, mere probabile: minor præmissa sita sit in alicujus objecti non apparentia. Quæ etiam ex dicendis *dispositio sequenti* meliorem lucem recipient.

XLIII. Dico II. Concludendum igitur: quidquid habet pure humana Philosophia, vel *supponi*, vel *negative probari*: supponi, si sit primum principium evidens, aut si assumatur ut primum principium speculative probabile: negative probari, si sit conclusio; quatenus hæc ultimo resolvitur in aliquem syllogismum, cuius una præmissa *supponatur*, altera *negative procedat*, scilicet per alicujus objecti *non apparentiam*.

XLIV. Quæ præmissimus, primo, ut quisque signate adverteret, nihil esse, unde fortasse superbiat humana philosophia, dum tota quanta est, aliquando tandem argumento negativo fulcitur, sibi relicta, supernaturali nimirum fidere, fideique, nautica, ut ita dicam, pyxide, proprias inter tenebras destituta: secundo, ut, qui argumento negativo vim inesse negant, in eas conijci angustias probaremus, quod ab ijs negari oporteat philosophiam pure humanam: cum hæc *vel nulla sit*, vel *penitus negativa*, in sensu hætenus explicato: ut insuper totius philosophici cursus progressu, facile cuique erit, quæstiones,

nes, & rationes singulas, quæ utro citroque afferuntur, ponderando, advertere, maxime per adjectas analyses reflectendo, quod tandem in aliquod negativum argumentum abeunt rationes, quibus utuntur illi, qui a se omnia *Positive* probari jactitant: scriptæque sua protestantur ab omni *Negative Argumento* penitus aliena.

## ARTICULUS II.

*Analysis prædictorum in argumenta negativa.*

XLV. **D**ico 1. In hac disputatione illæ sunt nostræ præcipuæ assertiones: prima, omne principium, quod est absolute, & simpliciter primum, supponitur.

Secunda, omne hujusmodi principium sensum habet re vera conditionatum, scilicet posita alicujus objecti non apparentia.

Tertia, omnis conclusio philosophiæ pure humanæ, sibi relicta, tandem aliquando negative probatur.

Prima assertio tandem probatur, quia nequit intelligi, & explicari, quomodo aliquod sit principium absolute, & simpliciter primum, & nihilominus detur aliud prius, unde ipsum in probari dependeat.

Secunda assertio probatur, quia non est assignabilis modus, aut sensus, in quo ullum principium, quantumvis absolute, & simpliciter primum, verificari inconcussa stabilitate possit, quin statuatur aliqua hypothesis negativa, scilicet non apparentia alicujus objecti, quod, si alicubi appareret, ibi tali principio locus non esset.

Tertia assertio probatur, tum quia, enumeratis omnibus, & singulis usitatis modis argumentandi, nullus apparet, quem, ut aliquando tandem vim habeat efficaciter concludendi, non resolveri oporteat in alicujus objecti non apparentiam: tum quia, non est assignabilis alius argumentandi modus, qui non etiam sit hujusmodi: tum quia, enumeratis punctis, de quibus solet de re quapiam, in omni materia, a philosophis controverti; nullum est assignabile punctum, quod non tandem aliquando negative stabiliatur in quavis schola.

XLVI. **D**ico 2. Adversarii, qui sustinere velint oppositum contra nos; ita, ni fallor, vel simili aliquo medio pos-

possent arguere : ex una parte certum est , nobis minime refragantibus , dari syllogismos aliquos positivos : neque enim appareret quare , quove modo positivi non sint syllogismi in Barbara , Darii , Baralipon , Dabitis , Darapti , Disamis , Datifi , ut dictum est *art. 1. n. 1.* cum neutram præmissam contineant negativam : ex altera parte , quod hosce omnes syllogismos philosophia pure humana , sibi relicta , ut illi vim habeant , cogatur resolvere in argumenta negativa ; gratis omnino assumitur , nec probatur : cum non appareat hujusmodi resolutionis modus , ratio , necessitas , fundamentum : ergo falsa , & adulterina est Clavis nostræ Philosophiæ Negativæ .

### *Corollarium.*

Sed hæc , & similia , tam nostra , quam adversariorum argumenta , sunt negativa , ut constat ex dictis hac eadem disputatione prima , per totam : ergo , a primo ad ultimum , tam nos , quam adversarii argumentis utimur NEGATIVIS .

## DISPUTATIO II.

### *Præliminaris.*

*Utrum ex non apparentia repugnantiae Possibilitas objecti  
sufficienter inferri possit.*

### A R T I C U L U S I.

#### *Nostra Sententia.*

I. **D**ico 1. Status quæstionis non est primo , ut vulgo proponi solet , utrum affirmari possit possibilitas objecti , quæ simpliciter non appareat : manifeste enim implicat , affirmari ab intellectu possibilitatem , seu non repugnantiam , quæ ipsi simpliciter non appareat . Probatur : implicat affirmari possibilitatem ab intellectu , quæ ab eodem non cognoscatur ut vera : sed implicat possibilitatem cognosci ut veram ab intellectu , quin eidem appareat : ergo implicat possibilitatem affirmari ab intellectu , quæ ipsi intellectui non appareat . Major non videtur indigere probatione : quia ex una parte affirmatio est cognitio ,

tio, est enim species cognitionis; species autem participat rationem generis, ut homo rationem animalis: ex altera parte motivum affirmandi quoad intellectum est veritas objecti, ut bonitas quoad voluntatem, saltem putata, & apparens: sicut igitur nequit voluntas amare, quin suo modo attingat bonitatem objecti amati; ita nequit intellectus affirmare, quin suo modo attingat veritatem objecti affirmati, saltem putatam, & apparentem. Minor probatur, quia aliquod cognosci ut verum ab intellectu, est eidem apparere ut verum: cum cognitio sit representatio, notitia, apparentia, & visio quædam intellectualis: sive de cetero clara sit, & intuitiva, & perfecta; sive obscura, & abstractiva, & imperfecta, ut in casu nostro.

II. Nec secundo status questionis est, utrum affirmari possibilitas possit, absque eo, quod appareat ullum motivum, seu ratio illam affirmandi; sed præcise, quia non appareat motivum, seu ratio illam negandi: nam manifeste implicat, affirmari ab intellectu possibilitatem, seu non repugnantiam alicujus objecti, cujus affirmandæ motivum, seu ratio non eluceat intellectui. Probatur: quidquid amplectitur intellectus vel amplectitur immediate, & per se, ut primum principium: vel amplectitur mediate, & propter aliud, ut conclusionem: quomocunque amplectatur, id facit sub ratione veri, adeoque habet pro motivo, seu ratione affirmandi, ipsam veritatem objecti. Nam si primum, scilicet si aliquid amplectitur immediate, & per se, ut primum principium; habet motivum, seu rationem formalem affirmandi, scilicet veritatem ipsam objecti, quam immediate, & per se cognoscit, affirmatque: cum objectum affirmet, ut verum, adeoque sub ratione veri: nec possit, præscindendo a veritate, aliquid affirmare: sicut non potest voluntas amare aliquid, præscindendo a ratione boni, & a bonitate: nec oculus videre, præscindendo a ratione colorati, vel lucidi. Si secundum, scilicet si aliquid amplectitur mediate, & propter aliud, ut conclusionem; habet intellectus motivum, seu rationem formalem affirmandi, puta veritatem ipsam objecti affirmati, quam tamen mediate, & in præmissis præcognovit, velut in causa: unde dicitur etiam habere motivum, seu rationem causalem, scilicet præmissas, propter quas, seu ex vi quarum amplectitur conclusionem, quam ideo præmissæ suo modo causant, scilicet illuminative, seu directive, quoad intellectum: nec præscindendo ab hujusmodi

mo-

motivo, seu ratione causali potest unquam intellectus inferre conclusionem, illamque ut veram amplecti: quæ sunt perspicua, & melius explicabuntur ex dicendis.

III. Status igitur quæstionis est: utrū affirmari possit possibilitas objecti, quæ non appareat immediate, & per se, nec mediate, aliunde, quam, veluti reflexe, ex non apparentia repugnantia, scilicet dependenter ab hoc medio termino: *non apparens repugnare*: seu, utrum præstet hic primus modus syllogizandi: *quidquid, consideratis diligenter ejus prædicatis, est philosopho, tum immediate, tum mediate aliunde, non apparens repugnare, seu non apparens impossibile*; *quævis nec sit immediate, aut mediate aliunde apparens non repugnare, seu apparens possibile*; *est possibile*: sed *objectum A, est dicto modo non apparens repugnare*: ergo *objectum A, est possibile*. Quando autem dicitur, *immediate*; sensus est, in se, directe, per se, ex ipsa apprehensione terminorum: quando dicitur, *mediate*; sensus est, quasi in alio, reflexe, propter aliud, propter præmissas: quando dicitur, *aliunde*; sensus est, ex vi alterius medii termini, quam sit hic, nempe, non apparens repugnare, idest non apparens impossibile: non apparens non repugnare, idest non apparens possibile: seu aliunde, quam ex prædicta non apparentia repugnantia, aut non repugnantia.

Jam in primum hunc syllogismum prædictum resolvi videtur sententia communis, quam tenent, saltem exercite, auctores passim: & pro qua signate Comptonus *disp. 27. physica*. Joseph Polizzius *disp. 48. Logica*. Franciscus Bonaspes *in physica disp. 8. de creatione dub. 3. num. 31. & 43. & dub. 4. num. 100.*

An vero præstet hic secundus modus syllogizandi: *quidquid est, ut supra, non apparens non repugnare, seu non apparens possibile, quævis nec sit immediate, aut mediate aliunde apparens repugnare, seu apparens impossibile*; *est impossibile*: sed *objectum A, est dicto modo, non apparens non repugnare, seu non apparens possibile, quævis nec sit immediate, aut mediate aliunde apparens repugnare, seu apparens impossibile*: ergo *objectum A, est impossibile*.

In quem syllogismum resolvi videtur *assert. 60. & ult. Conradus Confalonierius in Epit. philos. Cacheranus in theol. assert. tract. de Angelis lib. 3. cap. 5. num. 5. & in tract. de Incarn. lib. 1. cap. 1. n. 10. & n. 22. & in tract. de Deo lib. 2. cap. 3. n. 76. ubi citat Confalonierium. & 77. & 78. & alibi sæpe.*

An

An tandem præstet hic tertius modus syllogizandi : quidquid est, ut supra, non apparens repugnare, idest non apparens impossibile : & non apparens non repugnare, idest non apparens possibile; neutrum determinate est quoad intellectum : sed objectum *A*, est, dicto modo, non apparens repugnare, & non apparens non repugnare : ergo objectum, *A*, neutrum determinate est quoad intellectum : adeoque quo ad ejus possibilitatem, aut impossibilitatem determinandam, præscindendum est intellectui, suspendendo judicium. In quem syllogismum resolvi videtur sectio 6. Fulgentii Castiglionii disput. 13. physice.

IV. Quoniam vero minor in prædictis tribus syllogismis vel eadem formaliter est, vel eadem æquivalenter; non controvertitur : controversia solum est de præmissa majore, an scilicet vera sit major præmissa primi syllogismi pro possibilitate, an secundi pro impossibilitate, an tertii pro neutralitate, seu suspensione judicii : qua de re obscuritatibus, & æquivocationibus plena;

V. Dico 2. Propositiones prædictæ sunt tres.

Prima propositio pro Possibilitate.  
Omne, ut supra, non apparens repugnare, est possibile.

Secunda propositio pro Impossibilitate.  
Omne, ut supra, non apparens non repugnare, est Impossibile.

Tertia propositio pro Neutralitate.  
Omne, ut supra, nec apparens repugnare, nec apparens non repugnare, neutrum determinate est intellectui.

Jam de prædictis tribus propositionibus nostra assertio est : quælibet illarum potest mere supponi, inexpugnabiliter, ut primum principium speculativum, duntaxat probabile.

Assertio probatur, & explicatur : ex tribus enumeratis propositionibus primo nulla aliunde probari potest : ergo quævis mere ad summum supponi poterit : secundo, quælibet illarum potest, doctis saltem quibusdam, immediate videri vera : nec ulla aliunde impugnari efficaciter potest, convincique falsitatis : ergo quælibet supponi potest, & quidem supponi inexpugnabiliter : tertio, nulla est ita certa, evidens, infallibilis, ut ejus oppositum nequeat videri verum, adeoque affirmari, & supponi : ergo quælibet, si supponatur, mere supponitur, inexpugnabiliter supponitur : atque ut primum principium speculativum, duntaxat probabile, supponitur.

VI. Quan-

VI. Quando autem dicimus ex tribus hisce propositionibus nullam probari aliunde posse, ut veram; sensus est, per præmissas eadem absolute, & simpliciter notiores, notioritate majoris certitudinis, quæ scilicet non sint æque incertæ, & æque controuertibiles: etiamsi forte sint aliquantulum clariores: in hoc etenim sensu dicuntur non posse probari prima principia. Ceterum non negamus, excogitari posse aliquem medium terminum, etiam aliquantulum clariorem, unde efformentur præmissæ, ex quibus quoquo modo, ut conclusio, quævis dictarum trium propositionum in bona forma deduci possit: verum hæ præmissæ erunt æque incertæ, & controuersæ: ipsæque non poterunt aliunde probari in eodem sensu, sed ad summum supponi: sique supponi velint; indeque inferri tres propositiones, de quibus est præsens disputatio; in tali hypothesi, tres hæ propositiones non assumuntur, ut primum principium speculative probabile, sed ut conclusio aliunde deducta: dum enim dicimus, illas assumi posse in principium absolute, & simpliciter primum, non negamus, posse etiam deduci ut conclusionem, ex hypothesi, & respective; scilicet præsuppositis quibusdam præmissis, æque tamen absolute, & simpliciter incertis, & controuersis, unde legitime deducantur, relate ad illos, qui tales præmissas præsupponunt; v. g. si quis supponeret has duas præmissas, primam: major est, etiam in subiecta materia, numerus chimerarum, quam entium realium. Secundam: præsumptio semper est pro numero maiore; hic profecto legitime inferret, ut conclusionem: ergo omne non apparens immediate, aut aliunde impossibile, nec possibile, est chimera. Verum talium præmissarum binarium est absolute, & simpliciter non minus incertum, & controuertibile, quam ipsa conclusio inde illata: ideoque diximus tres propositiones enumeratas probari non posse per præmissas se absolute, & simpliciter notiores: quia, licet ex suppositione, & respective ad aliquem intellectum possit binarium præmissarum prædictum, esse hic & nunc, per accidens, in confesso, & consequenter notius, vel quasi notius; non est tamen absolute, & simpliciter magis notum: cum saltem quo ad aliquam sui partem, sit æque in se incertum, & controuersum.

VII. Itaque cum dicuntur hæc prima principia non posse aliunde probari medio termino ipsis clariore; sensus est non de clarioritate quomodocunque, puta v. g. ex definitione, aut ex alio

*Ant. Forti.*

alio termino magis dilucido: sed sensus est de clarioritate certitudinis; idest non posse probari medio termino re vera magis in se certo, quam sint ipsa, quæ ideo prima principia nuncupantur. Enim vero nomine talis principii, ex Aristotele, ut dictum est *disp. 1. in clavi n. 4.* venit communiter, propositio non infallibilis, quæ aliquibus saltem doctis immediate videtur vera: quæque non possit aliunde per aliquod certius probari vera, ut conclusio: aliter non esset principium absolute primum, si supponeret præmissas priores se, unde inferri posset; puta præmissas clariores clarioritate majoris certitudinis: & quæ nec possit aliunde convinci ut falsa, aliter illam non amplecteretur intellectus, qui falsum, cognitum ut falsum amplecti nequit: sicut nequit voluntas amare malum, præcise ut malum. Quod si quis (contra Aristotelem, & philosophos, ac theologos communissime) aliud intelligat nomine primi principii speculative probabilis: neque ea, quæ nos diximus, satis esse velit ad primum principium speculative probabile; utrum recte intelligat, ipse viderit: nos de vocabulo parum solliciti sumus, dummodo concedat, nihil ob stare, quin quilibet ex tribus prædictis propositionibus *mere* supponi possit, & *inexpugnabiliter*, & solummodo *probabiliter*: & ita quidem, ut non nisi qui in aliqua illarum ultro conveniant, disputare inter se non incassum de obsectorum non existentium possibilitate valeant: cū, ubi eo pervenerint, ad invicem impugnari minime queant, quippe principia, ultro citroque præsupposita, sibi mutuo pernegantes; juxta ea, quæ ex Aristotele, innuebam *disp. 1. in clavi n. 5.* Verum hæc tum hujus disputationis progressu, tum ex alibi dictis, ac dicendis, clarius innotescunt. Interim integrum antecedens, quo intulimus, quamlibet trium enumeratarum propositionum *mere* supponi posse, *inexpugnabiliter*, solummodo *probabiliter* (quoniam quæ aliquam determinatam ex tribus aliunde probarent, alias expugnarent) probatur, claritatis gratia, distincte procedendo, sequentibus assertionibus.

VIII. Dico 3. Quoad primam propositionem pro possibilitate, quæ erat: omne non apparens repugnare, est possibile; contra ipsam pro secunda, aut tertia nihil obstat aliunde. Assertio probatur:

Nam primo vel obstat præcise periculum errandi: quod nimirum fortasse in objecto, de cujus possibilitate controvertitur, esse possit aliqua repugnantia, & tamen non apparere. philoso-

Phil. Neg. Log.

O

pho,



plio, quantunvis diligenter consideranti; quem sane plura non raro latent.

Vel secundo, quia cum immediate, aut aliunde, nec appareat possibilitas, nec impossibilitas in objecto controverso, non est, cur potius possibilitas, quam impossibilitas asseratur.

Vel tertio, quia ab astronomo, etiam diligenter perscrutante stellarum numerum, ubi immediate, aut aliunde non appareat earum paritas, aut imparitas; non ideo rationabiliter, & prudenter paritas affirmatur.

Vel quarto, quia postquam, diligenti facta consideratione, immediate, aut aliunde, non apparet, Petrum existere; aut non apparet, existere in arca nummos; dicendum est, Petrum vere non existere; vere non existere in arca nummos: ergo postquam, diligenti facta consideratione, immediate, aut aliunde non apparet in objecto non repugnantia, seu capacitas ad existendum; dicendum est, vere in illo objecto non haberi non repugnantiam, seu capacitatem ad existendum, idest possibilitatem.

Vel quinto, quia non sunt ponendæ perfectiones sine necessitate, idest nisi vel immediate appareant, vel probentur aliunde: sed non repugnantia, seu possibilitas, & capacitas ad existendum est perfectio: ergo non est ponenda in objecto, de quo controvertitur, nisi aut in illo immediate appareat, aut aliunde probetur, quam ex non apparentia impossibilitatis opposita.

Vel sexto, quia dum controvertitur, utrum objectum aliquod sit reale, an chimericum, præsumptio stat pro chimeris, utpote pro numero majore.

Vel septimo, quia inde negativum construitur argumentum.

Vel octavo, obstat aliquid aliud.

Atqui nullum ex prædictis obstat: ergo contra primam propositionem, assumptam pro possibilitate, nihil obstat aliunde. Minor probatur singula perpendendo.

IX. Non obstat primum, scilicet periculum errandi: nam contra est ad hominem primo, quia periculum errandi non obstat, per adversarios, argumento probabili ex apparentia: ergo neque argumento ex non apparentia. Quandoquidem quævis alia propositio mere probabilis, & quodlibet argumentum mere probabile, etiam formaliter, seu verbaliter positivum, ut vocant, proxime situm in apparentia alicujus objecti, utpote non metaphysice evidens, nec essentialiter infallibile, expositum quod ad nos est, modo

modo suo, periculo erroris: cum non sit metaphysice evidens, nec essentialiter infallibile, non posse re vera objectum aliter se habere, ac appareat intellectui, etiam diligenter philosophanti: multa enim falsa probabiliora veris: ergo hoc præcise, quod est, posse subesse falso, ita ut latere fortasse repugnantia possit, quæ non appareat; non obstat propositioni, de qua loquimur: sicut neque obstat propositioni oppositæ, pro impossibilitate, hoc præcise, quod est, posse ita subesse falso, ut latere fortasse possit possibilitas in objecto, quæ non appareat.

Secundo, quia si præcise periculum errandi obstat argumento ex non apparentia; stando huic rationi, non coherentè adversarii fident ulli argumento, deducto ex non apparentia; cum tamen huiusmodi argumentis plena sit tota philosophia: immo quodvis aliud argumentum, quod formaliter positivum dicitur, & proxime fundari videtur in alicujus objecti apparentia; sit reductive negativum, in sensu, quo loquimur; utpote, quod tandem aliquando in alicujus objecti non apparentiam resolvatur, ut probatum est *sup.* 1.

X. Non obstat secundum, scilicet non major ratio: quia vel sermo est de ratione affirmandi potius possibilitatē, quam impossibilitatem: vel de ratione assumendi potius unam propositionem, quam aliam oppositam, v. g. hanc potius: omne non apparens repugnare, est possibile; quam illam: omne non apparens non repugnare, est impossibile; vel illam: omne non apparens repugnet, nec non repugnare; neutrum est intellectui. Si sermo est de ratione affirmandi potius possibilitatem, quam impossibilitatem; habetur quoad hoc major ratio, estque suppositio præmissarum, in quibus elucet identitas inter non apparens repugnare, & possibile: & præterea identitas inter objectum A, & non apparens repugnare: ex qua identitas infertur identitas inter objectum A, & possibile: quæ identitas realiter eadem unitertio, sunt eadem inter se. Igitur suppositio unius præmissæ potius, quam alterius, est potior ratio, & motivum causale, probandi, quod affirmetur potius possibilitas, quam impossibilitas objecti A, in conclusione. Si vero sermo sit de ratione assumendi potius unam propositionem ex tribus enumeratis, quam alias; iterum peto: vel loquimur de ratione, & motivo formali, vel de ratione, & motivo causali: si de ratione, & motivo formali, illud est veritas ipsius propositionis, quæ immediate, & per se apparet intellectui,

lectui, qui propositionem illam amplectitur immediate, & ut primum principium speculative probabile, ut supra diximus: si de ratione, & motivo causali; petitio est de subiecto non supponente: supponit enim assignandam causam, idest præmissas, cur intellectus assentiatur propositioni, quam amplectitur, immediate, & per se, quippe ut principium speculative probabile, absolute, & simpliciter primum; juxta doctrinam Aristotelis, quam innuebam *disp.* 1. præsertim *num.* 3. & 4.

XI. Non obstat tertium, scilicet numerus anceps siderum: quia ex ipsa apprehensione terminorum aliquibus doctis videtur vera, adeoque assumptibilis, ut primum principium speculative probabile, hæc propositio: quoties, diligenter consideratis prædicatis alicujus objecti, in hoc, immediate, aut mediate aliunde non apparet repugnantia: quanvis nec immediate, aut mediate aliunde appareat possibilitas; est possibile: at vero nulli adhuc viro docto visa est talis, hæc alia propositio: quoties, considerato diligenter stellarum numero ab astronomo etiam docto, eidem non apparet immediate, aut mediate aliunde imparitas; standum pro paritate; quanvis neque hæc appareat immediate, aut mediate quidem, sed aliunde. Quod, si talis videretur, utiq; assumi posset, ut primum principium speculative probabile, nisi aliunde probari posset, aut aliunde impugnari. Ita responderi etiam poterit pro secunda propositione, quæ impossibilitatis partes tuetur.

XII. Non obstat quartum, scilicet præsumptio pro non actualitate, pro non existentia, pro non præsentia. Ratio vel est, quia hic & nunc illa propositio pro possibilitate, scilicet: omne non apparens repugnare, est possibile, idest habens capacitatem ad existendum; supponitur ut primum principium speculative probabile: at vero non supponitur ut primum principium speculative probabile hæc alia propositio pro actualitate, pro existentia, pro præsentia, scilicet: omne non apparens actu existere, aut esse præsens, est actu existens, est actu præsens, idest habens actualem existentiam, habens actualem præsentiam. Vel ratio est, quia illa propositio prædicta pro possibilitate hic, & nunc asseritur, ut conclusio probabiliter deducta per syllogismum, cujus major probabiliter supponatur, v. g. præsumptio stat pro numero majore, dum nihil obstat: sed major est numerus rerum, non actualiter existentium nunc: & non præsentium hic: quam rerum

rerum actualiter existentium, nunc, & præsens hic : siquidem infinita, quæ hic, & nunc actu non existunt, possibilis sunt, nec aliquid aliunde obstat : ergo præsumptio stat pro rerum non actuali existentia, & præsens, dum nihil obstat aliunde. Aut ita melior est conditio possidentis, etiam in philosophicis, dum nihil obstat : sed carentias rerum, & præsensiarum creaturarum (de his enim loquimur) certum est extitisse ab æterno, & veluti possedisse existentiam, non autem res, & præsens ipsas, nulla enim creatura fuit ab æterno : ergo, dum nihil obstat, præsumptio stat pro carentiis rerum, & præsensiarum prædictis : adeoque valet hoc argumentum : non apparet, rem existere, aut esse præsentem : ergo re vera non existit : ergo re vera non est præsens : at non valet illud argumentum : non apparet, rem posse existere, aut posse esse præsentem : ergo re vera non potest existere : ergo re vera non potest esse præsens : immo valet oppositum, scilicet : non apparet, rem non posse existere, non posse esse præsentem, idest non habere capacitatem ad existendum hic, & nunc : ergo potest : ergo habet capacitatem.

XIII. Non obstat quantum, scilicet perfectio Possibilitatis : quia hoc ipsum assumitur, ut primum principium speculative, probabile, scilicet : quoties consideratis diligenter prædicatis alicujus objecti, non apparet implicantia contradictionis ; illud est possibile, non obstante, quod possibilitas sit perfectio. Ut autem privilegia privilegiis, ita principia principiis conquassantur : utque unum privilegium non habet locum, si alterum privilegium oppositum prævaleat ; ita unum principium, ubi alterum præstet pro opposita parte. Jam in casu nostro, quando dicitur : non sunt ponendæ perfectiones ; sensus est, si nihil obstat : obstat autem, ut diximus, aliud principium prævalens, quod scilicet potius præsumenda sit possibilitas, quam impossibilitas, non obstante, quod possibilitas sit perfectio, & impossibilitas imperfectio. Sic ipsi adversarii dicunt, quod non obstante illo principio : non sunt ponendæ perfectiones ; præsumptio stat pro majore numero : quia hæc secunda præsumptio assumitur, ut prævalens primæ præsumptioni pro imperfectione ; & quidem ita prævalens, ut possit quandoque non prævalere, si nimirum aliquid obstat aliunde, sique prævaleat aliud principium. Unde si hic & nunc controvertatur, utrum Petrus sit moraliter bonus, vel malus, & neutrum probetur aliunde ; potius dicendus est Petrus habere bonitatem.

nitatem, quam malitiam moralem; non obstante, quod bonitas sit perfectio, malitia imperfectio; & non obstante, quod major sit numerus malorum hominum, quam bonorum: prævalet enim aliud principium, seu lex in moralibus, nimirum: nemo præsumendus est malus, nisi probetur: quod quidem aliqui, non ut primum principium agnoscunt, sed ut conclusionem, deductam ex illo alio principio: melior est conditio possidentis. Cum enim, inquit, constat, Petrum semel habuisse innocentiam; præsumendum est, quod illam retineat, nisi illam amisisse probetur aliunde.

Sic etiam pugnant quandoque inter se hæc tria principia: primum, non sunt multiplicandæ virtutes, potentia, capacitates, perfectiones naturales in creaturis: secundum, non sunt multiplicanda miracula: tertium, non est recurrendum ad Deum. Enimvero ad salvandum effectum in creatis, vel est ponenda virtus naturalis in causa secunda: vel ponendum miraculum: vel recurrendum ad authorem naturæ, seu causam primam. Quodnam autem hic & nunc prævaleat ex tribus hisce principiis, utique hic & nunc ex eo, quod immediate, licet solummodo probabiliter, appareat, decidendum. Sic etiam pugnant inter se hæc duo principia adeo philosophis familiaria: primum, non sunt multiplicanda entia: secundum non sunt ponendæ virtutes, seu perfectiones. Nequit enim unum verificari, quin alterum eo ipso falsificetur: nam, dum quæritur v. g. utrum aliquod ens sit compositum, an simplex; si dicatur esse compositum, multiplicantur entia, nempe partes ipsius diversæ: si dicatur esse simplex, ponitur perfectio, cujusmodi est simplicitas; quæ præstat compositioni, ex genere suo: & dum quæritur, quot partes habeat aliquod compositum; si dicatur habere plures partes, multiplicantur entia: si pauciores; ponuntur perfectiones, & virtutes: siquidem, & minus imperfectum est compositum, quod minus a perfectione simplicitatis recedit: & majorem virtutem habent tres partes, si solæ sufficiant ad constituendum adæquate aliquod compositum; quam si consortium partium aliarum ulterius requirant, quibus indigeant. Et dum quæritur, quot entia causent aliquem effectum in suo genere; si dicantur illum causare plura, multiplicantur entia, seu causæ: si pauciora; multiplicantur virtutes, atque perfectiones: quandoquidem major virtus, atque perfectio est in illis entibus, seu causis, quæ sufficiunt ad effectum, quam quæ alieno

alieno consortio indigent, ut quoad hoc compleantur in ordine ad operandum.

Breviter: pugnant plerunque inter se collata prima principia probabilia: nec, nisi ex eo, quod immediate verum apparet, passim decidimus, prævalere hic & nunc unum alteri: v. g. præsumptionem pro numero majore, prævalere præsumptioni pro minore numero entium, præsumptioni pro minore perfectione: vel viceversa, præsumptionem pro possibilitate, his, & similibus præsumptionibus, etiam si militent, prævalere.

XIV. Non obstat sextum, scilicet præsumptio pro chimeris, utpote pro numero majore. Primo, quia, etiam data majoritate numeri, obstat præsumptio pro possibilitate, quæ supponitur prævalere præsumptioni pro numero majore, ut diximus supra.

Secundo, quia quando dicitur major esse numerus chimerarum, quam entium realium, vel sermo est absolute, & simpliciter, & in universum: vel secundum quid, hic & nunc, in subjecta materia, scilicet consideratis duntaxat illis objectis, quorum diligenter examinatis prædicatis, in iis nullam philosophus invenit repugnantiam. Si primum, non est ad rem: sic, licet absolute, & simpliciter major putetur numerus malorum hominum, quam bonorum; secus tamen in cætu piorum religiosorum, seu in multitudine catholicorum, qui propria peccata sacramentaliter nuper confessi sint. Immo, ut notat ipse Confalonierius, qui acriter pugnat pro chimeris, quanvis absolute, & simpliciter plures sint homines mali, quam boni, quia tamen non probatur, quod in quavis collectione particulari, & determinata, plures sint mali, quam boni; non licet in dubio de Petro, qui est unus ex collectione A, præsumere, quod sit malus: quando debet præsumi oppositum. Si secundum, in determinata collectione illorum objectorum, quorum consideratis diligenter prædicatis, in iis nullam invenit philosophus repugnantiam, non probatur major esse numerus chimerarum, quam entium possibilem, licet nec probetur oppositum.

Tertio, quia inter objecta illa controversa, quorum diligenter consideratis prædicatis, in iis apparet opinanti philosopho possibilitas, vel major est numerus chimerarum, quam numerus entium vere realium, vel non. Si est major: ergo ad hominem, vel neque ex apparentia possibilitatis licebit opinando affirmare possibilitatem objecti; vel si licebit, urgente apparentia possibilitatis,

tis, & non obstante majore numero chimerarum, affirmare possibilitatem; quare non etiam liceat, urgente apparentia repugnantia, & impossibilitatis, non obstante majore numero chimerarum, affirmare possibilitatem, dum nihil aliunde obstat ex fide, aut simili capite? Si non est major: sicut, per adversarios, quavis major absolute, & simpliciter sit numerus chimerarum, quam entium realium; secus vero in multitudinæ illorum objectorum, etiam controversorum, in quibus philosopho diligenter speculanti apparet possibilitas, seu non repugnantia; ita cur non poterit ita dici in multitudine illorum objectorum, in quibus philosopho diligenter speculanti non apparet impossibilitas, seu repugnantia? Sique apparentia possibilitatis, alioqui fallibilis, vincit per ipsos numeri majoris præsumptionem, aut numeri minoris hic, & nunc præsumptionem inducit; quare non idem præstare poterit non apparentia impossibilitatis, seu non apparentia repugnantia? supposita illa propositione, ut primo principio probabili: omne non apparens repugnare est possibile.

XV. Non obstat septimum, scilicet præcise, quia hinc argumentum sit negativum: nam nomine argumenti negativi, vel venit primo argumentum, idest syllogismus constans utraque præmissa negativa: vel venit secundo argumentum, idest syllogismus constans una præmissa positiva, & altera negativa quomodocunque: vel venit tertio argumentum, idest syllogismus constans una ex præmissis sita in non apparentia; nimirum syllogismus, cujus medius terminus fundetur in non apparentia, sitque hic: non apparens repugnare; vel: non apparens existere; vel: non apparens necessarium; vel: non apparens dispar. Si primum, nec facit ad rem: nec ullus est hujusmodi syllogismus: quandoquidem, juxta regulas summularum, ex puris negativis nihil sequitur: cum enim in conclusione vel affirmanda sit identitas duorum inter se, ex vi identitatis eorundem cum uno tertio, affirmata in præmissis; vel neganda identitas duorum inter se, ex vi identitatis unius cum uno tertio, affirmata in una præmissarum, & identitatis alterius cum eodem tertio, negata in altera præmissarum; hinc vel utranque præmissam affirmativam esse oportet, vel saltem alterutram. Si secundum, & nec facit ad rem, & ita vim negare opus erit cuilibet syllogismo, qui unam habeat præmissam negativam, cujusmodi sunt syllogismi in Celarent, in Ferio, &c. omnibus passim, ipsisque adversariis familiares. Si tertium,

*Ant. Forti.*

con-

contra est primo, quia nec valebit ita syllogizare, ut faciunt quidam ex adversariis, pro impossibilitate: omne non apparens possibile, est impossibile: sed A, est non apparens possibile: ergo A, est impossibile. Nec, ut faciunt alii pro neutralitate: omne non apparens possibile, aut impossibile, neutrum est quoad nos: sed A, est non apparens possibile, aut impossibile: ergo neutrum est quoad nos. Siquidem etiam uterque prædictus syllogismus est negativus in eo sensu, quo primus syllogismus, quem examinamus, pro possibilitate, qui ita procedit: omne non apparens repugnans est possibile: sed A, est non apparens repugnans: ergo A, est possibile. Minor enim omnium trium sita est in *non apparentia*, seu omnes tres syllogismi prædicti habent medium terminum negativum, quatenus negativum dicitur hoc, quod est, *non apparens*. Secundo contra est, quia, si hic modus syllogizandi improbat præcise, quia negativus in sensu præexplicato; ergo & improbari oportebit omnem alium similem syllogismum, puta ex non apparentia necessitatis, ex non apparentia obstaculi, ex non apparentia disparitatis; quidquid inde deduci velit: cum, tamen omnibus his modis, vel saltem aliquibus, utantur passim ipsi adversarii. Tertio contra est, quia hoc pacto humanam, philosophiam negare oportebit, quam vel nullam esse, vel nonnisi tali negativo argumento totam fundari probavimus in *Clavi disp. 1. per totam*.

XVI. Non obstat octavum, scilicet præcise, quia hinc fit argumentum negativum tale: deberet enim probari ex aliquo speciali capite, cur, licet alia argumenta negativa in sensu prædicto vim habeant, in genere quæque suo; hoc tamen ad inferendam possibilitatem non habeat vim, ita ut assumi non possit ad ita syllogizandum hæc propositio: omne non apparens repugnare, est possibile: sed A, est non apparens repugnare: ergo est possibile; & tamen assumi possit ad ita syllogizandum hæc alia: omne non apparens non repugnare, est impossibile: sed A, est non apparens non repugnare: ergo est impossibile; vel illa: omne non apparens repugnare, vel non repugnare, neutrum est quoad nos: sed A, est non apparens repugnare, & non apparens non repugnare: ergo A, neutrum est quoad nos: & assumi item possint aliæ propositiones ad simili modo syllogizandum, cum æque ex omnibus argumentum fiat in suo genere negativum in sensu, quo loquimur, quidquid de cætero velit inde deduci.

*Phil. Neg. Log.*

P

Non



Non obstat nonum, scilicet aliquid aliud: quia hoc non est assignabile. Igitur nihil aliunde obstat primæ propositioni pro possibilitate, quæ erat: omne non apparens repugnare, est possibile. Adeoque nihil aliunde probat secundam propositionem pro impossibilitate, aut tertiam propositionem pro neutralitate.

XVII. Dico 4. Quoad secundam propositionem pro impossibilitate, quæ erat: omne non apparens non repugnare, est impossibile; contra ipsam pro prima, aut tertia nihil obstat aliunde. Assertio probatur: Nam

Primo vel obstat præcise, quia exposita est periculo erroris: quod forte latere possit in objecto non repugnantis, idest possibilitas, licet philosopho etiam diligenter speculanti (quem plura non raro latent) non innotescat.

Secundo vel obstat, quia, cum nec aliunde appareat possibilitas, seu non repugnantis, nec impossibilitas, seu repugnantis, non est major ratio, cur potius impossibilitas, quam possibilitas affirmetur.

Tertio vel obstat, quia astronomo, quantunvis exacte perscrutanti stellarum numerum, ubi non appareat aliunde earum paritas, aut imparitas; non ideo imparitas affirmatur: ergo philosopho, quantunvis exacte perscrutanti huiusmodi prædicata alicujus objecti, ubi non appareat aliunde possibilitas, aut impossibilitas; non ideo impossibilitas affirmari rationabiliter potest.

Quarto vel obstat, quia nemo præsumendus est malus, nisi aliunde probetur: cum igitur esse chimeram, sit malum, sicut esse ens reale est bonum; nihil præsumendum est esse chimeram, nisi id aliunde probetur.

Quinto vel obstat, quia in dubiis, præsumptio stat pro divina omnipotentia, de qua melius sentire videtur, qui ita philosophatur: quoties controvertitur, utrum aliquod objectum, quod non sit Deus, sit possibile, an impossibile, quod idem est, ac, utrum illud fieri possit, nec ne per divinam omnipotentiam; dicendum est, illud esse possibile, idest fieri posse per divinam omnipotentiam, si diligenter pensatis omnibus, neutrum aliunde probetur.

Sexto vel obstat, quia, dum non apparet, Petrum existere, aut non existere: dum non apparet existere in arca nummos, aut non existere; dicendum est, vere Petrum non existere; vere non existere in arca nummos: ergo, dum non apparet in objecto existere.

stere repugnantiam ; dicendum est , vere in illo repugnantiam , nullam esse ; adeoque objectum illud esse possibile.

XVIII. Septimo vel obstat, quia, si ubi non apparet aliunde possibilitas, aut impossibilitas absolute, & simpliciter, idest quo ad essendum absolute, & simpliciter; objectum absolute, & simpliciter non existens, reputatur absolute, & simpliciter impossibile, idest implicans existere absolute, & simpliciter: ergo, ubi non apparet aliunde possibilitas, aut impossibilitas secundum, quid, idest quoad essendum secundum quid; objectum secundum quid non existens, reputandum erit impossibile secundum, quid, v. g. objectum obedientialiter non elevatum; implicans obedientialiter elevari: objectum non destructum; implicans destrui: objectum non multiplicatum; implicans multiplicari: objectum non motum; implicans moveri: objectum non translatum; implicans transferri: objectum non visum; implicans videri: & similia.

Octavo vel obstat, quia ita omnia, quæ non existunt, dicenda erunt *impossibilia*: cum per philosophiam pure humanam, sibi relictam, de nullo, quod non existit, probari possit esse possibile, nisi præcise per non apparentiam repugnantiae.

Nono vel obstat, quia D. Augustinus in illud Apostoli ad *Corinth. cap. 1. vers. 20. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*, hæc habet: Sapientiam hujus mundi fecit Deus stultam, faciendo, & declarando esse possibile, quod ipsa judicat impossibile: quod etiam expresse docet D. Anselmus *lib. cur Deus homo, & alii SS. Patres*.

Decimo vel obstat, quia hinc negativum efficitur argumentum.

Undecimo vel obstat, quia hinc efficitur argumentum negativum tale...

Duodecimo vel obstat aliquid aliud.

Atqui nullum ex prædictis obstat: ergo contra secundam propositionem pro impossibilitate, nihil obstat aliunde.

Minor probatur, quandoquidem non obstat primum, scilicet præcise periculum errandi, sicut hoc periculum non obstat possibilitati præsumptæ per adversarios, aut probabilitati positive, ut ipsi ajunt, probatæ, ut fufius dictum est supra *num. 9.*

XIX. Non obstat secundum, scilicet, non major ratio: quia ratio assumendi primum principium probabile, est apparen-

tia veritatis ex ipsis terminis : ratio asserendi deinde in conclusione impossibilitatem inde illatam , sunt præmissæ, in quibus videns intellectus identitatem objecti , A , cum hoc termino, *non apparens possibile* , & identitatem hujus termini cum, *impossibile*; determinatur ad affirmandam identitatem impossibilis cum objecto A , quatenus quæ sunt realiter eadem uni tertio , sunt eadem inter se ; ita syllogizando: omne non apparens possibile , est impossibile : sed objectum A , est non apparens possibile : ergo est impossibile, ut fusiùs dictum est supra *num. 10.*

Non obstat tertium , scilicet numerus anceps siderum : sicut non obstat præsumptioni pro possibilitate : & ratio est , quia assumitur , ut primum principium speculative probabile hoc : omne non apparens possibile , est impossibile: non vero assumitur illud : omne non apparens par , est impar ; ut item diximus supra *num. 11.*

Non obstat quartum , scilicet malitia impossibilitatis : quia, sicut per adversarios non obstat perfectio possibilitatis , ita nec probatur obstare imperfectio impossibilitatis : supponitur enim prævalere hoc principium : omne non apparens possibile , est impossibile , non obstante malitia impossibilitatis , nisi oppositum probetur aliunde, aut supponatur ex alio capite fortiore, ut si esset de fide, objectum aliquod esse possibile. In moralibus nõ præsumitur malitia , sed bonitas , quia urget lex positiva, vetans quoad hoc tale iudicium , illudque damnans , ut temerarium ; adeoque vel supponitur ut primum principium morale : nemo præsumendus est malus : vel probatur , ut conclusio aliunde deducta , scilicet ex præsumptione innocentie aliunde certo possessæ, ut dictum est supra *num. 13.* In philosophicis vero nulla est lex , aut principium , cui obsequi teneatur philosophus , quod obliget intellectum , ut nullum objectum præsumat impossibile , nisi ejus impossibilitas aliunde probetur , aut innotescat.

XX. Non obstat quintum , scilicet præsumptio pro omnipotentia : quia, sicut non minus præjudicaret divinæ omnipotentie , qui ei tribueret , posse absolute facere objectum chimericum , quam qui eidem negaret , posse absolute facere objectum reale, quod non sit ipse Deus , qui est ens essentialiter infactibile ; ita non magis divinæ omnipotentie non præjudicat , qui assumit primam propositionem pro possibilitate objectorum , de quibus contrayertitur , ac qui assumit secundam pro eorundem impossibilitate ;

tate ; licet primus se exponat periculo tribuendi divinæ omnipotentiaë chimeram ; secundus denegandi divinæ omnipotentiaë ens reale , quod non est Deus . Igitur quando dicitur : præsumptio stat pro divina omnipotentia ; vel sensus est primo conditionate , vel secundo absolute : primo conditionate , nimirum : si aliquod objectum constet esse reale , præsumendum est fieri posse a Deo , nisi sit infactibile , ut infactibilis est ipse Deus . Secundo absolute , nimirum : eo ipso , quod dubium est , utrum objectum aliquod sit possibile , nec ne ; adeoque utrum fieri possit , nec ne per divinam omnipotentiam ; præsumendum est , illud esse possibile , adeoque fieri , vel produci posse per divinam omnipotentiam . Si primum , ultro conceditur : si secundum , est petitio principii . Quavis enim hujusmodi propositio , ex supra dictis , aliquibus apparere possit immediate vera , adeoque supponi possit , assumique , ut primum principium speculative probabile ; non tamen est , cur non etiam possit viceversa aliis , vel etiam iisdem , sed in alio tempore , & circumstantiis , non illa , sed opposita propositio apparere vera , adeoque opposita propositio supponi , & assumi ab ijs , ut primum principium speculative probabile ; cum materialiter se habere videatur , respectu divinæ omnipotentiaë , objectum aliquod , de quo controversitur , esse re vera in se possibile , aut impossibile ; dummodo in confesso sit apud omnes , illud fieri , seu produci posse a Deo , ex suppositione , quod non repugnet ; fieri , seu produci absolute non posse a Deo , ex suppositione , quod contradictionem involvat in suis prædicatis .

XXI. Non obstat sextum , scilicet præsumptio pro non existentia in contingentibus . Quia , in contingentibus præsumendam esse non existentiam , si nihil obstat , vel supponitur ut primum principium speculative probabile , vel asseritur ut conclusio aliunde probata , licet tandem ex vi alicujus syllogismi , cujus una præmissa probabiliter supponatur , ut dictum est supra n. 12 .

Quod autem in non existentibus præsumenda sit non repugnantia , vel assumitur ut primum principium probabile , vel asseritur ut conclusio aliunde deducta . Si primum , non est contra nos , dummodo concedatur & posse aliis videri verum oppositum , adeoque & assumi , supponique oppositum , ut primum principium speculative probabile . Si secundum , negatur , quia non potest aliunde probari , nisi fortasse supponatur aliquid aliud , quod licet non sit formaliter idem cum conclusione , de qua controversamus ,

timus, sit tamen vel æquipollenter idem, vel cum ea connexum, & æque incertum: ut si quis v. g. supponeret, omnino præsumi debere in dubiis potentiam in Deo producendi objecta non existentia: & deinde formaret argumentum hoc pacto: in dubiis præsumenda est in Deo potentia absoluta producendi objecta non existentia: sed si præsumitur in Deo potentia absoluta producendi objecta non existentia, præsumitur in illis non repugnantia, ut patet: igitur in dubiis præsumenda est in objectis non existentibus non repugnantia ad existendum. Et ideo dictum est, non posse probari aliunde, idest independenter a medio termino non apparentiæ, & clariore claritate majoris certitudinis. In casu autem nostro res eo reducitur: omnis potentia non apparens non existens in Deo, existit in Deo: sed potentia absoluta producendi, v. g. infinitum, est non apparens non existens in Deo: ergo existit in Deo; adeoque medius terminus est *Tò*, non apparens.

XXII. Non obstat septimum, scilicet sequi hinc, & præsumendam esse in objectis existentibus impossibilitatem secundum quid. Quia, nisi in ordine ad aliquod vel ex fide, vel aliunde constet oppositum; hoc ipsum in ordine ad impossibilitatem secundum quid videri poterit aliquibus immediate verum, adeoque assumi ut primum principium. Sicut videri aliis potest immediate verum, oppositum: & pariter affirmari ut primum principium solummodo probabile. Quod si Sancti Patres asserant, posse Deum de suis creaturis facere plura, præter ea, quæ earum rationes seminales habeant, idest supra earundem naturam; id affirmari etiam in universum ob auctoritatem ipsorum Patrum, & Scripturarum: in casibus tamen particularibus hic & nunc absolute, ac determinate, non asserendum, nisi quod posse appareat esse verum, saltem probabiliter, vel mediate, vel immediate, juxta hæcenus tradita.

Non obstat octavum, scilicet sequi hinc, quod omnia non existentia, de quibus controvertitur, dicenda essent impossibilia. Quia, ubi non constet aliunde, objectum aliquod non existens esse possibile, ut de multis constare creditur ex fide, non est cur ita præsumi in universum in objectis determinatis pro impossibilitate nequeat. Hinc negato principio præsumptionis pro possibilitate, negatoque negativo medio termino, non apparentiæ, tolleretur de medio, nec suppeteret philosophiæ pure humanæ sibi

sibi relicta, argumentum intrinsecum affirmandi possibilitatem rerum non existentium dubiarum.

XXIII. Non obstat nonum, scilicet autoritas D. Augustini in illud Apostoli *ad Corinth. cap. 1. vers. 20. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*: ubi D. Augustinus hæc habet: Sapientiam hujus mundi fecit Deus stultam, faciendo, & declarando esse possibile, quod ipsa judicat impossibile: quod idem expresse docet D. Anselmus *lib. cur Deus Homo*, aliique Sancti Patres. Qui enim assumit, præsumptionem esse pro impossibilitate (sive de cætero intellectus humanus natura sua potius inclinet ad excogitandas impossibilitates, & difficultates, quam facilitates, & possibilitates, sive non, quod quidem non est adeo liquidum, ut multi putant) haud quidem negat, nonnunquam errare homines, putando impossibile id, quod re vera est possibile: sicut D. Augustinus, & cum eo omnes, qui recte sentiunt, ultro concedunt, nonnunquam errare homines, putando possibile id, quod re vera impossibile est.

Non obstat decimum, scilicet quia hinc negativum construitur argumentum. Siquidem & negativum est argumentum adversariorum pro possibilitate, aut neutralitate: & negativa est omnis pure humana philosophia, sibi relicta, in sensu, quo loquimur, ut dictum est *disp. 1.*

Non obstat undecimum, scilicet quia hinc fit tale argumentum negativum. Quia non est specialis ratio in contrarium.

Non obstat duodecimum; scilicet aliquid aliud: quia non est assignabile. Igitur nihil obstat aliunde secundæ propositioni pro impossibilitate, quæ erat: omne non apparens non repugnare, est impossibile: adeoque nihil aliunde probat aut primam pro possibilitate, aut tertiam pro neutralitate.

XXIV. Dico 5. Quoad tertiam propositionem, pro neutralitate, quæ erat: omne nec apparens repugnare, nec apparens non repugnare, neutrum determinate est intellectui; contra ipsam pro prima, aut secunda nihil obstat aliunde. Assertio probatur: nam.

Primo vel obstat, quia ita tollitur de medio omne argumentum decidendi in dubiis possibilitatem, aut impossibilitatem, tum in ordine ad essendum simpliciter, tum in ordine ad essendum, secundum quid: adeoque quo ad hæc, ubi controvertitur, semper præscindendum erit, suspendendo judicium: cum ratio nulla intrinseca possit assignari pro possibilitate rei controversæ, nisi negativa, videlicet ex non apparentia repugnantia. Se-

Secundo vel obstat, quia non solum quoad possibilitatem, & impossibilitatem, verum etiam quoad existentiam, & non existentiam, & similia, in controversiis, præscindendum erit, suspendendo iudicium: cum nihil probet, sibi relicta, philosophia, pure humana, iuxta nostra principia, quod saltem ultimo non reducatur in argumentum aliquod negativum, ut dictum est *disputatione* 1.

Tertio vel obstat, quia ita de omnibus absolute & simpliciter dubitandum: etiam de illis, quæ nobis per apparentiam innotescunt, adeoque in omnibus erimus plus, quam Sceptici: ut enim periculum errandi est per non apparentiam, ita & per apparentiam: cum possit fortasse aliquid, quod re vera non est, apparere intellectui: ut aliquid, quod re vera est, potest non apparere philosopho, quantunvis docto, & quamdiligeret objectorum essentias speculanti.

Quarto vel obstat, quia præjudicat divinæ omnipotentiae: dum quia melius sentire videntur, qui, ubi diligenter perpensis omnibus, in objecto, de quo controvertitur, non apparet possibilitas, neque apparet impossibilitas; standam asserunt pro possibilitate.

Quinto vel obstat, quia inde negativum fit argumentum. Sexto vel obstat, quia tale negativum argumentum. Septimo vel obstat aliquid aliud. Atqui nihil obstat ex prædictis: ergo nihil obstat. Minor probatur: si quidem

XXV. Non obstat primum, scilicet, nullius objecti non existentis possibilitatem posthac probari posse: quia hoc ipsum assumitur, ut primum principium speculative probabile, videlicet, nihil dicendum esse possibile simpliciter, aut secundum quid, præcise ex eo, quia in eo non appareat repugnantia ad simpliciter, aut secundum quid: sicut nec dicendum impossibile, præcise ex eo, quia in eo non appareat non repugnantia.

Non obstat secundum, scilicet, hinc sequi, quoad omnia in controversiis præscindendum esse, suspendendo iudicium, cum negativis argumentis plena sit omnis pure humana philosophia: quia vel supponitur in aliis materiis principium aliquod simile, favens neutralitati, vel non. Si primum, utique eodem modo in illis etiam materiis sequitur præscindendum esse, v. g. si supponatur: omne non apparens necessarium, nec apparens superfluum, neutrum est determinate quoad nos; sequitur suspendendum esse iudicium quoad necessitatem, vel superfluitatem.

*Ans. Forti.*

re-

rerum controversarum . Si supponatur : omne , etiam superfluum , non apparens existens , nec apparens non existens , neutrum est determinate quoad nos ; sequitur , suspendendum esse iudicium quoad existentiam , vel non existentiam rerum controversarum , licet aliunde videantur superflue : ideo enim passim valet : A , est superfluum in natura : ergo non datur ; quatenus supponitur hoc principium : non sunt multiplicanda entia sine necessitate , puta actuali , & absoluta . Hoc assumptum posset aliis videri falsum , adeoque negari : aliis videri solummodo dubium , adeoque de ejus veritate præscindi . Sicut illud aliud principium : non sunt ponendæ possibilitates , nisi probentur : vel illud , scilicet : non sunt ponendæ impossibilitates , nisi probentur . Et illud quoq ; principium , scilicet : etiam sine actuali , & absoluta necessitate , sunt multiplicanda entia , pro liberalitate , & superabundantia , & conditionata providentia naturæ , ubi non constet oppositum , aut nihil obstat aliunde : vel principium oppositum , quod scilicet non sint multiplicanda . Si supponatur : omne non apparens æquale , nec apparens inæquale , neutrum est determinate quoad nos ; sequitur , suspendendum esse iudicium quoad paritatem , vel disparitatem , in controversiis ; & sic de reliquis principiis similibus .

Si vero dicatur secundum , videlicet , si in aliis materiis non appareat immediate verum , adeoque non supponatur principium aliquod simile , favens neutralitati ; non sequitur , etiam in hujusmodi materiis suspendendum esse iudicium , ut patet .

XXVI. Non obstat tertium , scilicet , quia ita dubitandum , esset de omnibus , de ijs etiam , quæ per apparentiam innotescunt . Nam , ex ipsa apprehensione terminorum , acquiescendum videtur argumento ex apparentia in ordine ad aliquod probabiliter asserendum , non autem argumento ex non apparentia : de hac videri oppositum , adeoque oppositum assumi , ut primum principium speculativum mere probabile : indeque solum deduci neutralitatem , præcisionē , & suspensionē iudicii . Et sane , quoad apparentiam , vel sermo est primo de apparentia , idest notitia , & cognitione evidenti , vel secundo de fide , vel tertio de probabili . Si primo de evidenti , de hac non controvertitur , de qua deliberate dubitare , formidare , aut saltem velle præscindere , esset temeraria stultitia , juxta ea , quæ diximus *disp.* 1. Si secundo de fide , de hac deliberate dubitare , formidare , aut velle præscindere , esset hæ-

*Phil. Neg. Log.*

Q

rels,



ressis, & infidelitas. Si tertio de probabili, dico, quoad hanc supponi posse oppositum ab aliis, ut primum principium item, probabile, si ijs immediate verum esse apparebit: licet neutrum sit infallibile.

XXVII. Non obstat quartum, scilicet præjudicium divinæ omnipotentiae. Quia, sicut non probatur præjudicare divinæ omnipotentiae, aut non bene de ea sentire philosophus, qui, diligenter libratis omnibus, æstimet, sibi proferendum iudicium pro possibilitate, aut pro impossibilitate, licet sese exponat periculo tribuendi divinæ omnipotentiae aliquod re vera impossibile, quod ipse tamen putat possibile; aut eidem negandi aliquod re vera possibile, quod ipse reputat impossibile; ita nec probatur eidem omnipotentiae præjudicare, aut de eadem male mereri philosophus, qui veluti positus in æquilibrio, non apparente aliunde possibilitate, aut impossibilitate objecti controversi, æstimet sibi suspendendum absolute iudicium, omnino præscindendo: cum alioqui conditionate asserere intelligatur, objectum illud, cuius ipsi nec possibilitas, nec impossibilitas elucescit, fieri re vera posse per divinam omnipotentiam, si in se sit possibile; secus vero, si impossibile: sicut etiam, qui æstimat sibi affirmandam possibilitatem alicui objecto, vel negandam; ut de divina omnipotentia recte philosophetur, semper asserere conditionate intelligitur, sua non obstante probabilitate, adhuc objectum illud vere fieri non posse absolute per divinam omnipotentiam, si vere sit impossibile in se, quanvis habeat probabilitatem possibilitatis; fieri autem posse, si vere sit possibile, quanvis habeat probabilitatem impossibilitatis. Quod quidem non est, cur ad divinæ omnipotentiae partes tuendas non sit sufficiens.

Non obstat quintum, sextum, aut septimum, scilicet quia, hinc negativum, aut tale negativum sit argumentum: aut aliquid aliud, ut remanet satis probatum ex supra dictis. Igitur nihil obstat aliunde tertiæ propositioni pro neutralitate, quæ erat: omne non apparens repugnare, nec apparens non repugnare, neutrum determinate est intellectui: adeoque nihil aliunde probat aut primam propositionem pro possibilitate, aut secundam propositionem pro impossibilitate.

*Concludendum itaque:*

XXVIII. Trium propositionum hactenus examinatarum, quarum prima pro possibilitate est: *omne non apparens repugnare,*

*re, est possibile* : secunda pro impossibilitate est : *omne non appa-rens non repugnare, est impossibile* : tertia pro neutralitate est : *omne non apparens repugnare, nec non repugnare, neutrum deter-minate est intellectui* ; quamlibet assumi posse, & mere supponi ut primum principium speculativè probabile, cum quælibet pos-sit immediate, licet probabiliter duntaxat, apparere vera intel-lectui : adeoque assumi inexpugnabiliter : propositionem enim, quæ sit hujusmodi, intelligimus, dum dicimus primum principi-um speculativè mere probabile, ne quæstio sit de vocabulo.

Hactenus tradita melius innotescant argumentorum solu-tione, quæ sub aliis etiam terminis præcipue proponuntur, aut innuuntur, præsertim apud Comptonum, Confalonierum, Ca-cheranum, Castiglione *supra citatos*.

## A R T I C U L U S II.

Solvuntur objectiones contra primam propositionem, quæ affirmat in favorem Possibilitatis :

*Omne, non apparens repugnare, est Possibile.*

XXIX. **O** Bijcies 1. Pro impossibilitate, aut neutralitate, Methodus D. Thomæ, Scoti, & veterum, nec non Antonii Perez, Sfortiæ Pallavicini, & plurium recentiorum, est contra argumentum negativum. Ergo prima ex tribus enu-meratis propositionibus redarguitur falsitatis.

Respondeo, nego antecedens. Primo quia, ex dictis, si ve-standum sit pro possibilitate, si ve impossibilitate, si ve pro neutralitate ; argumentum semper est formaliter negativum.

Secundo quia, etiam si formaliter negativum non esset, sal-tem esset reductivè tale : cum in philosophia pure humana, sibi relicta, omne argumentum sit reductivè negativum, ut dictum est *disp. 1.*

Tertio quia expresse D. Thom. & Scotus cum suis, & vete-res passim utuntur argumento ex non apparentia repugnantia, ex non apparentia necessitatis, ex non apparentia rationis in-contrarium, ex non apparentia rationis, & simili. De Antonio Perez, & Sfortiæ Pallavic. & aliis recentioribus non adeo solliciti sumus, ut, si contra nos sentiant, ideo nos Penelopes telam rete-  
xere

xere oporteat. Cæterum Antonius Perez in *manuscriptis*, quæ dictavit Romæ, de Deo disp. 3. cap. 1. §. 1. assertio, negativo arguendi modo expresse utebatur inquiens: *conclusionis probatio erit illius defensio*: quod terminis clarioribus diceretur: *conclusionis probatio erit solutio argumentorum*, seu, *conclusio probatur solutione argumentorum*. Sfortia Pallavicinus in *manuscriptis* de gratia, quæ dictavit Romæ Anno 1646. disp. 3. art. 2. §. 1. & ratio a priori est, hæc habet: *præsumptio stat pro possibilitate*. Sed quidquid sit de his. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Non adhuc probatum est, non posse propositionem, de qua loquimur, assumi in primum principium speculative probabile, licet possint etiam assumi aliæ duæ, illa prætermissa.

XXX. Obijcies 2. Pro impossibilitate. Major est numerus chimerarum, quam objectorum realium. Atqui præsumptio stat pro numero majore: ergo præsumptio stat pro chimeris: ergo probari potest falsitas hujus primæ propositionis, adeoque, & veritas alterutrius ex duabus aliis: itaque nec prima, nec aliæ duæ assumi poterunt, ut primum principium speculative probabile: non prima, quia falsa: non ambæ aliæ, quia alterutra illarum probatur aliunde vera; adeoque non utraque esse potest principium absolute, & simpliciter primum. Major probatur, nā plures sunt opiniones falsæ, quam veræ: essentia enim rerum consistunt in indivisibili: unde est, ut ex pluribus opinionibus circa eandem rem, unam oporteat esse veram, alias omnes essentialiter falsas; unam habere objectum reale, reliquas vero omnes objectum chimericum.

Respondeo primo, distingo majorē, major est numerus chimerarum, absolute, & simpliciter, transeat: in subiecta materia, & in circumstantiis, de quibus loquimur, nego majorem: & distingo minorē: præsumptio stat pro numero majore in subiecta materia, & in circumstantiis, de quibus loquimur, transeat: pro numero majore in universum absolute, & simpliciter, nego minorem, & consequentiam. Ad probationē majoris, distingo eodē modo antecedens: plures sunt opiniones falsæ, quam veræ in universum absolute, & simpliciter, transeat: in subiecta materia, & in circumstantiis, de quibus loquimur, nego antecedens, & consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis articulo superiore.

Secundo, omissa majore, distingo minorem: præsumptio stat pro numero majore, si nihil obstat, concedo: secus, nego minorem,

& con-

& cōsequentiam. Ubi prævalere supponitur alia præsumptio, ut in casu nostro; præsumptio pro numero majore, locum non habet, ex dictis articulo præcedente.

Tertio, contra sic argumentor: si plures sint opiniones falsæ, quam veræ, in omnibus circumstantiis, sique præsumptio semper esse debeat pro numero majore; ergo quælibet opinio præsumenda erit falsa, etiam si appareat vera, adeoque nec ulli argumento probabili, quod adversarii positivum vocant; fidendum erit, quantum est ex vi prædictæ rationis. Cæterum hoc argumentum adversariorum videtur supponere, quælibet propositionem essentialiter falsam habere pro objecto chimeram, ita ut nequeat idem omnino esse objectum propositionis essentialiter veræ affirmativæ v. g. *Deus est*; ac eius contradictoriæ essentialiter falsæ negativæ, *Deus non est*. Quod tamen non caret difficultate. Sed quidquid sit de hoc, cujus non est hic examinandi locus; nec facit ad rem præsentem. Dixi, transeat, majorem esse numerum chimerarum, & propositionum falsarum, consideratum absolute, & simpliciter: hoc enim ipsum est valde incertum, & controversum, & valde probabiliter falsum: siquidem cum quælibet propositio habeat suam contradictoriam, cūque contradictoriarum unam oporteat esse veram, alteram vero falsam; totidem erunt propositiones veræ, ac falsæ. Nec obstat, essentialiter omnino indivisibilem esse: si enim circa eandem omnino essentialiter una v. g. sit opinio affirmativa vera, & mille affirmativæ falsæ; consequenter circa eandem essentialiter una erit propositio negativa contradictoria falsa, & mille propositiones negativæ veræ: adeoque in qualibet hypothese verarum, & falsarum propositionum excessus ita hinc, atque hinc compensabitur, ut earum numerus absolute, & simpliciter sit æqualis.

XXXI. Obijciēs 3. Pro impossibilitate, aut saltem neutralitate. In multis objectis, etiam philosopho diligenter consideranti, non invenitur repugnantia; & tamen non ideo reputantur possibilia: ergo probatur, propositionem, de qua loquimur, esse falsam. Respondeo, distinguo antecedens: si supponatur, ut primum principium, aliqua ex duabus aliis propositionibus huic oppositis, concedo: secus, nego antecedens, & consequentiam. Philosophus, qui assumit, ut primum principium speculative probabile, hanc propositionem: omne non apparens repugnare, est possibile; si recte apprehensis, ac diligenter perpen-  
nis,

nis, & rationibus, non invenit in objecto, de quo controvertitur, repugnantiam vel aliunde, vel immediate; eo ipso habet determinativum sufficiens, ut affirmare possit, illud esse possibile: sicut habet determinativum sufficiens, ut affirmare possit, illud esse impossibile, qui non invenit in objecto non repugnantiam, & supponit ut primum principium probabile illam propositionem: *omne, non apparens non repugnare, est impossibile*: & sufficiens motivum suspendendi iudicium, qui supponit ut primum principium illam propositionem: *omne, non apparens repugnare, nec apparens non repugnare*, neutrum determinate, est intellectui.

XXXII. Obijcies 4. Pro impossibilitate. Non apparet implicans, quod vere implicent aliqua, in quibus, dum controvertitur, non apparet implicantia: ergo probatur propositio, de qua loquimur, esse falsa.

Respondeo, transmissio antecedente, nego consequentiam. Argumentum probat, non esse essentialiter infallibile, eo ipso, quod in aliquo objecto controverso non appareat humano intellectui repugnantia, hanc vere in eo non esse, cum fortasse latere possit: non autem probat, non posse hanc propositionem assumi, ut primum principium speculative probabile: scilicet: *omne non apparens repugnare, est possibile*; *quanvis non videatur repugnare, hanc ipsam propositionem esse falsam*. Sic, quanvis non sit essentialiter infallibile, eo ipso, quod in aliquo objecto appareat repugnantia, hanc revera in eo esse: cum possit in eodem revera esse, & latere possibilitas; valet nihilominus per adversarios probabiliter inde asserere, objectum illud esse impossibile, si in eo appareat repugnantia.

Dixi, transmissio antecedente: si nimirum illud accipiat, ut debet, in præsentia controversia, quod scilicet non appareat aliunde, aut immediate implicans, quod vere implicent aliqua, in quibus, dum controvertitur, non apparet implicantia. Nam, quantum est ex vi principii assumpti; cum appareat non implicans objectum, quod affirmatur non implicans; consequenter apparet implicans, quod idem implicet, ex suppositione, quod non implicet: implicat enim manifeste, quod idem sit simul implicans, & non implicans.

XXXIII. Obijcies 5. Pro neutralitate. Probatur, quod non apparentia repugnantia requiratur quidem, sed non sufficit ad possi-

possibilitatem asserendam : est enim id , sine quo non : non vero id , per quod ; sicut se habet durum ad ferram , ex philosopho : ergo præcindendum .

Respondeo , nego antecedens : quod , licet probari nequeat , assumi tamen potest ut primum principium item speculative probabile , pro neutralitate , & suspensione iudicii , ut diximus .

Obijcies 6. Pro impossibilitate . Omnis veritas est positiva , & maxime connexa cum aliis veritatibus : ergo eo ipso , quod , examinata possibilitate alicujus rei , non apparet ratio positiva , sed solum nulla apparet implicancia ; præsumptio est , quod non sit veritas , & consequenter , quod repugnet res illa , de qua controvertitur .

Respondeo , transmissio antecedente , circa quod multa essent examinanda , & declaranda , cum in eo multæ latere possint æquivocationes ; nego consequentiam . Quia adhuc non probatur , non posse possibilitatem præsumi ( sive de cætero illa sit quid negativum , sive positivum ) supponendo , ut primum principium , propositionem , de qua loquimur , nimirum : omne , non apprens repugnare , est possibile , sive de cætero possibilitas sit quid negativum , sive positivum .

XXXIV. Obijcies 7. Pro impossibilitate , aut neutralitate . Ex eo , quod non videatur implicare homo hinnibilis , non bene dicitur , dari probabiliter posse : ergo probatur jam , non licere ex non apparentia repugnantia inferre possibilitatem .

Respondeo , nego antecedens tanquam de subiecto non supponente . Apparet enim implicare homo hinnibilis , homo equus : quia nomine hominis , in communi acceptione , venire intelligitur purus homo , qui sit animal rationale purum , exigens essentialiter carentiam hinnibilitatis , & cuiuscunque alterius differentia adæquate animalis . Quod si nomine hominis velit quis , intelligi etiam posse tertiam quandam speciem diversam , & mistam , quæ ex rationalitate , atque hinnibilitate coalescere intelligatur , tanquam ex duabus differentiis inadæquatis : sique vere , in hac tertia specie animalis , nulla appareat repugnantia , ut recentiores sustinent ; stante hoc modo philosophandi , utique erit reputanda possibilis : ut plerunque possibiles adstruunt quasdam alias tertias rerum species , puta Lyciscam , Nuciprunum , Actum fidel scientia opinionis , & similia .

Obijcies .

Obijcies 8. Pro impossibilitate, aut neutralitate. Non possum gratulari dignitatem alicui, per hoc præcise, quod non appareat implicare in ipso hujusmodi dignitas: ergo nec possum tribuere possibilitatem alicui enti, per hoc præcise, quod illud non appareat repugnare.

Respondeo, nego consequentiam. Immo dignitatem alicui gratulari nec poteris, & si certo, & evidenter scias, id non implicare: quis enim doctus putavit unquam, ex præcisa non implicantia valere argumentum ad existentiam actualem rei contingentis? Quod hic assumitur, est in ordine ad meram possibilitatem. Breviter disparitas est: quia hæc propositio: *omne non apparens repugnare, est possibile*, videtur vera, saltem quibusdam philosophis doctis, & eruditis; & quidem vera videtur immediate, nec aliunde convincitur falsitatis: ergo habet omnia requisita, ut assumi ab iisdem possit in primum principium speculative probabile. Hæc vero alia propositio: *omnis, non apparens non præditus dignitate A, eam possidet*; non eodem modo se habet.

XXXV. Obijcies 9. Pro impossibilitate. Qui, bene orto sole, semper videt, per viam plures transire viros, quam fœminas, recte præsumit in nocte, quando non bene videt, plures transire viros: ergo, si absolute, & simpliciter major est numerus chimerarum; ita etiam præsumi poterit hic & nunc in circumstantiis, in quibus nocturna, ut ita dicam, dubii, & non apparentiæ caligo mentem obnubilat.

Respondeo, distinguo antecedens: si nihil obset, transeat: secus, nego antecedens, & consequentiam. Quia id non præsumitur, si hic & nunc habeatur aliunde aliqua lex, vel principium, vel præsumptio contraria prævalens, aut saltem æquivalens, v. g. si sciat homo, in aliquo determinato vico, plures, vel in æquali numero habitare, aut egredi solere fœminas, quam viros; & sciat præterea, personas illas, de quibus noctu dubitatur, egressas fuisse ex dicto vico determinato; in ordine ad hunc casum particularem, quare non poterit saltem materialiter se habere numerus major transeuntium in universum; adeoque vel præscindi, vel solum attendi numerus e vico prædicto determinato? Jam in casu nostro, ut supra diximus, obstat principium illud assumptum: *omne, non apparens repugnare, est possibile*, non obstante majoritate in universum numeri chimerarum, vel: *quantvis major sit in universum numerus chimerarum, quam en-*

*Ant. Forti.*

*tiuum*

tium realium ; non tamen in multitudine obiectorum controversorum , in quibus , post diligentem considerationem , non apparet implicancia contradictionis.

A R T I C U L U S III.

Solvuntur objectiones contra primam prædictam , & secundam propositionem , quæ asserit in favorem Impossibilitatis :

*Omne , non apparens non repugnare , est Impossibile.*

XXXVI. **○** Obijcies 1. Pro neutralitate. Stante hoc modo philosophandi , possibilitas in objecto , de quo controvertitur , apparet , & non apparet , supposita prima propositione pro possibilitate : supposita vero secunda , apparet , & non apparet impossibilitas . Atqui hæc sunt contradictoria : ergo hic modus philosophandi involvit implicanciam contradictionis.

Respondeo , distinguo majorem simpliciter nego , secundum quid , subdistinguo : apparet , & non apparet sub diversa consideratione concedo , sub eadem , nego majorem . Et distinguo minorem : hæc sunt contradictoria in sensu negato concedo , in sensu concesso , nego minorem , & consequentiam . In objecto , v. g. in trabe infinite extensa , de qua controvertitur , utrum sit possibilis , an impossibilis ; immediate , scilicet ex ipsa apprehensione terminorum , non apparet possibilitas , aut impossibilitas : nec mediate aliunde , idest ex vi alterius medii termini , diversi ab eo , qui est : *non apparens repugnare : non apparens non repugnare* . Mediate vero , & veluti reflexe , ex vi hujus medii termini , supposita , ut primo principio probabili , prima propositione : *omne , non apparens repugnare , est possibile* ; apparet possibilitas : supposita , ut primo principio probabili , secunda propositione , nempe : *omne , non apparens non repugnare , est impossibile* ; apparet impossibilitas , ut præmisimus art. 1. Jam in hoc sensu , *apparere* , & *non apparere* , non sunt contradictoria , ut patet , cum non sint ejusdem de eodem secundum idem.

XXXVII. Obijcies 2. Pro neutralitate . Non apparentia , impossibilitatis , & non apparentia possibilitatis in casu nostro conjunguntur in eodem intellectu : ergo non possunt esse motiva

*Phil. Neg. Log.*

R

*suffi-*



sufficientia , ut intellectus hinc affirmet utranque partem contradictionis . Consequentia probatur , quia sicut pugnat veritas unius contradictorii cum veritate alterius contradictorii , ita probabilitas , seu motivum unius contradictorii cum probabilitate , seu motivo alterius.

Respondeo , concedo totum enthymema . Quid contra nos ? Non dicimus, eundem intellectum posse affirmare utrunque contradictorium specificative acceptum , si illud cognoscat ut tale ; sed utrumlibet : cum evidens sit , non posse duo contradictoria simul existere : asserimus enim, posse intellectum in circumstantiis , de quibus loquimur, vel assumere, ut primum principium speculative probabile, hanc propositionem: omne, non apparens repugnare, est possibile ; si illa appareat ipsi vera : vel hanc aliam propositionem oppositam , si hæc appareat ipsi vera, scilicet: omne, non apparens non repugnare , est impossibile . Non autem simul , & in iisdem circumstantiis : quia hoc esset asserere simul duo contradictoria , scilicet possibilitatem , & impossibilitatem objecti controversi ; veritatem , & non veritatem ; falsitatem , & non falsitatem utriusque propositionis contradictoriæ: juxta ea , quæ dicta sunt in theologia , ubi ex professo de probabili.

XXXVIII. Obijcies 3. Pro neutralitate. Quidquid tribuitur divinæ omnipotentiae , debet esse aut evidenter , aut probabiliter possibile : & a fortiore , quidquid denegatur divinæ omnipotentiae , debet esse aut evidenter , aut probabiliter impossibile . Sed , etiam in circumstantiis , de quibus loquimur , quidquid non apparet immediate , aut aliunde repugnans ; non per hoc præcise est evidenter , aut probabiliter possibile : & a fortiore , quidquid non apparet immediate, aut aliunde non repugnans ; non per hoc præcise est evidenter , aut probabiliter impossibile : ergo nec bene tribuitur divinæ omnipotentiae, quod non apparet immediate , aut aliunde impossibile : nec bene eidem denegatur , quod non apparet immediate, aut aliunde impossibile: ergo quo ad hoc præscindendum , suspendendo iudicium.

Respondeo, nego minorem . Quandoquidem circumstantiæ, de quibus loquimur , sunt , ubi supponatur , ut primum principium speculative probabile, hæc propositio , quæ est : *omne , non apparens immediate , aut aliunde impossibile , est possibile : vel illa : omne non apparens immediate , aut aliunde possibile , est impossi-*

*possibile*. Jam ex his duabus propositionibus, supposita prima; quidquid non apparet immediate, aut aliunde impossibile, aut possibile; est probabiliter possibile: supposita secunda; idem est probabiliter impossibile: supposita enim prima, fit syllogismus pro possibilitate, hoc pacto: *omne non apparens immediate, aut aliunde impossibile, aut possibile; est possibile: sed objectum A, est hujusmodi: ergo est possibile*: supposita secunda, fit syllogismus pro impossibilitate, hoc pacto: *omne, non apparens immediate, aut aliunde possibile, aut impossibile; est impossibile: sed objectum A, est hujusmodi: ergo est impossibile*. De probabilitate vero, idest approbabilitate, & affirmabilitate ipsorum principiorum ab intellectu, satis dictum est supra: ubi, ad tollendas æquivocationes, advertendum semper est *Tò, probabiliter, rationabiliter*, in ordine ad prima principia non sumi, propter aliud, mediate, & illative; sed propter se, immediate, præsuppositive: in ordine ad conclusiones inde deductas, sumi propter aliud, mediate, illative, scilicet propter præmissas, in præmissis, ex vi præmissarum, ut alibi sæpissime dictum est.

XXXIX. Obijcies 4. Pro neutralitate. Non potest assumi, ut primum principium speculative probabile, illa propositio: non sunt multiplicanda entia sine necessitate aut immediate, aut aliunde apparente, seu: *omne non apparens aut immediate, aut aliunde necessarium, non existit*; & si assumitur in aliquo sano sensu, inde conficitur argumentum positivum, non negativum. Idem, & quidem a fortiore, dicendum de propositione opposita, videlicet: non sunt neganda entia sine superfluitate aut immediate, aut aliunde apparente, seu: *omne non apparens aut immediate, aut aliunde superfluum, existit: ergo nec potest assumi*, ut primum principium speculative probabile, hæc propositio: *omne non apparens impossibile, est possibile: aut illa: omne non apparens possibile est impossibile*.

Respondeo, nego antecedens: immo communiter assumitur prima pro non existentia rerum contingentium non aliunde existentium. Secundam nondum quisquam, quod sciam, assumpsit. Si cui tamen fortasse illa appareret immediate vera, præsumendo, non jam, ut ita dicam, pro parsimonia naturæ, sed pro ejus liberalitate, & superabundanti munificentia, in ordine ad illa objecta controversia, quorum non existentia non aliunde satis innotescat immediate, nec aliunde deducatur; hic facile impu-

gnari minime poterit, nisi ad summum ob judicandi modum novum, & singularem; ideoque de falsitate valde suspectum.

XL. Ad id, quod additur, videlicet, assumpta propositione prædicta pro rerum non existentia, inde argumentum non contrui negativum, sed positivum, quæstio est de vocabulo: & negandum assumptum, cum idem omnino sit argumentandi modus in hoc syllogismo pro non existentia: omne non apparens necessarium, non existit: sed objectum A, est non apparens necessarium: ergo non existit; ac in illo pro non repugnantia: omne non apparens repugnans, potest existere: sed objectum A, est non apparens repugnans: ergo objectum A, potest existere.

XLI. Obijcies 5. Pro neutralitate. Argumentum desumptum ex non apparentia repugnantia, aut ex non apparentia non repugnantia, est argumentum desumptum ex ignorantia: sed ex ignorantia nihil bene deducitur: ergo argumentum prædictum non bene deducit rei possibilitatem, aut non possibilitatem. Major probatur: siquidem non apparentia est ignorantia, scilicet carentia scientia, aut cognitionis.

Respondeo, nego minorem, prout hic accipitur ignorantia, scilicet negative, quatenus sonat non apparentiam immediate, aut aliunde, possibilitatis, aut impossibilitatis omnino dubia, & controversa, quæ tamen sit non apparentia in talibus circumstantiis, in quibus asseratur, possibilitatem, aut impossibilitatem objecti controversi, immediate, aut aliunde mediate ignorari, idest immediate, aut aliunde, non apparere, licet fortasse latere possit. In quo sensu etiam non apparentia elephantis hic, dicitur ignorantia, etiam dum ita syllogizamus: nullus elephas immediate, aut aliunde non apparens hic, vere est hic: sed omnis elephas est immediate, aut aliunde non apparens hic: ergo nullus est hic. Diximus hanc esse ignorantiam negative, non autem positive: positiva enim ignorantia, in communi modo loquendi, dici solet propositio falsa, quæ erit error, seu ignorantia culpabilis, & imprudens. Ceterum aliqualis etiam ignorantia cum falsitate, dummodo invincibilis, si potest in moralibus esse fundamentum recte operandi, cur non & in speculativis fundamentum recte judicandi?

XLII. Obijcies 6. Pro neutralitate. Ex non apparentia uni-  
us contradictorii non recte deducitur alterum contradictorium:  
ergo ex non apparentia repugnantia non recte deducitur non-  
repu-

**repugnantia : nec ex non apparentia non repugnantia recte deducitur repugnantia , in casu nostro.**

Respondeo , distinguo antecedens : semper , & in omni casu concedo , in aliquo determinato casu , nego antecedens , & consequentiam . Recte deducitur , ubi supponitur , ut primum principium speculative probabile , ut in subiecta materia : *quoties in subiecta materia non apparet unum contradictorium , est alterum* , v. g. *quoties non apparet repugnantia in objecto , est non repugnantia* : vel viceversa : *quoties non apparet non repugnantia in objecto , est in eo repugnantia*.

Obijcies 7. Pro neutralitate . In circumstantiis , de quibus loquimur , non est major ratio , cur deducatur possibilitas potius , quam impossibilitas objecti controversi , vel viceversa : ergo &c.

Respondeo , nego antecedens . Major ratio est suppositio unius potius propositionis , ex tribus , de quibus loquimur , scilicet pro possibilitate , v. g. quam pro impossibilitate , vel viceversa , ut supra dictum est satis . Quod si petitio fiat de maiore ratione , unde intellectus deducat unam ex illis tribus propositionibus potius , quam alteram ; petitio est de subiecto , non supponente : cum intellectus non deducat , sed immediate amplectatur propositionem , cui adhæret , ut primo principio speculative , probabili , ut dictum est *disp. 1.*

XLIII. Obijcies 8. Pro neutralitate . Si voluntati proponatur objectum , in quo nulla appareat ratio boni , nulla ratio mali ; non potest illud prosequi , vel fugere : quia deficit ratio prosequendi , vel fugiendi : ergo , si intellectui proponatur objectum , in quo nulla appareat ratio possibilitatis , nulla impossibilitatis ; non potest illud , vel prosequi , ut possibile , vel fugere , ut impossibile , sed debet suspendere iudicium .

Respondeo , concedo totum . Verum non sumus in casu . Ut voluntas respicit bonum , ita intellectus verum , saltem putatum ; ut voluntas refugit a malo , ita intellectus a falso . Jam , in casu nostro , non sequitur , intellectum aliquid affirmare , quod non putet verum : vel enim sermo est de ipsa possibilitate , aut impossibilitate objecti , v. g. infiniti , quam affirmat : vel de ipsa propositione , quam amplectitur , ut primum principium probabile , pro possibilitate , aut pro impossibilitate ; cuiusmodi sunt : omne non apparens immediate , aut aliunde repugnans , est possibile : seu , omne non apparens immediate , aut aliunde non repugnans , est

est impossibile. Si primum, intellectus pro hac affirmanda habet motivum sufficiens, nempe veritatem ipsius possibilitatis, quam immediate cognoscit in præmissis, unde illam infert per medium terminum, *non apparens*; sive de cætero hoc appelletur lumen positivum, sive negativum (est enim quæstio de nomine) quia, addita primæ propositioni hac minore: Sed infinitum est huiusmodi; determinatur ad inferendum: Ergo infinitum est possibile. Addita secundæ propositioni illa minore: Sed infinitum est huiusmodi; determinatur ad inferendum: Ergo infinitum est impossibile. Si secundum, nempe si sermo sit de ipsa propositione, quam intellectus amplectitur, ut primum principium speculative probabile; pro motivo formali amplectendi talem propositionem, habet veritatem, quam apprehensis terminis in ea cognoscit immediate, affirmatque per iudicium fallibile quidem, & probabile, non autem infallibile, & scientificum: ubi non opus est, ut præter rationem formalem, seu præter motivum formale præexplicatum affirmandi, habeat rationem causalem, seu motivum causale, cuiusmodi sunt præmissæ respectu conclusionis: hoc enim requireretur, si intellectus amplecteretur propositionem illam, ut conclusionem, adeoque ut illatam ex suis præmissis: quas necessario omnis conclusio, qua talis, præsupponit, ut causam sui: juxta ea, quæ in hac ipsa disputatione præmissimus *artic. 1. in explicatione status quæstionis.*

XLIV. Obijcies 9. Pro neutralitate. Non est verum, quod si possibilitas, aut impossibilitas adesset in objecto, de quo controvertitur, v. g. in infinito, deberet, saltem probabiliter, apparere immediate, aut aliunde intellectui philosophi, etiam diligenter speculantis: ergo non recte infertur, v. g. in infinito non apparet immediate, aut aliunde impossibilitas: ergo non est. Igitur, quoad possibilitatem, aut impossibilitatem nullum est ferendum iudicium, sed omnino præscindendum.

Respondeo, distinguo antecedens, non est verum certo, evidenter, infallibiliter concedo: non est verum incerte, probabiliter, fallibiliter, nego antecedens, & consequentiam. Quia si vera est hæc propositio: *omne non apparens impossibile, est possibile*; vera est etiam illa: *omnis impossibilitas non apparens, non est*: vera itidem erit hæc propositio: *omnis impossibilitas, quæ est in objecto, in eodem apparet aut immediate, aut aliunde*. Sique vera est illa propositio opposita: *omne non apparens possibile, est im-*

*impossibile* ; quæ in illam recidit : *omnis possibilitas non apparens, non est* ; vera consequenter erit hæc alia propositio : *ergo omnis possibilitas, quæ vere est in objecto, in eodem apparet* : *si non apparet, non est* . Atqui ambæ propositiones illæ sunt probabiliter veræ , ex dictis , cum assumi possint in primum principium speculative probabile : ergo & probabiliter veræ sunt propositiones inde deductæ per legitimam consequentiam.

XLV. Obijcies 10. Pro neutralitate . Quod etiam immediate , & per se apparet verum plerisque , vel paucioribus doctis , licet non evidenter , & infallibiliter , non est præcise per hoc ullo modo probabile , nisi ad summum extrinsece . Ergo nequit assumi prima propositio pro possibilitate , ut primum , principium speculative intrinsece probabile , nec secunda pro impossibilitate : adeoque præscindendum erit , suspendendo iudicium , quantum est ex vi non apparentiæ , de qua loquimur.

Respondeo , *distinguo* antecedens , respectu aliorum transeat , respectu eorundem nego . antecedens , & in eodem sensu consequentiam . Duplex agnoscitur communiter probabilitas , immediata una , altera mediata . Prima competit primo principio probabili : secunda conclusioni inde deductæ . Primum principium dicitur immediate probabile , & quidem intrinsece , quatenus ex intrinsecis suis aptum est immediate , & per se apparere verum intellectui , & fundare iudicium , licet non certum , evidens , & infallibile ; saltem incertum , probabile , & fallibile : dicitur enim probabile , ut supra diximus , idest approbabile ab intellectu , a quo immediate approbatur , idest commendatur , & affirmatur , ut verum , licet non sine fornidine partis oppositæ . In quo sensu , longe diverso ab Academicorum errore , Tò , probabile , & approbabile , sumitur etiam apud Auctores latinos , tam recentes , quam veteres , etiam SS. Patres , ut notat Ezparza in *appendice circa probabilitatem lib. 1. art. 102.* & nos fuse de hoc in *theol. lib. 8. ubi de moralitate actuum humanorum , disp. de probabili in universum* . Conclusio dicitur probabilis mediate , quia affirmatur non immediate , & per se , sed ex vi præmissarum probabilium , unde tota quanta est dependet . Jam probabilitas mediata , quæ residet in conclusione , præsupponente præmissas , ut causam sui ; vel quæ residet in alio actu , saltem præsupponente aliquam sui conditionem , aut prærequisitum ; si præsupponat auctoritatem loquentis , quæ ratio , motivum , aut conditio , & prærequisitum extrinsecum dici solet ; vocatur probabili-

bilitas extrinseca, nempe ex auctoritate, & fundat actum fidei humanæ. Itaque in casu nostro veritas propositionum, de quibus in præsentī disputamus, est immediate, intrinsece probabilis respectu illorum, qui illam amplectuntur immediate: mediate, & extrinsece respectu illorum, qui illam amplecti velint, præcise ut articulum fidei humanæ, ob meram auctoritatem aliorum. Verum non fit in hoc sensu quæstio præsens, nec nos id fieri posse negamus. Cæterum nunquam affirmare aliquid potest intellectus propter auctoritatem extrinsecam reduplicative, talem, sed propter auctoritatem, prout redditam intrinsecam, ipsi: cum implicet, intellectum affirmare aliquid, quod non appareat verum ipsi, sed aliis, præcise coram ipso, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib. 3. de fide*, & *lib. 8. de moralitate actuum humanorum*, ubi de probabili.

XLVL. Obijcies 11. Pro neutralitate. Probabile, ex Aristotele, est quod vel semper, vel sæpius, & plerumque contingit. Ergo non est, quod est immediate, aut mediate affirmabile modo a nobis explicato.

Respondeo, distinguo antecedens, probabile practicum transeat; speculativum, subdistinguo: semper, & in universum, nego, ubi nihil obstat, iterum subdistinguo: est probabile, immediate, concedo, mediate, nego antecedens, & consequentiam. Explico distinctionem, juxta superius tradita. Quod semper, aut sæpius, aut plerumque, & regulariter contingit, & si posset non contingere, dicitur probabile practice, dicitur practice facilius, dicitur prudenter affirmabile, dicitur regulariter magis tutum in praxi, idest magis securum, ut eveniat, juxta leges positivas, & modum loquendi in moralibus. Dicitur etiam probabile speculative, ubi aliunde non habeatur aliqua ratio, aut præsumptio, aut principium philosophicum prævalens, quod faciat, ut hic & nunc præsumatur oppositum, licet alioqui valde rarum; vel ut saltem suspendatur judicium, præscindendo. Dicitur autem probabile speculative, non quia probari possit, quod ubi nō constat immediate, aut aliunde, in controversiis, præsumi debeat contingere, ut sæpius contingit (quis enim vetat contingere nunc id, quod nunquam alias, vel nonnisi valde perraro contigerit, ex ijs, quæ possunt contingere?) sed quia hoc ipsum supponitur, ut primum principium speculative probabile, scilicet: *ubi immediate, aut aliunde non apparet casus*

*Ant. Forti.*

*rarus;*

*rarus; non est.* Quod sane supponitur, ut primū principium speculative probabile, juxta doctrinam sæpius traditam. Adeoque posset eodem modo quis supponere oppositum pro novitate, nimirum: *omnis casus, & si rarus, non apparet immediate, aut aliunde non existens; existit.* Cui enim natura non possit alicui videri potius fecunda varietatum, & amica rerum novarum, quam sterilis, & veterum amans consuetudinum, ubi immediate, aut aliunde oppositum non appareat? Vel pro neutralitate, & suspensione judicii, videlicet: *omnis casus rarus, & si possibilis, non apparet immediate, aut aliunde existens, nec apparet immediate, aut aliunde non existens; neutrum est intellectui.*

XLVII. Itaque quod y. g. ex sortium utha extrahatur schedula potius alba ex numero majore, quam nigra ex numero longe minore, dicitur quidem probabile practice, id est dicitur quid solitum alias sæpius contingere: cæterum, quod hic & nunc futurum sit, ut ita contingat, divinare quis valeat? Dicitur nihilominus hoc ipsum probabile practice, quod nihil aliud sonat, nisi quod hactenus ita observatum sit contigisse, licet potuisset contingere oppositum: dicitur etiam speculative probabile, non quod immediate, aut aliunde intrinsece appareat hic & nunc aliqua connexio inter extractionem, & schedulam ex numero majore: sed quia supponitur, ut primum principium speculative probabile, hoc: *ubi immediate, aut aliunde non apparet oppositum; contingit, ut sæpius alias contigisse observatum est.* Indeque ita syllogizatur: *sed hic & nunc non apparet immediate, aut aliunde oppositum: ergo hic & nunc futurum est, ut contingat, quod sæpius alias observatum est.* Sed sæpius observatum est, ex sortibus extrahi potius schedulam albam ex numero majore, quam nigram ex numero minore: ergo ita nunc futurum est, ut contingat. Jam potuisset alicui videri verum, adeoque supponi oppositum, ita philosophando: *ubi immediate, aut aliunde non apparet futurus casus rarus, nec apparet non futurus; futurus est.* Sed hic & nunc casus rarus extractionis schedulae nigrae nec apparet futurus, nec apparet non futurus: ergo futurus est hic & nunc. Vel ita: *ubi non apparet casus rarus futurus, nec apparet non futurus; neutrum est intellectui.* Sed hujusmodi est hic & nunc casus rarus extractionis schedulae nigrae: ergo neutrum est intellectui; adeoque quoad hujus futuritionem, vel non futuritionem hic & nunc praesentem.



*dendum, suspendendo iudicium; ita ut vellet proferre iudicium se speculative dividere potius, quam philosophari.*

**XLVIII.** Obijcies 12. Pro neutralitate. Implicat, intellectum elicere potius assensum, quam dissensum, aut vice versa; ex suppositione, quod tam assensus, quam dissensus æque habeat speciem veri, aut falsi; vel saltem, si hoc non implicat, tam assensus, quam dissensus erit imprudens, aut temerarius: ergo in huiusmodi casibus præscindendam, omnino suspendendo iudicium. Sed ita res se habet in casu nostro, ubi tam hæc propositio: *omne non apparens repugnans, est possibile*; quam illa: *omne non apparens non repugnans, est impossibile*; videtur intellectui æque immediate probabiliter vera, ac falsa; adeoque æque immediate affirmabilis, ac negabilis: ergo in nostro casu standum pro suspensione iudicii.

Respondeo, nego minorem subsumptam, & quidem tanquam de subiecto non supponente. Supponitur enim, quod eidem intellectui in iisdem circumstantiis possit apparere, pensatis pensandis, absolute, & simpliciter verum, & utrumque contradictorium: seu sub terminis magis certis in subiecta materia, supponitur, posse respectu eiusdem intellectus, in iisdem circumstantiis utrumque contradictorium esse probabile; quod non posse dictum est in theol. lib. 8. de moralitate.

**XLIX.** Obijcies 13. Pro neutralitate. Probatur, quod intellectus circa obiecta non existentia controversa, quoad possibilitatem, vel impossibilitatem, sit cæcus; adeoque de illis iudicare non debeat, sed præscindere, suspendendo iudicium, iuxta tritum illud: cæcus non iudicat de coloribus. Ergo male affirmatur propositio prædicta, ut primum principium speculative probabile.

Respondeo, nego antecedens: licet enim id ipsum commutativa propositione, apparere possit aliquibus verum; adeoque ab illis supponi utique possit, ut primum principium speculative probabile, ex dictis non tamen probari potest aliunde, non posse intellectum dici sufficienter habere præ oculis obiecta non existentia possibile, aut impossibile controversa, de quibus disputat diligenter pensatis pensandis humano modo; adeo ut ferre queat prudens iudicium, si non evidens, & infallibile, saltem probabile; & fallibile; aut supposita prima propositione pro possibilitate, *omne non apparens repugnans, est possibile* sicut supposita secunda

*quæda pro impossibilitate : omne non apparet non repugnans , est impossibile.*

L. Obijcies 14. Pro neutralitate. Dum non apparet impossibilitas , apparet possibilitas : & vice versa , dum non apparet possibilitas , apparet impossibilitas : ergo non sumus in casu de non apparentia : & præcidendum , suspendendo omnino iudicium pro una potius parte , quam pro altera.

Respondeo , distinguo antecedens : apparet ex hoc ipso capite , idest ex hoc ipso medio termino petito ex non apparentia , transeat : apparet immediate , vel aliunde , nego antecedens , & consequentiam . Sensus distinctionis satis constat ex supra dictis , maxime in statu quæstionis , juxta cujus explicationem non regamus , præsuppositis suis principiis , tum possibilitatem , tum impossibilitatem probabilem esse , quo ad objecta non existentia controversa . At medius terminus semper est negativus , ut patet , videlicet petitus ex non apparentia possibilitatis , & ex non apparentia impossibilitatis , quæ simul cum una ex propositionibus præsuppositis , conflet syllogismum , unde rei controversæ possibilitas potius , quam impossibilitas deducatur , aut vice versa , ut hæcenus dictum est.

#### A R T I C U L U S IV.

*Solvantur objectiones contra secundam propositionem prædictam , & contra tertiam , quæ assumit in favorem Neutralitatis :*

*Omne nec apparet repugnare , nec apparet non repugnare ; neutrum determinate est intellectui.*

LI. Obijcies 1. Pro possibilitate . Hæc consequentia in scholis semper est habita legitima , etiam apud adversarios : nulla apparet inter res aliquas disparitas : ergo nulla est . Nulla apparet necessitas admittendi tale ens : ergo non datur : juxta principium illud , quod dicebatur Equus Okami , quippe Okamo valde familiare : non sunt multiplicanda entia sine necessitate . Ergo jam probatur valere , & legitimam esse hanc aliam consequentiam : non apparet impossibilitas in hoc objecto : ergo illa non est.

13. Respondeo, transmissio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quam innuit ipse arguens: quia videlicet supponuntur, ut prima principia speculative probabilia, hæc duo: primum, omnis disparitas non apparens, non est: secundum, omne ens non apparens hic & nunc necessarium, non est; non autem supponitur in hypothesi, qua loquimur, Tamen, omne non apparens repugnans, est possibile: sed vel supponitur oppositum, nimirum: omne non apparens repugnans, nec apparens non repugnans, est impossibile: vel supponitur illud aliud medium, scilicet: omne non apparens repugnans, nec apparens non repugnans, neutrum est intellectui: licet potuisset apparere verum, adeoque supponi oppositum, videlicet: omne non apparens repugnans, est impossibile: quo principio supposito, valeret etiam, atque esset legitima hæc consequentia, ut defacto communiter est recepta, nimirum: A, non apparet repugnans: ergo est possibile. Dixi, transmissio antecedente, quia de non apparentia disparitatis, & de non apparentia necessitatis, discurrendum eodem modo, ac de non apparentia repugnantiae, juxta superiora tradita.

Obijcies 2. Pro possibilitate. Non apparentia rationis prævalentis pro parte contraria, influit ad asserendam aliquam conclusionem. Hinc viri etiam docti, doctiores quandoque facti, per novæ rationis apparentiam, a priore sententia recedunt, atque oppositam amplectuntur: ergo probatur jam, quod ex non apparentia repugnantiae debeat inferri possibilitas, non autem impossibilitas.

Respondeo, nego consequentiam. Ex antecedente prædicto inferitur, requiri quidem non apparentiam rationum aliunde habituarum, quæ pro impossibilitate prævaleant; ut asseratur possibilitas: sicut & requiri non apparentiam rationum aliunde habituarum, quæ pro possibilitate prævaleant; ut impossibilitas asseratur non autem probatur, quod non apparentia tum rationum aliunde pro impossibilitate, tum pro possibilitate, sit medium ex natura sua potius connexum cum possibilitate, quam cum impossibilitate, vel vice versa.

LII. Obijcies 3. Pro possibilitate. In humano intellectu, etiam diligenter speculante, & objectorum possibilitatem, aut impossibilitatem indagante, plura sunt objecta vere realia, falso putata impossibilia; quam vere impossibilia, falso putata realia: ergo probatur, quod præsumptio sit pro ente possibili, utpote

nume-

numero majore, quam pro impossibili, utpote numero minore. Antecedens probatur. Aliqua reputarentur impossibilia, nisi fide constaret esse possibilia, ut Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, creatio ex nihilo subjecti, bilocatio, & compenetratio corporum, accidens sine subjecto, & alia id genus.

Respondeo, in primis nego antecedens: ad ejus probationem, omisso antecedente, nego consequentiam. Non probatur non plura esse, vel saltem non æqualia in numero, illa, quæ humana mens falso putaret possibilia, nisi fide constaret, esse re vera impossibilia; quam e converso. Ad probationem dixi, omisso antecedente: siquidem non probatur, quod si prædicta objecta non essent de fide, sique intellectus philosophi, etiam sibi relictus, posset de ijs dubitare, & instituere quæstionem; effingeret in illis repugnantiam: immo plerique recentiores theologi sustinent, intellectum humanum, etiam sibi relictum, si non in omnibus, potuisse, saltem in aliquibus ex enumeratis objectis, affirmare non repugnantiam.

Secundo, etiam dato primo antecedente, nego consequentiam. Quia etiam dato, intellectum humanum esse magis pronum ad repugnantias falso effingendas, quam ad non repugnantias, asserendas: necnon dato, in subjecta materia, majorem esse numerum vere possibilium; adhuc non est, cur assumi non possit vel secunda propositio prædicta, pro impossibilitate, vel tertia, pro neutralitate, adeo ut hæc, utpote prima principia probabilia assumpta, prævalere possint præsumptioni pro numero majore, quæ valet, dum nihil obstat, quod illi prævaleat, ut supra explicatum est.

Tertio argumentum allatum militare videtur etiam contra, argumentum probabile, deductum ex apparentia repugnantie ad impossibilitatem inferendam: sequitur enim negandam veram impossibilitatem in objecto controverso, etiam si illa appareat probabiliter: cum præsumptio sit pro falsitate impossibilitatis existimate, ut dictum est supra articulo 2. num. 30. Et sane, si probabilis apparentia, per adversarios, potest prævalere tali præsumptioni, cur non & probabilis non apparentia, per alios? maxime cum omne argumentum, & si formaliter ex apparentia, ut ajunt, in non apparentiam resolvatur.

LIII. Obijces 4. Pro possibilitate. Argumentum ex non apparentia

tia repugnantia, est lumen positivum pro possibilitate: ergo probatur jam, recte inde inferri possibilitatem.

Respondeo, distinguo antecedens, in eo sensu, quo argumentum ex non apparentia non repugnantia est lumen positivum pro impossibilitate: & argumentum tum ex non apparentia repugnantia, tum ex non apparentia non repugnantia, est lumen positivum pro neutralitate, immediate assumptibile in primum principium speculative probabile, concedo: secus, nego antecedens, & eadem distinctione adhibita, nego consequentia. Utrum dici debeat lumen positivum, aut negativum, est quaestio de nomine. Sensus distinctionis satis constat ex supra dictis.

LIV. Obijcies 3. Pro possibilitate. Non apparentia repugnantia in circumstantiis, de quibus loquimur, est apparentia non repugnantia, idest possibilitatis. Ergo probatur, hinc recte deduci possibilitatem.

Respondeo, distinguo antecedens: in eo sensu, quo non apparentia non repugnantia est apparentia repugnantia, idest apparentia impossibilitatis: & non apparentia utriusque, est apparentia neutrius, quoad intellectum concedo, secus, nego antecedens, & in eodem sensu consequentiam. Sicut assumi potest: *omne non apparens repugnare, est possibile*, ita non est, cur etiam assumi non possit: *omne non apparens non repugnare, est impossibile*; seu: *omne non apparens repugnare, nec apparens non repugnare; neutrum est intellectui*. Adeoque, sicut potest non apparentia immediata, aut aliunde habita, repugnantia, dici apparentia veluti reflexa, & indirecta non repugnantia, idest possibilitatis; ita non est, cur non apparentia immediata, aut aliunde non repugnantia, dici pariter nequeat apparentia veluti reflexa, & indirecta repugnantia, idest impossibilitatis: aut quare non apparentia utriusque dici nequeat reflexa quidam, & indirecta apparentia tum non repugnantia, tum repugnantia, dubia, & perplexa; adeoque apparentia neutralitatis quoad intellectum: ita ut ad neutram partem affirmandam sufficienter propendeat absolute, & simpliciter intellectus.

## ARTICULUS V.

Solvuntur objectiones contra tertiam propositionem  
prædictam, quæ assumit in favorem  
Neutralitatis:

*Omne nec apparens repugnare, nec apparens non  
repugnare; neutrum determinate  
est intellectui.*

LV. **O**bjicies 1. Pro possibilitate. Si ex non apparen-  
tia repugnantia non liceret inferre possibili-  
tatem probabiliter; natura non fuisset provida: nec enim bene  
consuluisset brutis, & hominibus, qui, rem hic & nunc non  
existere concludunt modo suo, ideoque alibi fortasse quærendam  
esse, si illa, post diligentem indagacionem, sensibus non appa-  
reat. Ergo probatur connexio inter non apparentiam repugnanti-  
æ, & inter possibilitatem objecti, in quo repugnantia non apparet.

Respondeo, nego sequelam. Quia inditum est brutis, &  
hominibus, illud naturæ lumen uniuersale; rem nimirum omnem  
ipsis perceptibilem, si non percipiatur, non adesse: si vero per-  
cipiatur, adesse quidem; adeoque inferunt modo suo: si igitur hic  
& nunc objectum, A perceptibile, non percipitur; non adest;  
si percipitur; adest. Et, quamvis diuinitus possit objectum illud  
adesse quidem, sed non percipi sensibus, & vice versa, non  
adesse, & tamen sensibus percipi; bruta tamen ad miracula non  
perueniant: homines miracula non præsumunt, ubi non constant  
aliunde. In casu autem nostro non probatur aliunde, deberi phi-  
losopho apparentiam repugnantia, si adsit: sicut nec aliunde  
probat, deberi eidem apparentiam non repugnantia, si adsit:  
adeoque non probatur, ex non apparentia repugnantia inferri  
non repugnantiam: sicut nec probatur, ex non apparentia non-re-  
pugnantia inferri repugnantiam in objecto, ut ipsi adversarii fa-  
tentur.

Objicies 2. Pro possibilitate, aut impossibilitate. Ergo in  
dubiiis, præ ad omnia præscindendum, suspicando iudicium: ni-  
hil enim est, quod non tandem aliquando negative probetur, seu  
licet per alicujus objecti non apparentiam, juxta nostrum mo-  
dum philosophandi.

Respon-

Respondeo, distinguo consequens, suspendendum iudicium, in dubiis, in sensu conjuncto cum dubio, concedo: in sensu diviso, subdistinguo; si non possit rationabiliter deponi huiusmodi dubium, concedo: si deponi rationabiliter possit aliunde, nego consequentiam. In sensu conjuncto cum dubio de veritate, aut falsitate objecti, nequit intellectus absolute & simpliciter, pensatis pensandis, affirmare veritatem, aut falsitatem: sicut in sensu conjuncto cum dubio de honestate, aut inhonestate actionis, nequit licite operari. Quod si supponatur aliunde advenire motivum aliquod sufficiens, unde dubium deponatur; tunc deponitur dubium, nec amplius sumus in casu. Sed hæc ex professo in *Theol. lib. 8.* ubi de probabili in universum.

## A R T I C U L U S VI.

### Analytis prædictorum in argumenta negativa.

**LVI.** Dico. 1. Præter generales modos, quibus, conclusio nem omnem philosophiæ pure humanæ, sibi relicte, in syllogismum, cujus una præmissa probabiliter supponatur, altera negative probetur, resolvi diximus disputatione 1. in Clavi, quæ semper est habenda præ manibus; ipsamet secunda disputatio præsens eodem resolvitur, suo modo peculiari.

Siquidem illa vel primo consideratur in ordine ad veritatem ipsarum trium propositionum, quas hactenus examinavimus: vel secundo in ordine ad possibilitatem, impossibilitatem, aut neutralitatem objecti controversi, cujus dependenter ab aliqua ipsarum infertur possibilitas, aut impossibilitas, aut neutralitas quoad intellectum. Si primo in ordine ad veritatem ipsarum trium propositionum consideretur, disputatio præsens ita resolvitur: conclusio: harum trium propositionum, quarum prima est: *omne non apparens repugnare, est possibile*; secunda: *omne non apparens non repugnare, est impossibile*; tertia: *omne non apparens repugnare, nec apparens non repugnare; neutrum est intellectui*: quælibet assumi potest in primum principium speculative probabile. Probatio: quidquid intellectus amplecti potest immediate, assumi inexpugnabiliter potest, ut primum principium speculative probabile: sed quælibet ex tribus hæc propositionibus est huiusmodi; ergo quælibet ex tribus hæc propositionibus

*Ant. Forti.*

*bua*

bus assumi potest, ut primum principium speculative probabile. Cujus syllogismi major præmissa, ipsa supponitur, & quidem immediate, & invincibiliter; at solummodo probabiliter: nam, si quis putet oppositum, adeoque renuat ita loqui, & philosophari cum communi apud peripateticos, vel etiam cum Aristotele: putetque verum oppositum, adeoque, utendum esse alio modo loquendi, & philosophandi; iste talis impugnari philosophica ratione minime poterit. Minor vero Negative probatur, scilicet per alicujus objecti non apparentiam; & quidem quo ad omnem sui partem: quo ad primam partem, scilicet quo ad *Tò*, *immediate*, probatur, quia nulla ex tribus relatis propositionibus potest aliunde probari per præmissas certiores absolute, & simpliciter: cum non appareat ratio, unde ullius veritas deducatur: ergo quæcunque ex illis affirmetur, immediate affirmatur ab intellectu: quo ad secundam partem, scilicet quo ad *To*, *invincibiliter*, probatur, quia non habetur aliunde ratio, unde aliqua ex tribus dictis propositionibus, vel omnes tres, convincantur falsitatis: cum talis ratio nequeat assignari, idest, cum non appareat: quo ad tertiam partem, scilicet quo ad *Tò*, *solummodo probabiliter*, probatur, quia non evidenter, cum talis evidentia nulla sit assignabilis: ergo quælibet illarum, si affirmetur, immediate, & invincibiliter affirmatur, at solummodo probabiliter. Atqui hoc est tandem Negative probari, scilicet per alicujus objecti non repugnantiam: ergo minor syllogismi prædicti speciali modo probatur tandem Negative, scilicet per alicujus objecti non apparentiam.

LVII. Si autem disputatio præfens secundo consideretur in ordine ad possibilitatem, impossibilitatem, aut neutralitatem objecti controversi, cujus, dependenter ab aliqua ipsarum, inferatur possibilitas, impossibilitas, aut neutralitas quo ad intellectum; illa ita resolvitur: *conclusio pro possibilitate*: objectum A, est possibile. *Probatio*: omne non apparens immediate, aut aliunde repugnans, est possibile: sed objectum A, est non apparens immediate, aut aliunde repugnans: ergo objectum A, est possibile. *Conclusio pro impossibilitate*. Objectum A, est impossibile. *Probatio*: quia, omne non apparens immediate, aut aliunde non repugnans, est impossibile: sed objectum A, est non apparens immediate, aut aliunde non repugnans: ergo objectum A, est impossibile. *Conclusio pro neutralitate*: utrum objectum A, sit possibile, aut

Phil. Neg. Log.

T

im-



impossibile, præscindendum est, suspendendo iudicium. *Probatio* : omne non apparens immediate, aut aliunde repugnans, nec apparens immediate, aut aliunde non repugnans; neutrum est intellectui : sed objectum A, est non apparens immediate, aut aliunde repugnans, nec apparens immediate, aut aliunde non repugnans : ergo objectum A, neutrum est intellectui : ergo utrum objectum A, sit possibile, aut impossibile, præscindendum est, suspendendo iudicium.

Quorum trium syllogismorum major præmissa, probabiliter supponitur, ut probatum est. Minor negative probatur, ut satis constat, scilicet per non apparentiam repugnantiam, aut non apparentiam non repugnantiam, aut non apparentiam utriusque : ergo tam possibilitas, quam impossibilitas, & neutralitas, dictis tribus ratiociniis, probatur per syllogismum, cujus major præmissa probabiliter supponitur : minor vero negative probatur : ergo disputatio præsens, tota quanta est, tum scilicet in ordine ad tres ipsas propositiones hæcenus examinatas, tum in ordine ad possibilitatem, impossibilitatem, aut neutralitatem inde illatam, resolvitur speciali modo in syllogismum, cujus major præmissa supponitur probabiliter : minor negative probatur, scilicet per alicujus objecti non apparentiam.

LVIII. Dico 2. Alii modi philosophandi, pro rerum controversarum possibilitate philosophice per conclusionem inferenda, vel nulli sunt, vel tandem in non apparentiam repugnantiam reducuntur. Itaque, negato hoc modo argumentandi, nimirum, ex non apparentia repugnantiam, in ordine ad possibilitatem rerum non-existentium controversarum inferendam ; viam omnem præcludi fatendum erit ad possibilitatem objectorum non-existentium, de quibus controvertitur, philosophice deducendam. Enim vero, quod attinet ad duos modos probandi possibilitatem objecti non-existentis, controversam, quos affert Sfortia Pallavicinus, quosque ipse positivos vocat : quorum primus est, inquit, velut a priori ex ratione boni, sine quo Dei opificia non essent bona, & pulchra, nec redderent artificem gloriosum : secundus a posteriore, ab experientia, vel fide aliarum rerum; dicendum, illos tandem negativos esse ; & , nisi reducantur ad non apparentiam repugnantiam, omnino nullos. Quia, quod attinet ad primum, quomodo probatur, v. g. objectum A, esse possibile ? Dicis : quia sine ejus possibilitate, Dei opificia non essent bona, & pul-

pulchra, nec redderent artificem gloriosum. At hoc ipsum quomodo probatur? Etsi enim objectum A, immediate ex ipsis terminis non appareat chimera; si tamen aliunde, scilicet ex aliquo alio medio termino appareret chimera; utique, cum ipso, Dei opificia essent mala, & deformia, & redderent artificem inglorium: &, sine ipso, Dei opificia essent bona, & pulchra, & reddentia artificem gloriosum. Igitur, ut vim habeat argumentum, ipsis factentibus adversariis cum Pallavicino, supponere semper debet, saltem, ut ajunt, tanquam sui partem, hoc, quod est, non apparere aliunde chimeram objectum A, controversum. Jam peto ab illis: hæc pars, si negetur, quomodo probatur? Certe non nisi, quia in objecto A, aliunde repugnantia nulla apparet: ergo objectum A, non apparet esse chimera. En igitur, quomodo tandem aliquando vel res tota reducitur unice in non apparentiâ repugnantia: vel petitur manifeste principium, puta assignando fortasse pro ratione id, quod est in quæstione, aut saltem, quod est æque incertum, & controversum. Adversarius enim, qui negat objectum A, esse possibile, negabit objectum A, esse tale, ut inde opera Dei reddantur bona, & pulchra, ipseque Deus evadat artifex gloriosus; omnesque similes phrasés excogitabiles: nec tandem convinci poterit, nisi cogatur assignare repugnantiam, seu rationem ulteriorem, cur objectum A, redderet potius Dei opificia mala, & deformia, ipsumque Deum artificem inglorium, & contemnendum.

LIX. Quod vero attinet ad secundum modum, scilicet vel a similitudine, vel ab exemplo, vel a connexionione aliarum rerum, quæ supponuntur aliunde possible vel ex experientia, vel ex fide; ille arguendi modus & est negativus, in sensu, quo loquimur: & reducitur tandem in non apparentiam repugnantia: siquidem resolvitur in argumentum ex paritate, exemplo, inductione, similitudine, identitate rationis: quæ omnia *disp.* 1. probavimus esse negativa, nisi quæstio fiat de vocabulo, in eodem sensu, quo negativum dicitur argumentum pro possibilitate ex non apparentia repugnantia.

Nam quomodo infertur hæc conclusio? v. g. objectum B, est possibile: ergo & objectum A. Sane, aliquando tandem, vel primo hoc modo; videlicet: nulla est ratio (non enim assignari potest) quæ probet objectum B, esse possibile, & non probet etiam objectum A, esse possibile: ergo si est possibile objectum B, est etiam possi-

possibile objectum A. Sed objectum B, est possibile : ergo & objectum A. Qui modus arguendi reducitur tandem in non apparentiam specialis rationis contra possibilitatem, idest in non apparentiam repugnantia, quæ militet contra objectum A, & non contra objectum B.

Vel secundo hoc modo, nimirum: prædicata objecti A, & objecti B, sunt similia : ergo, si hæc sunt possible, & illa pariter censenda sunt possible : ergo, si est possibile objectum B, erit etiam possibile objectum A: sed illud est possibile : ergo, & hoc possibile est. Qui modus arguendi reducitur tandem in non apparentiam prædicati non similis, adeoque in non apparentiam repugnantia. Enimvero, quando dicitur : objectum A, est simile objecto B; peto : vel dicitur simile quo ad omnia prorsus prædicata, vel tantum quo ad aliqua. Si secundum, nihil inde probatur, quia etiam homo, & homo-equus, in aliquibus prædicatis conveniunt, latissimo saltem sensu, & quo ad prædicata supertranscendentalia. Si primum, petitur manifeste principium : qui enim negat objectum A, esse possibile ; negat illud esse omnino simile objecto B, possibili : cum discrepent saltem in impossibilitate, & possibilitate, inque horum radice. Igitur, qui negat hanc convenientiam in omnibus prædicatis, non poterit aliter impugnari, nisi obligetur assignare prædicatum, in quo objectum A, & objectum B, ita discrepent, ut oriri in uno possit possibilitas, in altero impossibilitas : cumque, si objectum A, appareret aliunde repugnans, utique haberetur ipsa repugnantia, & ipsius radix, per quæ objectum A, maxime discreparet ab objecto B, possibili ; ut probetur omnimoda prædicatorum similitudo, quam assumit arguens, supponi debet, non apparere immediate, aut aliunde in objecto A, repugnantiam, adeoque non esse repugnantiam, nec ejus radicem in eodem.

Vel tertio hoc modo: possibilitas objecti B, connectitur cū possibilitate objecti A: sed est possibile objectum B: ergo, & objectum A. Major probatur, quia non potest salvari, objectum B, esse possibile, quin salvetur etiam, objectum A, possibile esse: cum non appareat modus salvandi prædicata, & possibilitatem unius, negata possibilitate alterius. Qui modus arguendi reducitur, ut patet, in non apparentiam modi salvandi possibilitatem unius, & non possibilitatem alterius : & cum, si in uno appareret repugnantia aliqua, quæ in altero non apparet, sufficienter assignaretur modus negandi

gandi possibilitatem unius, & non possibilitatem alterius; supponere debet argumentum, ut vim habeat, quod sicut in objecto B, nulla apparet repugnantia, ita nulla appareat in objecto A. Quod si hoc negetur ab adversariis, impugnari minime poterunt, nisi obligentur assignare repugnantiam aliquam specialem in objecto A, controverso. En quomodo, rem totam tandem resolvit oporteat in non apparentiam repugnantiae.

Vel quarto hoc modo: objectum A, & objectum B, differunt solo numero: ergo, si objectum B, est possibile, etiam erit possibile objectum A. Sed illud possibile est: ergo & hoc. Antecedens probatur, quia nequit assignari prædicatum, unde differant plusquam numero, adeoque specificè. Qui modus arguendi tandem reducitur in non apparentiam differentiae specificæ: immo, cum si in uno appareret repugnantia, quæ in altero non apparet, sufficienter hinc inferretur, hæc duo objecta differre inter se plusquam numero: quandoquidem ens reale ab impossibili differt plusquam pure numerice; ut antecedens assumptum ab arguente vim habeat, supponere debet non apparere repugnantiam aliquam specialem in objecto A, quæ quidem in objecto B, non apparet. En igitur quomodo, tandem aliquando res tota unice reducitur in argumentum negativum, & in non apparentiam repugnantiae: a quo philosophandi modo pro possibilitate, qui præscindere velit, omnem præcludi viam ad objectorū controversorum possibilitatem philosophice inferendam fateatur, necesse est.

LX. Dico 3. Juxta ea, quæ hac disputatione fufe tradidimus, intelligenda sunt, quæ philosophiæ hujus decursu, vel alibi traduntur: sique alicubi fortasse e calamo exciderit nostro, rem aliquam esse possibilem, vel saltem non reputandam impossibilem, quia in ea non apparet repugnantia; sensus est, juxta communem modum philosophandi, scilicet ex hypothesi, quod supponatur assumpta, in primum principium speculative probabile, prima propositio ex tribus examinatis, quæ erat: *omne non apparens immediate, aut aliunde repugnans, est possibile*; vel saltem tertia, quæ erat: *omne non apparens immediate, aut aliunde repugnans, nec apparens immediate, aut aliunde non repugnans; neutrum est intellectui*. Sicut etiam, ubi inter disputandum asserimus, repugnantiam non esse, quia non apparet; rationem, aut motivum, in contrarium non esse, quia non apparet, & similia; sensus est, juxta communem modum philosophandi in scholis, inter quas

ver-

versamur, passim receptum: scilicet, ex hypothesi, quod supponatur assumpta, in primum principium speculative probabile, prædicta prima propositio pro possibilitate: ex qua consequenter legitime inferatur hæc alia propositio: *omnis repugnantia immediate, aut aliunde non apparens, non est*. Nec non ex hypothesi, quod, vel supponatur ipsa, in primum principium speculative probabile: vel quod supponatur, ut tale principium, aliqua alia propositio, unde hæc alia legitime deducatur, nimirum: *omnis ratio, seu motivum in contrarium non apparens, non est*: & similia. Ceterum tam de trium propositionum, de quibus hæctenus, circa objectorum controversorum possibilitatem, quam de similibus philosophiæ pure humanæ, sibi relictæ merito, pondere, veritate sentiendum esset, Deus scit.

### Corollarium.

Ergo aliquando tandem & hujus secundæ disputationis præliminaris tam nostra, quam adversariorum argumenta desinunt, ac resolvuntur in Negativa: cujus generis argumentis totam fulciritum nostram, tum adversariorum logicam, quin & philosophiam universam, probare, philosophici nostri laboris erit operæ pretiū: quo tenuitatem agnoscat suam Philosophia pure humana, sibi relictæ: juxta illud Ecclesiastæ 3. 11. *Cuncta fecit bona in tempore suo: & mundum tradidit DISPUTATIONI eorum, ut non inveniat HOMO opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.*

& 6. 11. *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia VANITATEM.* Et Pauli ad Coloss. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem HOMINUM, secundum elementa MONDI, & non secundum CHRISTUM.*



LOGICÆ PARS SECUNDA.<sup>151</sup>  
De Logica secundum se.

DISPUTATIO TERTIA.

*Primo, quid sit Logica. Secundo, an sit possibilis. Tertio, an detur defaëto. Quarto, de ejus causis. Quinto, quotuplex sit Logica. Sexto, in quo reperiatur.*

ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit Logica. An sit Possibilis. An detur defaëto. Quænam sint ejus causæ.*

I. **D**ico 1. Quoniam in Logica, sicut & in qualibet alia re, considerari potest, & debet, juxta methodum Aristotelis, primo quid nominis: secundo quid rei metaphysicum: tertio quid rei physicum; idest primo nomen, secundo essentia metaphysica, tertio essentia physica; quoad nomen, Logica dicitur a voce græca *λόγος*, quæ sermonem significat. Est enim Logica, nemine dissentiente, Facultas quædam sermocinalis circa operationes intellectus, quæ sunt internæ locutiones, & verba, vocesque mentis. Dicitur etiam Dialectica, a verbo græco *διαλέγεσθαι*, quod est disputare: quatenus Logica docet argumentari. Confunduntur enimvero Logica, & Dialectica, passim hac tempestate: quanvis veteres, ut notat Arriaga, nomine Logicæ totam hanc intellexerint facultatem: nomine vero Dialecticæ, eam tantummodo Logicæ partem, quæ agit de probabili syllogismo.

II. Dico 2. Quoad essentiam Logicæ metaphysicam: & in ordine ad prædicata non controversa: Logica metaphysice, est Facultas intellectualis, recte definiendi, dividendi, & argumentandi.

Affertio probatur, quia tradita Logicæ definitio metaphysica, per suum genus ultimum, quod est, *Facultas intellectualis*; perque differentiam proximam, quæ est, *recte definiendi, dividendi, & argumentandi*; ita competit omni, solique definito, ut nullo contra leges bonæ definitionis vitio laboret. Et fane nemo est, qui neget, Logicam docere modum recte definiendi, divi-

dividendi, & argumentandi: & nemo, qui neget, Facultatem, quæ doceat recte definire, dividere, argumentari; ab omnibus Logicam nuncupari: nisi fortasse quæstionem instituire velit de sola voce. Quandoquidem logica eatenus ab omnibus instrumentum sciendi, & organum scientiarum dicitur metonymice, quatenus in ea, tanquam in officina, cuduntur tria instrumenta sciendi celeberrima, quæ sunt definitio, divisio, argumentatio: quibus, ceu tractoriis machinis, intellectus facili negotio omnigenas rerum omnium scientias adipiscitur. Breviter: non apparet, quid metaphysice sit logica, si non sit *Facultas intellectualis recte definiendi, dividendi, & argumentandi*: & quid sit facultas talis, si non sit *logica*. Hinc consequenter logica, relate ad munera, quæ præstat, passim dici a philosophis consuevit, janua scientiarum, & veritatis: manus animæ: oculus rationis: criterium, seu judicatorium, & libra veri, falsique; veri, ac falsi disceptatrix, & iudex.

Dixi, quoad prædicata non controversa, nam posset logica, secundum alia prædicata, quæ, pro opinionum varietate, habet, aliter definiri, per genus ultimum, & differentiam proximam, v. g. juxta nostra principia, ut infra videbitur, posset dici: logica est ars, virtus, scientia simpliciter practica, de secunda operatione intellectus recta. Verum hæc esset definitio nostris particularibus principiis controversis, ut suo loco videbitur, alligata: non autem definitio universalis, quæ Logicæ in omnium principiis aptari possit, extra omnimodam controversiam: relinquendo dumtaxat locum ulterioribus controversiis, quo ad alia prædicata, de quibus apud philosophos disceptatur, utrum competant logicæ, vel non competant.

III. Dico 3. Quo ad essentiam logicæ physicam, logica physice considerari potest in actu, & in habitu: prima dicitur logica actualis: secunda logica habitualis. Logica actualis, physice est collectio omnium regularum, seu præceptorum, & cognitionum, quæ facultatem logicam, supra metaphysice definitam, adæquate constituunt. Logica habitualis, est habitus per se inclinans ad hujusmodi actus.

Assertio quo ad primam partem de logica actuali, probatur, quia in eo consistit essentia physica alicujus rei, per quod præcise salvatur conceptus ejusdem rei metaphysicus. Atqui facultatis logicæ actualis, conceptus metaphysicus, de quo assertione præ-

*Ant. Forti.*

ceden-

cedente, salvatur præcise per collectionem omnium illarum regularum, seu præceptorum, atque cognitionum, quæ facultatem logicam, supra metaphysice definitam, adæquate constituunt. Ergo in hac collectione sita est logicæ essentia physica. Major est explicatio terminorum: nec videtur ab ullo negabilis, qui percipiat terminos. Sic, ex eadem ratione, essentia physica hominis, dicuntur materia, & forma unitæ: quia, his præcise habitis, & sive per possibile, sive per impossibile, quovis alio deficiente, intelligitur salvari sufficienter conceptus hominis metaphysicus, qui est: animal rationale; juxta ea, quæ sæpe dicenda erunt tum in philosophia, tum in theologia, quoad regulam partium celeberrimam, quam hic innuisse sit satis. Minor ejusdem syllogismi probatur etiam: quia, habita collectione omnium præceptorum, seu regularum, & cognitionum, quæ constituunt adæquatam facultatem actualem recte definiendi, dividendi, & argumentandi, non videtur, quid ultra desiderari oporteat ad verificandum conceptum logicæ actualis metaphysicum, de quo supra: nec videtur, quomodo, aliquo ex prædictis præcise deficiente, intelligi possit, quod aliquis sit bonus logicus, seu habens totam logicam actualem; si nimirum ignoret regulam, aut præceptum aliquod in ordine ad recte definiendum, dividendum, argumentandum: immo si careat aliqua cognitione, aut notitia, requisita ad prædictorum omnium, operisque logici notitiam necessariam. Enimvero perfectus artifex est, qui non solum scit construere opus artis, verum etiam illud opus, & illam artem, cognoscit sufficienter quoad suas causas, effectus, virtutes, defectus, proprietates, adeo ut reddere possit rationem, quare in arte sua unum opus sit rectum, & bonum, & æstimabile, alterum vero non. Nam, si quis v. g. depingat quidem figuras bonas, nesciat tamen assignare rationem, quare hic & nunc pictura sit bona, aut mala; quis hunc reputet in arte pictoria perfectum, & adæquatum? Et quis prudens musicum perfectum, ac numeris omnibus absolutum existimet Corydonem, si recte canat, ignoret tamen, quare recte canat; scilicet quare, quem edit cantum, sit conformis regulis artis musicæ, quam ipse profitetur, indeque sit recte, & artificiose harmonicus, ac sonorus?

Et horum ratio veluti a priori est, quia eo perfectior est scientia, quo magis accedit ad divinam, cum perfectiones divinæ sint veluti mensura, & prototypum cæterarum. Atqui sci-

*Phil. Neg. Log.*

V.

entia



entia divina de quavis re singulari, cum sit scientia absolutissima, ac perfectissima, non solum practice rem ipsam factibilem comprehendit: sed etiam quævis ad ipsam pertinentia speculatur. Ergo scientia creata absoluta, & perfecta, non solum non excludit, sed exigit, quantum potest, cognitiones quasdam speculativas, dummodo ad sui objecti meliorem notitiam pertinentes.

Eadem assertio, quo ad secundam partem de logica habituali, probatur eodem medio termino: quia nemo intelligi potest habitualiter logicus, nisi habeat habitualiter logicam: nemo intelligi potest habere habitualiter logicam, qui logicæ habitum non possideat, ut patet ex ipsis terminis: cum implicet in quovis genere concretum sine forma, seu quasi forma, ut implicat lucidum sine luce, cognoscens sine cognitione, amans sine amore: quæ sunt perspicua quoad essentiam logicæ, de cujus possibilitate

IV. Dico 4. Logicam esse possibilem, non videtur posse rationabiliter controverti. Siquidem possibilis est facultas recte loquendi; facultas recte canendi, & saltandi; facultas recte honesteque vivendi. Ergo quare non etiam possibilis erit existimanda facultas intellectualis recte definiendi, dividendi, & argumentandi? Si suæ capax est disciplinæ homo penes potentiam locutivam, cantativam, saltativam; sique suæ capax est disciplinæ idem homo quoad voluntatem; quare non etiam quoad intellectum, penes potentiam videlicet definitivam, divisivam, argumentativam, disciplinæ capax erit, unde facultate logica erudiatur? Et sane videmus potentias eo magis, vel minus capaces esse passivæ eruditionis in genere suo, quo magis, vel minus accedunt ad esse intellectivum, vel quo magis, aut minus intellectivæ potentiæ subijciuntur, ut directrici. Testis est humana voluntas, cui natura intellectum præfecit, ut facem præambulam, seu ut magistrum, & directorem ad iter, & metam felicitatis. Testes sunt ipsæ irrationales beluæ, quæ, ut magis, vel minus perfecte cognoscant modo suo, quanvis non intelligât, magis, vel minus erudiuntur, adeo ut in artibus quibusdam mirabiliter proficiant modo suo. Videantur, quæ tradit Ulysses Aldrovandi *de Elephantibus lib. 1. de quadrupedibus solipedibus*. Hæc quoad possibilitatem logicæ: quo ad ejus existentiam

V. Dico 5. Existere logicam, ipsa patet experientia. Siquidem tot, tantusque profitentium, docentium, & logicam addiscen-

scientium numerus, logicæ facultatis existentiam in dubium revocare non finit. Quin ipsimet, qui logicam, præsertim aristotelicam, negare visi sunt (nam illam ab homine nedum docto, sed solummodo discursivo, negari re vera posse, nequeo mihi in animum inducere) dum, fortasse ad ostentationem ingenii, vel ob affectatum peripatetici nominis odium, illam pernegant, & pernegare eam suos docent auditores, logicæ existentiam exercite comprobant, quam signate curant labefectare. Peto enim: ipsi logicæ hostes, dum eam impugnant, vel discurrunt, vel non. Secundum longe procul a viris doctis, aliter nec arguunt simpliciter, nec bene redarguunt nostram logicam. Si primum, iterum peto: dum docent suos auditores discurrere, ut ipsi magistri faciant, contra logicam, vel docent eosdem recte discurrere, vel non. Si secundum, & nihil agunt contra logicam, & hoc viris doctis est indecorum: immo si, dum docent ea facere, quæ ipsi faciunt, non docent recte discurrere: ergo ipsimet, qui sunt prototypum, non bene discurrunt; quod de viris admodum eruditis suspicari, piaculum sit. Si primum, ergo ipsimet nolentes, logicam docent, & profitentur aristotelicam: quid enim, quæso, est logica aristotelica, nisi facultas docens recte argumentari, adeoque & recte definire, recte dividere ad convincendos intellectus adversariorum, ubi opus erit?

Hinc logicæ possibilitas, de qua assertionem præcedente dictum est, probari etiam potest a posteriori, hoc pacto: logica datur de facto, ut hætenus probavimus: ergo est possibilis. Evidens enim, nedum efficax, est argumentum ab actu ad potentiam, licet, non viceversa, a potentia ad actum: quandoquidem si Petrus ridet; evidens est, quod ridere possit, adeoque quod potentiam ridendi habeat: quanvis posset habere potentiam ridendi, nec tamen actu ridere. Igitur eodem modo, si logica actu existit: ergo evidens est, quod habeat capacitatem, seu potentiam existendi, quæ est logicæ possibilitas: quanvis posset quidem esse possibilis, nec tamen actu existere: ut plures sunt possibiles effectus, immo & artes, atque scientiæ, quæ tamen defacto non amplius, vel nondum existunt, quin & nunquam extiterunt, aut existent. Hæc quoad existentiam logicæ. Quoad ejus causas

VI. Dico 6. Logica primo efficienter est ab intellectu: secundum

do materialiter ab eodem : tertio finaliter est ab opere , quod ipsa respicit , ut finem : quarto formaliter non causatur .

Affertio probatur quoad primam partem : quia logica vel est actualis , vel habitualis , ex supra dictis : si actualis , est collectio intellectuum : si habitualis , est habitus intellectualis : atqui utroque modo accepta procedit efficienter ab intellectu : quia , hic est causa efficiens suarum intellectuum , & specierum intentionalium , quæ constituunt habitus acquisitos , ut videbitur loco suo : ergo logica efficienter est ab intellectu . Quoad secundam partem , probatur , quia , tum collectio intellectuum , tum species intentionales , adeoque habitus , inhærent intellectui : ergo hunc respiciunt , ut subjectum , & causam materiale . Quo ad tertiam partem probatur , quia res dicitur esse finaliter ab eo , quod ipsa respicit , ut sui finem , adeoque ut causam finalem . Atqui logica respicit , ut sui finem , adeoque ut causam finalem , opus suum , quod ipsa suo modo intendere dicitur , ut videbimus , ubi de objecto logicæ : ergo logica est finaliter ab opere , quod ipsa respicit , ut sui finem . Quoad quartam partem , probatur , quia logica hic consideratur , ut forma , perficiens intellectum , quem informat , eum denominando intrinsece logicum , idest polentem facultate intrinseca definiendi , dividendi , & argumentandi : ergo ipsa non consideratur , ut subjectum : ergo , ut forma : ergo ipsa , præcise ut talis , formaliter non causatur . Cæterum , logicæ inventorem , aut inventores , antiquitatem , præstantiam , aliaque id genus eruditiones congerere , parvi momenti res esset , non sine jactura temporis : quod nobis sane impendendum est potius usui , praxique logicæ facultatis , quam chronicis , & historiis . Nos hic potissimum philosophiam scribere intendimus , non veterem , aut recentem historiam evolvere : & multo minus fabulam texere ; ut ( quod vitium est nostri temporis ) affectare videntur quidam neoterici , chronolog i seu mythologi potius , quam philosophi .

## A R T I C U L U S II.

Quotuplex sit logica .

VII. **D**ico 1. Logica dividitur primo in naturalem , & artificialem . Naturalis , est facultas innata , idest ipsum lumen inditum a natura , in ordine ad recte definiendum , divi-

dividendum, argumentandum. Artificialis, est facultas acquisita, in ordine ad recte definiendum, dividendum, argumentandum. Et quidem subdividitur in actuale, & habituale, cujus subdivisionis explicatio constat ex dictis artic. 1. assert. 3. & 6. Nomine logicæ simpliciter prolata, de qua sermo erit. deinceps, venit logica artificialis, non solummodo naturalis.

Dico 2. Logica dividitur secundo celebri divisione, in docentem, & utentem. Cujus divisionis explanationes variae apud doctores circumferuntur. Magis clara, & expedita videtur illa, scilicet: logica docens, sunt ipsæmet regulæ logicales: & habitus per se inclinans ad hujusmodi actus. Logica utens, est ipsa met logica, dum in actu exercito, quoad materiam propriam, utitur recta definitione, divisione, argumentatione, etiam ex visuarum regularum supra alias, aut etiam supra seipsas inadæquate reflectentium: ut cum definitionem ipsam definit logica: divisione dividit in suas species: deque ipsius argumentationis natura, juxta regulas ipsius logicæ argumentatur. Placet supra cæteras hæc explicatio logicæ docentis, & utentis: quia ex una parte salvat, quæ salvanda videntur in hac materia: ex altera, parte non assignatur explicatio diversa, quæ salvet prædicta commodius, aut æque commode. Cum igitur in ipsamet logica, logicam, & docentem, & utentem inveniamus, non est, cur eam ulterius extra seipsam alibi, commissam, seu identificatam aliis facultatibus, inquiremus.

VIII. Dico 3. Alii logicam docentem, & utentem explicant diversimode.

*Prima quorundam explicatio*

Est, logicam utentem esse cæteras omnes scientias in particulari, dum servant logicæ regulas: scilicet dum logicæ utuntur regulis, in materiis propriis, recte dividendo, definiendo, & argumentando. Ita Valquez, Hurtadus, Oviedus, & alii. Unde, juxta hæc principia, definitio quantitatis, v. g. & si elicitive pendeat a physica, vel ab alia scientia; directive tamen, inquirunt, pendet a logica: in qua acceptione, veteres logicam utentem rebus immerfam, concretamque dixere: logicam vero docentem, a rebus abstractam, & avulsam nuncuparunt, ut notat hoc loco author philosophiæ Burgundiensis veteris, & novæ, & Semeri, & alii passim.

Contra hanc primam explanationem est, quia aliz scientiæ

si

si proprie, & rigorose loqui velimus, non sunt ipsa logica utens, sed ipsæ utuntur logica, eademque diriguntur. Nec bene quis divideret ferram, v. g. in utentem, & docentem, dicendo: ferra duplex est, una est ipsa ferra, altera vero qui utitur ferra: membra enim dividendia debent in recto participare rationem divisi, vocarique in recto, idest casu nominativo, talia. In casu autem nostro, aliæ scientiæ, vel earum opera, licet logicæ præceptis conformia, præcise tamen, qua talia, non dicuntur, in communi modo loquendi, absolute, & simpliciter logica. Igitur hæc esset divisio, per quam logica divideretur in logicam, & non logicam; adeoque reiicienda: sicut, si quis divideret animal in hominem, & non animal; sed causam, vel effectum, vel opus artefactum ab animali: vel in aliud, quod in recto non sit animal: quandoquidem, ut quod non est animal, non potest dici tale animal: ita, quod non est logica, non potest dici talis logica, idest logica utens.

Dico 4. Quod si qui utitur logica, etiam in materiis aliarum scientiarum, vocari soleat logicus, sensus est argutivæ, non formaliter: quatenus nimirum, qui utitur regulis logicæ in aliis materiis, arguitur scire logicam, qua posset etiam uti in materia logica: enimvero logica in aliis scientiis est logica dirigens, non utens: ipsa enim facit, ut aliæ scientiæ, in materiis propriis, utantur præceptis logicæ: non vero est ipsa logica in illis materiis, in quibus usus non est formaliter logicus, sed solum directive logicus: cum logica formaliter non sit, nisi circa objectum suum in particulari; & in generali circa formam, quoad objecta aliarum scientiarum: absque eo, quod ipsamet logica descendat ad particularia, v. g. quodnam sit genus, quænam differentia in definitione talis, vel talis rei: hoc enim spectat ad scientias in particulari, quarum sunt propria objecta, quæ tractantur, hic & nunc definienda, dividenda, deducenda per syllogismum.

*Secunda aliarum explicatio*

IX. Est logicam utentem esse habitum quandam universalem, qui in omni materia probabiliter recte discurrat. Ita Fonsæca apud Hurtadum, & Oviedum. Vel esse habitum, qui in omni materia doceat recte probabiliter discurrere. Ita quidam apud Gianninum, & Oviedum.

Contra hanc secundam explicationem est, primo, quia habitus prædictus non est necessarius, nec regulariter defacto datur:

datur: cum omnino gratis excogitetur. Secundo, quia, etiam si daretur; nec esset pura logica, nec aliæ scientiæ, aut facultates, sed habitus mistus, & logica duntaxat secundum eam formalitatem, secundum quam in materia logica versaretur. Logica enim, qua talis, nec constituit syllogismos in omni materia, nec dat præcepta particularia discurrendi, etiam probabiliter de materiis in particulari aliarum artium, atque scientiarum, ut de materiis physicæ, metaphysicæ, medicinæ. Tertio, quia non minus logica utens dicenda esset habitus in materia demonstrativa, seu scientifica, quam in materia probabili, & opinativa, seu topica: cum non appareat in contrarium ratio specialis.

*Tertia aliorum explicatio.*

X. Est, logicam docentem esse, cujus finis, & intentum est intellectus alterius, sciens recte operari, & cognoscere, seu intellectus logicus, quatenus magister reddit discipulos logicos, illos docendo præcepta logicæ: logicam vero utentem esse, cujus finis est intellectus recte cognoscens; adeoque, juxta hanc sententiam, idem habitus præceptivus logicæ, quatenus intendit in subjecto, in quo est, operationes rectas, dicitur logica utens: quatenus intendit in alieno subjecto similia præcepta, seu ipsam logicam, dicitur logica docens. Idque deduci putant ex Aristotele, & Zabarella, ubi docent, quod cujusque artis duæ sunt partes, una docens, quæ cognitionem ipsius artis tradit, & præcepta artis communicat: altera, quæ ex cognitione operatur. Ita quidam Recentior in manuscriptis.

Contra hanc tertiam explicationem est, quia non apparet ratio, cur logica practica, in ordine ad unum, idemque subjectum non possit considerari, ut docens, utque utens: quatenus in ipso eodemque Petro, v. g. logica, prout dans præcepta eidem Petro, ad recte syllogizandum, reputanda sit logica docens: prout vero in ipso, eodemque Petro syllogizans, adeoque utens suis præceptis in materia propria; reputanda sit logica utens: ergo, sicut in eadem logica inveniri commode potest logica docens, & logica utens; ita in eodem subjecto, diversimode considerato, inveniri poterit utraque logica, sub duplici prædicta consideratione.

A R-

## ARTICULUS III.

In quo subjecto, aut quasi subjecto defacto logica  
inveniatur.

XI. **D**ico 1. Dari defacto in homine logicam, probatum est *art. 1. assert. 5.* neque hoc loco id controversatur : sed solum, an illa inveniatur primo in anima separata : secundo in angelo : tertio in intellectu humano Christi : quarto in intellectu divino. Quoad primum

Assertio est affirmativa. Probatur : anima logici unita corpori habet logicam : atqui non est, cur illam amittat præcise per separationem a corpore : ergo illam retinet separata. Et sane, anima separata multas retinet intellectiones, & species intentionales, adeoque & habitus, quæ acquisivit, dum erat in corpore : ergo & logicam : qua dirigi quidem possit ad recte definiendum, dividendum, argumentandum, indagandi causâ meliorem notitiam plurium objectorum, quæ naturaliter potest in illo statu non perfecte cognoscere, aut etiam ignorare, ut dum reperiebatur unita corpori. Vel assignetur ratio specialis, quæ præcise militet contra logicam. Quoad secundum,

XII. Dico 2. Logica est in angelo. Assertio probatur : logica est in anima separata : ergo & in angelo. Antecedens constat ex præcedente assertione. Consequentia probatur : siquidem in anima separata, ut dari possunt aliæ intellectiones, & species intentionales, & habitus acquisiti ; ita & logica : contra quam non militat specialis oppositio cum statu separationis ; aut cum pura spiritualitate animæ separatæ, aut aliqua alia ratio assignabilis : ergo & in angelo, ut dari possunt intellectiones, & species, & habitus alii acquisiti, ita & inveniri poterit logica : quæ videlicet angelus dirigatur ad recte definiendum, dividendum, argumentandum, etiam per formalem discursum ; si non in ordine ad ea, quæ naturaliter comprehendit, & intuetur ; in ordine ad ea, quæ naturaliter ignorat, aut non perfecte cognoscit, v. g. in ordine ad arcana alieni cordis : circa quæ angelus profecto falli potest natura sua ; ne dum formaliter, ut anima separata, utque homo, syllogizare ; juxta ea, quæ de angelis dicta sunt *lib. 2. theol.* Igitur in hoc præcise angelus videtur esse æqualis conditionis cum anima separata, quin & cum homine. Ergo  
fi

*Ant. Forti.*

fi anima separata, quare non angelus, quoad aliqua, dirigi potest per logicam, etiam acquisitam? Quoad tertium

XIII. Dico 3. Logica fuit, atque adhuc perseverat in intellectu humano Christi. Assertio probatur, & explicatur quoad utranque partem: scilicet primo, quod fuerit; secundo, quod adhuc in intellectu humano Christi logica perseveret.

Prima pars, quia Christus, ut homo, præditus fuit donis naturalibus, quin & supernaturalibus, supra cæteros homines, juxta illud *Ps. 44. 3. Speciosus forma præ filiis hominum*; ergo non solum habuit scientias, & artes illas infusas, quas accepisse miraculose a Deo dicuntur plures Sancti homines, & Ecclesiæ Doctores; sed & ulterius habuit scientias, & artes illas acquisitas, quas sibi, ut homo, per experientiam comparavit: juxta ea, quæ dicta sunt *in theol. lib. 5. de Incarn.* Ergo & logicam habuit, nedum infusam, verum etiam acquisitam: siquidem nulla apparet specialis repugnantia, aut absurditas, aut indecentia, ne in intellectu humano Christi, & quidem perfectiori modo, quam in reliquis viris doctis, logica etiam per experientiam, ætate crescente, acquisita, sibi que comparata reperiretur.

Hanc traditæ assertionis partem aliqui probant præcise auctoritate D. Augustini *lib. 1. contra Cresconium*, qui temere autumabat, logicam malam artem, atque sophisticam reputandam. Cresconium enim impugnat D. Augustinus ex eo, quod ipse Christus dialectica usus fuerit inter homines. Quod sane quis neget? præsertim ubi Puer Jesus cum doctoribus in templo, ad usque omnium stuporem, atque confusionem, legitur disputasse *Luc. cap. 2. v. 46. & 47.*

Verum præcise per hoc, non evincunt perfecte intentum: posset enim ab adversariis responderi, Christum usum quidem fuisse logicam, sed infusam duntaxat, non etiam acquisitam. Specialis difficultas est de hac secunda, non de prima, scilicet difficultas est, an extiterit in Christo logica acquisita, non autem est difficultas de infusa, quam ultro concesserint adversarii.

Secunda pars assertionis, nimirum, quod adhuc perseveret logica in intellectu humano Christi, probatur, quia logica fuit in Christo: sed non est, quare dicatur non amplius in eodem perseverare: ergo adhuc in eo logica perseverat. Major constat ex dictis pro prima parte assertionis. Minor probatur, quia, licet non ad necessitatem, ad integritatem tamen, ornatumque

*Phil. Neg. Log.*

X

in



in Christo adhuc in cælo , & in termino perseverant (si nihil obstat repugnans, absurdum, aut indecorum) omnes illi habitus, tum qui spectant ad voluntatem , tum qui ad intellectum , quos habuit in via , dum in terris viveret inter homines . Ergo & logica : vel assignetur contra logicam specialis repugnantia , absurditas , indecentia . Videantur , si placet , quæ dicta sunt in theologia *lib. 3. de Fide* , & *lib. 5. de Incarn.* , & *lib. 7. de Pœnitentia* . Quoad quartum

XIV. Dico 4. Logica acquisita nulla est in intellectu divino : est tamen logica quædam naturalis , supereminens , & perfectissima : imparticipata nimirum , increata , independens , identificata , essentialis , perfectissima , quippe identice Deus , qui est cumulus omnium perfectionum absolutissimus . Ita recentiores communiter in manuscriptis : quidam præsertim apud Augustinum Spinò in logica *cap. 5. n. 34.*

Assertio quoad partem negativam non indiget probatione : cum enim Deus sit essentialiter sapientissimus , & omniscius ; implicat decursu temporis notitiam objectorum acquirere , unde sapientior evadere intelligatur , sapientia , quam non habuerit ab æterno . Quoad partem affirmativam , probatur , & explicatur : omnis scientia , seu facultas intellectiva , idest omnis intellectivitas omnium objectorum , quæ de illis haberi potest sine imperfectione , datur in Deo : sed facultas definitiva , divisiva , & intellectiva unius objecti ex alio , & ex aliis , absque ullo formali , aut virtuali discursu , qui ex suo conceptu imperfectionem involveret ; est scientia , seu facultas intellectiva , seu intellectivitas possibilis ; nec involvens imperfectionem ex suo conceptu : ergo huiusmodi facultas intellectiva datur in Deo : sed hoc intelligimus nomine logicæ innatæ Deo , supereminens , & perfectissimæ , in sensu assertionis , ne quæstio sit de vocabulo : ergo datur in intellectu divino logica quædam naturalis , supereminens , & perfectissima , in sensu prædicto . Utraque præmissa constat ex dictis *in theol. lib. 1. de Deo* . Consequentia sequitur in Darii.

Minor subsumpta probatur , quia ob similes facultates intellectivas summe perspicuas , immo & objectorum omnium comprehensivas , quæ , depuratæ quacunque imperfectione , existunt in intellectu divino , quibus sane dirigitur Deus quoad fabricam , & regimen universi ; dicitur Deus supereminenter , & perfectissime supremus rerum omnium Artifex scientissimus , prudentissi-

mus ,

mus, providissimus. Quare igitur, ob facultatem intellectivam modi recte definiendi, dividendi, unumque obiective ex alio, demptis imperfectionibus, cognoscendi, dici non poterit, in sano sensu, superminenter, logicus perfectissimus; sicut ob facultatem intellectivam, & comprehensivam sui, theologus; ob facultatem intellectivam, & comprehensivam astrorum superminenter astronomus perfectissimus? Quod autem Deus habeat, & essentialiter exerceat scientiam definitivam, divisivam, cognoscitivam unius ex alio; nihil aliud importat, nisi, quod Deus essentialiter semper affirmet hanc veritatem, & similes, v. g. homo est animal rationale: homo constat ex corpore, & anima unitis: homo est risibilis, quia est rationalis; quin Deus ipse nullo modo præscindat ex parte actus: cum hic modus cognoscendi præcisivus, utpote obscurus, imperfectionem importet ex suo conceptu: quanvis comprehensive, & perfectissime cognoscat Deus, quod intellectus humanus inter animalitatem, rationalitatem, risibilitatem præscindat ex parte actus.

Et quod præterea Deus, per huiusmodi suam scientiam, dicatur dirigi ab intrinseco, sive identice, non est absurdum, aut imperfectio: cuiusmodi esset, si Deus dirigeretur ab extrinseco, scilicet ab extranea scientia, quæque ab ipsius divino intellectu distingueretur. Hoc etenim modo Deus alienam lucem, & ab extrinseco emendicaret. Quod autem ipse sit sibi lux ad perfectissime intelligendum, indeque etiam ad perfectissime operandum, utpote non cæco, sed oculatissimo modo; summa est perfectio digna Deo, teste ejus providentia oculatissima: juxta ea, quæ dicta sunt in theol. ubi de divina scientia, & præscientia directrice, & prædestinatione electorum, deque efficacia divinæ gratiæ.

Ubi notandum, quod intellectus divinus non dicitur proprie subiectum scientiæ divinæ, & consequenter neque hæc dicitur forma respectu illius: cum ratio subiecti, ut videbitur in physicis loco suo, communi modo loquendi, importet imperfectionem ex suo conceptu. Ideo in titulo articuli proposui, in quoniam subiecto, aut quasi subiecto defacto logica inveniatur: cuius hætenus breviter innuisse sit satis essentiam, possibilitatem, existentiam, causas, divisionem, subiectum.

## ARTICULUS IV.

Analysis prædictorum in argumenta negativa.

XV. **D**ico 1. Rationes, quibus hæcenus in hac *disput.* 3. assertiones nostræ probatæ sunt, resolvuntur tandem in argumenta negativa, ut facile patet consideranti. Videlicet primo quoad essentiam logicæ: quia non potest assignari, idest non apparet, quid aliud metaphysice, aut physice sit logica; si hoc non est: si nimirum illa non est facultas prædicta, in ordine ad recte definiendum, dividendum, argumentandum: & quid, viceversa, hæc facultas sit, nisi sit logica.

Secundo quoad possibilitatem: quia in huiusmodi facultate non est assignabilis repugnantia: juxta ea, quæ præmissa sunt in Clavi *disp.* 1. n. 35. & *disp.* 2. præliminari.

Tertio quoad existentiam: quia non est assignabilis major ratio, quare defacto admittenda sit ulla alia facultas, aut virtus, quæ non probet etiam dari logicam: ergo vel est defacto ponenda logica, vel neganda omnis alia similis facultas, aut virtus, quæcunque sit, quæ ab adversariis admittatur.

Quarto quoad causas: quia non est assignabile, quomodo salvari possit logica per pauciores, aut diversas causas: aut quare alia diversi generis causa superaddenda.

Quinto quoad divisionem: quia non est assignabile, cur aliqua ex prædictis speciebus, non sit digna nomine logicæ: aut cur superaddenda sit alia species, quæ faciat ad rem, quæque in prædictis non includatur.

Sexto quoad subjecta, secundum partem affirmativam: quia non est assignabile, cur, sicut in homine, ita & in aliis, de quibus dictum est, non possit inveniri logica, in sensu accõmodo. Secundum partem negativam: quia non est assignabile, neque intelligi potest, quomodo cum summa perfectione Dei conciliari possit in intellectu divino logica acquisita, aut discursus, aut similis modus intelligendi, qui dicit ex suo conceptu imperfectionem: aut quomodo ex suo conceptu logica acquisita, sine imperfectione, & defectu salvari possit. Verum hæc omnia generatim in Clavi præjacta sunt *disp.* 1.

XVI. Dico 2. Et adversarii contra nos argumentis tandem aliquando militant negativis. Puta, primo contra essentiam logi-

logicæ: quia facultas a nobis definita, gratis dicitur esse logica: cum non appareat fundamentum id asserendi. Secundo contra possibilitatem: quia facultas a nobis definita, directiva scilicet intellectus quoad recte definiendum, dividendum, argumentandum, esset essentialiter otiosa, inutilis, & superflua: cum non appareat ejus munus, utilitas, & necessitas. Tertio contra existentiam: quia non sunt ponendæ facultates a reliquis distinctæ sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi facultatem a nobis definitam, a reliquis distinctam: ergo non est de facto ponenda. Minor probatur: quia non apparet talis necessitas: vel assignetur, quare totum id, quod a nobis tribuitur facultati prædictæ, non possit tribui naturæ, & ingenio, aut saltem collectioni reliquarum virtutum, seu intellectualium facultatum. Quarto contra causas, divisionem, subjecta logicæ: quia gratis tot ejus causæ, species, subjecta multiplicantur: cum eorum necessitas non appareat, præsertim in Deo, cujus intellectus divinus non est obnoxius falsitati, aut errori, adeoque sicut non indigus ullius directionis, ita inca-

Corollarium.

Sed prædicta omnia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi disp. 1. Ergo tandem aliquando in hac disputatione tertia de logica secundum se, tam nos quàm adversarii, Negative syllogizavimus.



## DISPUTATIO QUARTA.

Quænam sint Logicæ proprietates  
præcipuæ.

*Primo, an logica sit ars. Secundo, an virtus. Tercio, an scientia.  
Quarto, an simpliciter practica: ubi, Quinto, quid sit,  
cognitionem esse practicam; quid, esse specu-  
lativam. Sexto, an logica sit ne-  
cessaria ad alias scientias  
acquirendas.*

## ARTICULUS I.

An Logica sit Ars.

I. **D**ico 1. Logica est ars. Ita Fonseca, Vasquez, Val-  
dus, Smigletius, & alii communiter, præsertim  
recentiores, contra Toletum *quest. 4. de dialect. in communi con-  
clus. 1.* Probatur, ars est facultas præscribens certas, & infal-  
libiles regulas, quibus fiat aliquod opus: atqui hujusmodi est  
logica: ergo logica est ars. Major est definitio artis: & constat  
ex Aristotele *sex. Ethic. cap. 4.* ubi ait, *ars est habitus, cum ve-  
ra ratione factivus*: & ex communi conceptu artis late acceptæ,  
nisi fortasse fieri velit quæstio de nomine. Hinc Divus Thomas  
*prima secunda quest. 57. art. 3. ad tertium*, logicam, artem,  
appellare videtur, præsertim in ordine ad syllogismum: & Tul-  
lius, artem veri, & falsi disceptatricem, ac judicem. Et vocari  
solet ab omnibus logica ars-artium, quin & illarum omnium prin-  
ceps, atque directrix. Dixi, logicam esse artem, puta saltem late ac-  
ceptam, scilicet non in eo sensu, quo plures peripatetici, apud  
Polizium, teste Buridano; & apud Oviedum, stricte, nomine  
artis, volunt veriri, juxta Aristotelem, illam tantummodo, quæ  
versatur circa opus externum: hujusmodi enim non est logica:  
cū versetur circa operationes intellectus, quæ sunt opus internū:  
per hos autem doctores, factio dicitur de opere externo:  
actio de interno. Jam

Dico 2. Etiam apud Aristotelem, *7<sup>o</sup>*, habitus factivus,  
multas habet acceptiones: primo nimirū in ordine ad opus exter-  
num. Secundo in ordine ad opus externum duntaxat permanens:  
libro

*libro enim primo magnorum moralium*, ad artes inter se discrimi-  
nandas, alias appellat factivas, quæ scilicet relinquunt opus  
post se, ut ædificatoria, cujus opus permanens est: alias activas,  
ut ars citharizandi, quæ nullum post se opus relinquunt. Tercio,  
ut apparet legenti Aristotelem, etiam in ordine ad opera pure  
interna: nam *secundo Ethic. cap. 6.* loquens de virtutibus, hæc  
habet: *dicendum est igitur, omnem virtutem, & ipsum id, cujus  
est virtus, bene affectum reddere: & opus ejus bene efficere.* En  
quomodo, *efficere*, dicatur etiam de virtutibus, in universum:  
atqui virtutis, in universum, opus potest etiam esse pure inter-  
num. Non videtur igitur, cur logica, quantum est ex hoc capite,  
non possit dici ars, saltem late accepta, liberalis, perfecta, intel-  
lectualis: quanvis non mechanica, non servilis, non imperfecta,  
ut vulgus artium reliquarum inferiorum.

## A R T I C U L U S II. An Logica sit virtus.

II. **D**ico 1. Logica est virtus, probatur: virtus est, quæ  
facit bonum habentem: quæque opus ejus reddit  
bonum: sed logica bonum facit habentem, idest intellectum: &  
opus ejus, idest intellectus, reddit bonum: ergo logica est virtus.  
Major est definitio virtutis ab omnibus recepta, ex Aristotele 2.  
*Ethicor. cap. 6.* Minor probatur: logica præstat suis præceptis,  
ut opus intellectuale sit bonum: adeoque perficit intellectum.  
Sicut enim bonus est equus, si aptus ad equitationem; bonus  
oculus, si aptus ad videndum; bona ferra, si apta ad secandum:  
& quo magis, in ordine ad hoc perficiuntur, eo magis evadunt  
bona, & perfecta in genere suo; ita bonus est intellectus, si  
aptus ad recte intelligendum, & ad veritatem, ac scientiam inda-  
gandam: & quo magis in hoc perficitur, eo magis disponitur in  
ordine ad suum finem assequendum: adeoque melioratur. Ad  
meliorem terminorum intelligentiam pro logicæ candidatis;

Dico 2. Quando dicitur logica esse virtus, primo sermo est  
de virtute intellectuali, non de morali. Quippe logica pertinet  
ad intellectum, & respicit, ut suos actus, intelligentiones, quæ for-  
maliter non sunt capaces moralitatis, & imputabilitatis ad lau-  
dem, aut vituperium; ad præmium, aut poenam; scilicet honestatis,  
aut inhonestatis; immo nec meræ licentiæ moralis, idest  
indif-

indifferentiæ in genere moris, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. specul. lib. 8.* ubi de moralitate actuum humanorum. Secundo termo est de logica habituali: siquidem logica pure actualis non est virtus; sed actus virtutis. Virtus enim est habitus per se inclinans ad actus virtuosos: &, si ad actus virtuosos intellectus, dicitur virtus intellectualis: si ad actus virtuosos voluntatis, dicitur virtus moralis, seu voluntaria, puta pertinet ad mores. Viceversa, vitium est habitus per se inclinans ad actus vitiosos oppositos virtuosis. Sed logica habitualis est habitus: logica vero actualis non est habitus, sed sunt actus. Ergo logica habitualis est virtus: non vero logica actualis: quæ, ut pendens ab habituali, virtuosa solummodo dici poterit, licet non ipsa virtus. Quibus præexplicatis,

III. Dico 3. Logica est virtus specialis. Assertio probatur: omnis virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus, est virtus specialis: atqui logica est virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus: ergo logica est virtus specialis. Major hujus primi syllogismi est explicatio terminorum. Minor probatur: logica est virtus habens objectum formale diversum ab objecto formali omnium aliarum virtutum. Atqui diversitas objecti formalis est caput sufficiens, quin & præcipuum, unde virtutes diversificentur: ergo logica est virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus. Major hujus secundi syllogismi probatur, quia logica, ut infra videbitur, respicit, ut suum objectum formale, rectitudinem secundæ operationis intellectus, puta definitivam, divisivam, argumentativam, præcisè ut talem. Atqui hanc rectitudinem (infra explicandam, ubi de objecto logicæ) præcisè, ut talem, nulla alia virtus assignabilis respicit, tanquam suum objectum formale: ergo logica est virtus, habens objectum formale diversum ab objecto formali omnium aliarum virtutum. Minor ejusdem secundi syllogismi, quod scilicet hoc sit caput sufficiens ad virtutes specificandas, probatur, quia quævis alia virtus, seu pertinet ad voluntatem, sive ad intellectum; sicut in universum, quævis potentia, & facultas, ex diversitate objecti formalis satis superque specificatur ab aliis, in linea sua: licet etiam diversificari possit ex aliis capitibus: ergo & logica. Ergo in universum diversitas objecti formalis est caput sufficiens, immo & præcipuum, unde virtutes diversificentur.

IV. Dico 4. Nequit logica in collectione omnium aliarum  
*Ant. Forti.* vir-

virtutum intellectualium sistere. Namque alia, v. g. physica, mathematica, quanvis utantur logica, non tamen ipsae sunt formaliter ipsa logica: & ratio est, quia v. g. quando physica definit compositum substantiale, aut illud dividit in suas partes, aut idem deducit syllogizando; non respicit formaliter, ut sui objectum, rectitudinem definitionis, divisionis, argumentationis, praecise ut talem, sed naturalitatem ipsius compositi: adeoque non respicit rectam definitionem, divisionem, argumentationem, praecise ut talem; seu rectitudinem secundae operationis, praecise ut definitivam, divisivam, argumentativam: sed prout naturalem, saltem terminative, prout physicam, juxta ea, quae in physicis dicta sunt, ubi de objecto physicae. Idem, proportionem servata, dicendum de aliis intellectualibus facultatibus, quarum nulla, etiam dum in propria materia definit, dividit, syllogizat, ope logicae; sistit in rectitudine secundae operationis, praecise ut tali: sed in illa formalitate, quam respicit ut suum objectum specificum, & formale. At logica, sive dum docet, sive dum ipsa utitur suis praecceptis, sive dum adjuvat alias facultates, definiendo, dividendo, syllogizando, praescindit utique ab aliis praedicatis, & solum respicit operationem secundam intellectus recte definitivam, divisivam, argumentativam, praecise ut talem, scilicet ut rectam definitionem, divisionem, argumentationem, praescindendo, an sit in materia naturali, adeoque physica; in materia quanta, adeoque mathematica; in materia divina, adeoque theologica.

## A R T I C U L U S III.

Solvuntur objectiones.

V. **O**bjicies 1. Logica, secundum partem analyticam, in qua videlicet agit de sola demonstratione, non est virtus: ergo falsa conclusio. Antecedens probatur: non enim explicari potest, quomodo competat logicae secundum partem analyticam id, quod *sept. physicor. cap. 3. test. 17.* tradidit Aristoteles, *virtus est dispositio perfecti ad optimum.*

Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem dico, intellectum, qui est perfectus, subjectum scilicet, quod perficitur per artem syllogismi demonstrativi construendi, quod est, quid bonum, immo, in aliquo sensu, optimum eidem intellectui,

Phil. Neg. Log.

Y



Qui, cum, saltem naturaliter, non detur actus perfectior scientificus; hoc modo fieri meliorem, itaque magis disponi ad optimum.

Obijcies 2. Non potest explicari, quomodo logica, secundum partem topicam, in qua scilicet agit de syllogismo probabili, sit dispositio perfecti ad optimum: ergo, quo ad hanc partem, logica non est virtus.

Respondeo, nego antecedens: quandoquidem habere cognitionem probabilem alicujus veritatis, est quid bonum nostro intellectui, & aliqua ejusdem perfectio: immo colligitur ex doctrina Aristotelis, & D. Thomæ, notitiam opinativam, licet exiguam, de objecto perfectiore, v. g. de Deo, esse magis appetibilem, & perfectam, quam notitiam scientificam de objecto imperfectiore, v. g. de musca, aut formica. Ulterius logica per topicam, non solum dat notitiam probabilem objecti, sed etiam præbet cognitionem connexionis præmissarum cum conclusione; quæ quidem est notitia certa, & evidens, fundata in illo principio: quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se. Intellectus igitur, ita perfectus per logicam topicam, sit magis bonus, adeoque magis accedit ad optimum: quia disponitur ad meliores, & meliores cognitiones semper eliciendas circa suum finem. Hic notandum, quod habitus, ut dicatur virtus, non necessario esse, debet simpliciter perfectissimus, nec necessario subiectum per illum perfici debet actu simpliciter perfectissimo: primo, quia sic nulla virtus minus perfecta, quam alia, cujusmodi est, v. g. virtus temperantiæ, esset virtus, quia exceditur ab alia virtute, scilicet a charitate erga Deum: ergo temperantia non est perfectissima, & sic de reliquis: secundo, quia nullus actus, etiam charitatis, aut cujusunque alterius virtutis est defacto talis, ut nequeat eo dari perfectior, saltem in sua linea: adeoque nulla in nobis defacto daretur virtus.

Obijcies 3. Non potest explicari, quomodo logica secundum partem sophisticam, in qua scilicet agit de syllogismo sophistico, sit dispositio perfecti ad optimum: ergo, saltem secundum hanc partem, logica non est virtus.

Respondeo, nego antecedens: nam logica, secundum hanc partem, dat intellectui regulas certas, & infallibiles, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, scilicet, ut, syllogismos fallaces dignoscendo, bonos eliciat, illorum fraudibus declinatis.

Atqui

Atqui hoc scire, bonum est intellectui: ergo per hanc partem logica perficitur intellectus, sit melior, magis accedit ad optimum.

# ARTICULUS IV.

An logica sit scientia.

VI. **D**ico 1. Logica est scientia: puta logica habitualis, est scientia habitualis: logica actualis, scientia pariter actualis. Ita sententia communis ex Aristotele, D. Thoma, Scoto, & aliis, quos referunt, & sequuntur Toledus, Conimbricenses, Hurtadus, & passim recentiores, contra veteres nonnullos, quibus subscribit Pereira *lib. 1. phil. cap. 2.*

Assertio probatur, & explicatur, quoad primam partem: logica habitualis, ex dictis, est habitus per se inclinans ad actus logicos: atqui habitus, per se inclinans ad actus logicos, est scientia habitualis: ergo logica habitualis est scientia habitualis. Minor probatur: habitus per se inclinans ad actus scientificos, est scientia habitualis: atqui habitus per se inclinans ad actus logicos, est habitus per se inclinans ad actus scientificos: ergo habitus per se inclinans ad actus logicos, est scientia habitualis. Minor probatur: actus, qui deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus, sunt scientifici: atqui actus logici, saltem quidam, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus: ergo actus logici, saltem quidam, sunt scientifici: ergo habitus, per se inclinans ad actus logicos, est per se inclinans ad actus scientificos. Major est explicatio terminorum ex Aristotele, ut constabit ex dicendis loco suo, scilicet *disp. 13.* ubi de scientia. Minor probatur: conclusiones logicæ, idest præcepta, & regulæ logicæ, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus: atqui hi sunt actus logici, utpote ipsamet logica actualis, ex supra dictis: ergo actus logici, saltem quidam, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus. Major probatur: siquidem regulæ logicæ sunt illæ, & similes: primo, definitio, ut sit bona, esto clarior definito: secundo, divisio, ut sit bona, adæquet divisum: tertio, præmissæ syllogismi, ut sint bonæ, ita disponantur, ut illis concessis, negari nequeat consequentia: quarto præmissæ syllogismi demonstrativi, ut sint bonæ, aptæ sint parere scientiam. Atqui hæ, & similes regulæ deducuntur ex præmissis certis, & evi-

evidentibus : ergo conclusiones logicæ , idest præcepta , & regulæ logicæ , deducuntur ex præmissis certis , & evidentibus . Minor probatur : siquidem quoad primam regulam , ita syllogizatur , ex principiis quidem , aut lumine naturæ notis , aut aliunde : omnis explicatio , seu declaratio , quippe manifestatio ignoti , debet esse clarius re explicata , declarata , manifestata , sicut lumen re illuminata clarius est ; aliter non explicat , non declarat , non manifestat ignotum , non illuminat ; atqui definitio est oratio explicans , declarans , manifestans definitum : ergo definitio est clarius definito .

VII. Quoad secundam regulam , ita syllogizatur : divisio continet omnia divisi constitutiva : divisum est ipsum constitutum : atqui omnia constitutiva , & constitutum indentificantur : adeoque omnia constitutiva adæquant , immo sunt ipsum constitutum : sicut singillatim exceduntur ab ipso , cum totum sit major sua parte : ergo divisio adæquat divisum .

Quoad tertiam regulam , ita syllogizatur : non potest ab intellectu sano negari , quippe patens lumine naturæ , quod , quæ sunt eadem unitertio , sunt eadem inter se : sed in præmissis recte dispositis conceditur , quod extrema sint idem cum uno tertio , nimirum cum medio termino : ergo non poterit negari consequentia , quod scilicet illa , etiam inter se indentificentur .

Quoad quartam regulam ita syllogizatur : præmissæ certæ , & evidentes generant scientiam , utpote sui conclusionem : atqui præmissæ syllogismi demonstrativi esse debent certæ , & evidentes : ergo præmissæ syllogismi demonstrativi generant scientiam .

Et simili modo syllogizari potest quoad alias regulas logicas , ut patet consideranti : sed hi , & similes modi syllogizandi sunt demonstrativi , ut patet , cum præmissas contineant , intellectis terminis , certas , & evidentes : ergo prædictæ regulæ logicæ , & similes , deducuntur ex præmissis certis , & evidentibus ; quod erat probandum .

VIII. Dico 2. Logica actualis est scientia actualis . Assertio satis constat ex dictis assertione præcedente : probatur , & explicatur . Logica actualis sunt actus logici , ut supra dictum est loco suo : sed actus logici , saltem quidam , sunt scientifici , adeoque scientia actualis , ut constat ex superiore assertione : ergo logica actualis est scientia actualis . Dixi , saltem quidam : enimvero

Dico

Dico 3. Non officit, quod logica aliquas præterea habeat cognitiones mere probabiles. Nam, ut dicatur absolute, & simpliciter scientia, sufficit, quod aliquas habeat cognitiones, seu conclusiones scientificas: aliter nec physica, nec metaphysica, nec ulla fortasse scientia pure humana absolute, & simpliciter scientia dici posset: cum multas, & fortasse plures habeat cognitiones, seu conclusiones mere probabiles, seu opinativas, quam evidentes, & scientificas.

## ARTICULUS V. Solvuntur objectiones.

IX. **O**bjicies 1. Logica est ars: ergo non est scientia. Consequentia probatur, quia Aristoteles discriminat scientiam ab arte.

Respondeo, nego consequentiam: ad cujus probationem dico, Aristotelem loqui de pura arte, & pura scientia, quando illas inter se discriminat: non autem negare, eandem facultatem sub diversa consideratione scientiam, & artem merito dici posse.

Objicies 2. Ars respicit operabile; scientia respicit scibile: sed operabile non est scibile: ergo si logica est ars, nequit esse scientia.

Respondeo, nego minorem: operabile enim, quomodo fieri debeat, demonstrari potest, & sciri per præmissas certas, & evidentes, adeoque esse scibile simul, ac operabile. Quod, si reliquæ artes regulariter scientiæ non dicantur, id provenit, non præcise, quia respiciunt operabile, sed quia circa ipsum procedere non solent modo demonstrativo.

Objicies 3. Sic omnes artes, etiam mechanicæ, dici possent scientiæ: nam aliquid demonstrant circa sua objecta, v. g. sutoria demonstrat, corium pro solea debere esse solidius, quam pro parte superiore calcei, ita syllogizando: ad sustinendum pondus requiritur corium fortius, & solidius, quam ad non sustinendum: sed solea sustinet pondus pedis, pars vero calcei superior non sustinet idem pondus: ergo pro solea requiritur corium fortius, & solidius, quam pro parte superiore calcei.

Respondeo, distingo sequelam: si dicto modo procedant concedo: secus, nego sequelam. Cæterum artes mechanicæ regulariter non solent scientiæ appellari: quia non ita procedunt syllogizan-

gizando ; sed duntaxat fundatæ in fide parentum , doctrinaque a magistris recepta : ut patet , quando pueri docentur artem aliquam mechanicam : ipsis enim dantur quidē præcepta , ratio autem non assignatur regulariter loquendo , ut assignatur in logica , & in aliis scientiis practicis. Quod , si ita omnes procederent , utique artes illæ , scientiæ practicæ , dici possent .

X. Obijcies 4. Aristoteles docet , absurdum esse quærere simul scientiam , & modum , seu instrumentum sciendi : sed logica est modus , seu instrumentum sciendi : ergo non est scientia.

Respondeo , in primis , omiſſa majore , negari posse minorem : logica enim proprie loquendo non est instrumentum , sed ars instrumentaria , quæ scilicet suo modo dat instrumenta sciendi , scilicet , illa præscribendo : ut ars malleatoria non est malleus , sed malleorum effatrix : & ad summum instrumentum metonymice , utpote causaliter , dici potest , idest causa instrumenti , non ipsum formaliter instrumentum.

Respondeo secundo , distingo majorem : absurdum est quærere simul scientiam , & modum , seu instrumentum sciendi , si sint realiter distincta , concedo : si sint realiter identificata , nego majorem : & distingo minorem : sed logica est modus , seu instrumentum sciendi , quod simul est scientia , concedo : quod simul non est scientia , nego minorem , & consequentiam. Logica , quæ realiter est scientia , ex eodem Aristotele , alibi clare id asserente , est etiam modus , seu instrumentum sciendi , modo prædicto , respectu aliarum scientiarum , immo logica docens , respectu sui , ut utentis , juxta superius tradita . Ergo , qui quærit logicam , quærit modum , seu instrumentum sciendi.

Nec gratis ita a nobis explicatur Aristoteles ; quippe , ne si bi contradicere reputetur . Cæterum hoc loco fortasse philosophus illos re vera reprehendere voluit , qui logicam adolescentes simul cum aliis scientiis edocebant , præpropere magisterio.

Obijcis 5. Idem Aristoteles dividit scientiam in physicam , & metaphysicam : nec meminit de logica : ergo logica per Aristotelem non est scientia.

Respondeo , distingo antecedens : scientiam speculativam , concedo ; practicam , nego antecedens : & distingo consequens : ergo logica non est scientia mere speculativa , concedo ; practica , nego consequentiam . Cujus distinctionis sensus constabit ex dicendis sequenti articulo . Interim

XI. Ob-

XI. Obijies 6. Logica agit de syllogismo probabili, & de fallaci: ergo non est scientia.

Respondeo, nego consequentiam. Aliud est scientia, aliud objectum scientiæ, sive illud prosecutionis sit, & per se; sive, fugæ, & per accidens. De opinione, & errore haberi potest cognitio scientifica, hoc est deducta ex præmissis certis, & evidentibus. Et sane Deus vere, certo, evidenter, infallibiliter cognoscit nostros actus, etiam falsos, incertos, obscuros, fallibiles, quin & erroneos. Sic de arbore, & lapide haberi potest scientia, licet ipsa non sint scientia: & de objecto malo, ut est peccatum, potest haberi actus bonus, scilicet odium ejusdem: de objecto bono actus malus, ut est odium erga Deum: de objecto materiali cognitio spiritualis, cujusmodi est cognitio, qua angelus cognoscit lapidem; juxta quam explicationem Aristoteles ubi in topicis docet, dialecticam agere de his, quæ ad opinionem pertinent, non negat esse scientiam, licet agat de opinione: enimvero logica agit quidem de opinione, at circa opinionem ipsam scientifice procedendo.

## A R T I C U L U S VI.

An logica sit scientia practica.

XII. Dico 1. Logica est scientia absolute, & simpliciter practica. Ita Okamus, Gabriel, Paulus Venetus, Albertus citati a Rubio: nec non Fonseca, Murcia, Conimbrienses, Oviedus, Giattinus, Polizzius, Semeri, alique recentiores complurimi cum Arriaga, qui affert pro se D. Thomam, & quotquot logicam, artem appellant: quos inter D. Augustinus, & M. Tullius recensentur.

Assertio probatur: omnis scientia, quæ non quiescit in sola contemplatione, seu speculatione sui objecti, sed ultra progrediendo, tendit ad opus, est practica: atqui hujusmodi est logica: est enim ars, ut supra diximus, & habet pro fine opus, idest secundam operationem intellectus recte faciendam: ergo logica est scientia practica. Major probatur: hoc enim est discrimin inter scientiam speculativam, & practicam, quod nimirum speculativa sistat in mera contemplatione sui objecti: practica vero insuper tendat ad praxim. Et est expressa doctrina Aristotelis lib. 2. metaphys. cap. 1. ubi ait: *speculativa scientia finis veritatis*:

## DISPUTATIO QVARTA.

Quænam sint Logicæ proprietates  
præcipuæ.

*Primo, an logica sit ars. Secundo, an virtus. Tenthio, an scientia.  
Quarto, an simpliciter practica: ubi, Quinto, quid sit,  
cognitionem esse practicam; quid, esse specu-  
lativam. Sexto, an logica sit ne-  
cessaria ad alias scientias  
acquirendas.*

## A R T I C U L U S I.

An Logica sit Ars.

I. **D**ico 1. Logica est ars. Ita Fonseca, Vasquez, Val-  
lius, Smigletius, & alii communiter, præsertim,  
recentiores, contra Toletum *quæst. 4. de dialect. in communi con-  
clus. 1.* Probatur, ars est facultas præscribens certas, & infal-  
libiles regulas, quibus fiat aliquod opus: atqui huiusmodi est  
logica: ergo logica est ars. Major est definitio artis: & constat  
ex Aristotele *sex. Ethic. cap. 4.* ubi ait, *ars est habitus, cum ve-  
ra ratione factivus*: & ex communi conceptu artis late acceptæ,  
nisi fortasse fieri velit quæstio de nomine. Hinc Divus Thomas  
*prima secundæ quæst. 57. art. 3. ad tertium*, logicam, artem,  
appellare videtur, præsertim in ordine ad syllogismum: & Tul-  
lius, artem veri, & falsi disceptatricem, ac judicem. Et vocari  
solet ab omnibus logica ars artium, quin & illarum omnium prin-  
ceps, atque directrix. Dixi, logicam esse artem, puta saltem late ac-  
ceptam, scilicet non in eo sensu, quo plures peripatetici, apud  
Polizium, teste Buridano; & apud Oviedum, stricte, nomine  
artis, volunt venire, juxta Aristotelem, illam tantummodo, quæ  
versatur circa opus externum: huiusmodi enim non est logica:  
cū versetur circa operationes intellectus, quæ sunt opus internū:  
per hos autem doctores, factio dicitur de opere externo:  
actio de interno. Jam

Dico 2. Etiam apud Aristotelem, *7<sup>o</sup>*, habitus factivus,  
multas habet acceptiones: primo nimirū in ordine ad opus exter-  
num. Secundo in ordine ad opus externum duntaxat permanens:  
libro

*libro enim primo magnorum moralium*, ad artes inter se discrimi-  
nandas, alias appellat factivas, quæ scilicet relinquunt opus  
post se, ut ædificatoria, cujus opus permanens est: alias activas,  
ut ars citharizandi, quæ nullum post se opus relinquunt. Tercio,  
ut apparet legenti Aristotelem, etiam in ordine ad opera pure  
interna: nam *secundo Ethic. cap. 6.* loquens de virtutibus, hæc  
habet: *dicendum est igitur, omnem virtutem, & ipsum id, cujus  
est virtus, bene affectum reddere: & opus ejus bene efficere.* En  
quomodo, *efficere*, dicatur etiam de virtutibus, in universum:  
atqui virtutis, in universum, opus potest etiam esse pure inter-  
num. Non videtur igitur, cur logica, quantum est ex hoc capite,  
non possit dici ars, saltem late accepta, liberalis, perfecta, intel-  
lectualis: quanvis non mechanica, non servilis, non imperfecta,  
ut vulgus artium reliquarum inferiorum.

## A R T I C U L U S II.

### An Logica sit virtus.

II. **D**ico 1. Logica est virtus, probatur: virtus est, quæ  
facit bonum habentem: quæque opus ejus reddit  
bonum: sed logica bonum facit habentem, idest intellectum: &  
opus ejus, idest intellectus, reddit bonum: ergo logica est virtus.  
Major est definitio virtutis ab omnibus recepta, ex Aristotele 2.  
*Ethicor. cap. 6.* Minor probatur: logica præstat suis præceptis,  
ut opus intellectuale sit bonum: adeoque perficit intellectum.  
Sicut enim bonus est equus, si aptus ad equitationem; bonus  
oculus, si aptus ad videndum; bona ferra, si apta ad secandum:  
& quo magis, in ordine ad hoc perficiuntur, eo magis evadunt  
bona, & perfecta in genere suo; ita bonus est intellectus, si  
aptus ad recte intelligendum, & ad veritatem, ac scientiam inda-  
gandam: & quo magis in hoc perficitur, eo magis disponitur in  
ordine ad suum finem, assequendum: adeoque melioratur. Ad  
meliorem terminorum intelligentiam pro logicæ candidatis;

Dico 2. Quando dicitur logica esse virtus, primo sermo est  
de virtute intellectuali, non de morali. Quippe logica pertinet  
ad intellectum, & respicit, ut suos actus, intelligentiones, quæ for-  
maliter non sunt capaces moralitatis, & imputabilitatis ad lau-  
dem, aut vituperium; ad præmium, aut poenam; scilicet honestatis,  
aut inhonestatis; immo nec meræ licentiæ moralis, idest  
indif-



indifferentiæ in genere moris, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. specul. lib. 8.* ubi de moralitate actuum humanorum. Secundo termo est de logica habituali: siquidem logica pure actualis non est virtus, sed actus virtutis. Virtus enim est habitus per se inclinans ad actus virtuosos: &, si ad actus virtuosos intellectus, dicitur virtus intellectualis: si ad actus virtuosos voluntatis, dicitur virtus moralis, seu voluntaria, puta pertinet ad mores. Viceversa, vitium est habitus per se inclinans ad actus vitiosos oppositos virtuosis. Sed logica habitualis est habitus: logica vero actualis non est habitus, sed sunt actus. Ergo logica habitualis est virtus: non vero logica actualis: quæ, ut pendens ab habituali, virtuosa solummodo dici poterit, licet non ipsa virtus. Quibus præexplicatis,

III. Dico 3. Logica est virtus specialis. Assertio probatur: omnis virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus, est virtus specialis: atqui logica est virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus: ergo logica est virtus specialis. Major hujus primi syllogismi est explicatio terminorum. Minor probatur: logica est virtus habens objectum formale diversum ab objecto formali omnium aliarum virtutum. Atqui diversitas objecti formalis est caput sufficiens, quin & præcipuum, unde virtutes diversificentur: ergo logica est virtus diversa a reliquis omnibus virtutibus. Major hujus secundi syllogismi probatur, quia logica, ut infra videbitur, respicit, ut suum objectum formale, rectitudinem secundæ operationis intellectus, puta definitivam, divisivam, argumentativam, præcisè ut talem. Atqui hanc rectitudinem (infra explicandam, ubi de objecto logicæ) præcisè, ut talem, nulla alia virtus assignabilis respicit, tanquam suum objectum formale: ergo logica est virtus, habens objectum formale diversum ab objecto formali omnium aliarum virtutum. Minor ejusdem secundi syllogismi, quod scilicet hoc sit caput sufficiens ad virtutes specificandas, probatur, quia quævis alia virtus, seu pertinet ad voluntatem, sive ad intellectum; sicut in universum, quævis potentia, & facultas, ex diversitate objecti formalis satis superque specificatur ab aliis, in linea sua: licet etiam diversificari possit ex aliis capitibus: ergo & logica. Ergo in universum diversitas objecti formalis est caput sufficiens, immo & præcipuum, unde virtutes diversificentur.

IV. Dico 4. Nequit logica in collectione omnium aliarum  
*Ant. Forti.* vir-

**virtutum intellectualium sistere.** Namque alia, v. g. physica, mathematica, quanvis utantur logica, non tamen ipse sunt formaliter ipsa logica: & ratio est, quia v. g. quando physica definit compositum substantiale, aut illud dividit in suas partes, aut idem deducit syllogizando; non respicit formaliter, ut sui objectum, rectitudinem definitionis, divisionis, argumentationis, præcise ut talem, sed naturalitatem ipsius compositi: adeoque non respicit rectam definitionem, divisionem, argumentationem, præcise ut talem; seu rectitudinem secundæ operationis, præcise ut definitivam, divisivam, argumentativam: sed prout naturalem, saltem terminative, prout physicam, juxta ea, quæ in physicis dicta sunt, ubi de objecto physicæ. Idem, proportionem servata, dicendum de aliis intellectualibus facultatibus, quarum nulla, etiam dum in propria materia definit, dividit, syllogizat, ope logicæ; sistit in rectitudine secundæ operationis, præcise ut tali: sed in illa formalitate, quam respicit ut suum, objectum specificum, & formale. At logica, sive dum docet, sive dum ipsa utitur suis præceptis, sive dum adjuvat alias facultates, definiendo, dividendo, syllogizando, præscindit utique ab aliis prædicatis, & solum respicit operationem secundam intellectus recte definitivam, divisivam, argumentativam, præcise ut talem, scilicet ut rectam definitionem, divisionem, argumentationem, præscindendo, an sit in materia naturali, adeoque physica; in materia quanta, adeoque mathematica; in materia divina, adeoque theologica.

## ARTICULUS III.

## Solvuntur objectiones.

V. **O**bjicies 1. Logica, secundum partem analyticam, in qua videlicet agit de sola demonstratione, non est virtus: ergo falsa conclusio. Antecedens probatur: non enim explicari potest, quomodo competat logicæ secundum partem analyticam id, quod *sept. physicor. cap. 3. rest. 17.* tradidit Aristoteles, *virtus est dispositio perfecti ad optimum.*

Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem dico, intellectum, qui est perfectus, subjectum scilicet, quod perficitur per artem syllogismi demonstrativi construendi, quod est, quid bonum, immo, in aliquo sensu, optimum eidem intellectui,

*Phil. Neg. Log.*

Y

Qui, cum, saltem naturaliter, non detur actus perfectior scientificus; hoc modo fieri meliorem, itaque magis disponi ad optimum.

Obijcies 2. Non potest explicari, quomodo logica, secundum partem topicam, in qua scilicet agit de syllogismo probabili, sit dispositio perfecti ad optimum: ergo, quo ad hanc partem, logica non est virtus.

Respondeo, nego antecedens: quandoquidem habere cognitionem probabilem alicujus veritatis, est quid bonum nostro intellectui, & aliqua ejusdem perfectio: immo colligitur ex doctrina Aristotelis, & D. Thomæ, notitiam opinativam, licet exiguam, de objecto perfectiore, v. g. de Deo, esse magis expectabilem, & perfectam, quam notitiam scientificam de objecto imperfectiore, v. g. de musca, aut formica. Ulterius logica per topicam, non solum dat notitiam probabilem objecti, sed etiam præbet cognitionem connexionis præmissarum cum conclusione; quæ quidem est notitia certa, & evidens, fundata in illo principio: quæ sunt eadem unitentio, sunt eadem inter se. Intellectus igitur, ita perfectus per logicam topicam, sit magis bonus, adeoque magis accedit ad optimum: quia disponitur ad meliores, & meliores cognitiones semper eliciendas circa suum finem. Hic notandum, quod habitus, ut dicatur virtus, non necessario esse debet simpliciter perfectissimus, nec necessario subjectum per illum perfici debet actu simpliciter perfectissimo: primo, quia sic nulla virtus minus perfecta, quam alia, cujusmodi est, v. g. virtus temperantiæ, esset virtus, quia exceditur ab alia virtute, scilicet a charitate erga Deum: ergo temperantia non est perfectissima, & sic de reliquis: secundo, quia nullus actus, etiam charitatis, aut cujusunque alterius virtutis est defacto talis, ut nequeat eo dari perfectior, saltem in sua linea: adeoque nulla in nobis defacto daretur virtus.

Obijcies 3. Non potest explicari, quomodo logica secundum partem sophisticam, in qua scilicet agit de syllogismo sophistico, sit dispositio perfecti ad optimum: ergo, saltem secundum hanc partem, logica non est virtus.

Respondeo, nego antecedens: nam logica, secundum hanc partem, dat intellectui regulas certas, & infallibiles, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, scilicet, ut, syllogismos fallaces dignoscendo, bonos eliciat, illorum fraudibus declinatis.

Atqui

Atqui hoc scire, bonum est intellectui: ergo per hanc partem logica perficitur intellectus, fit melior, magis accedit ad optimum.

## A R T I C U L U S IV.

An logica sit scientia.

VI. **D**ico 1. Logica est scientia: puta logica habitualis, est scientia habitualis: logica actualis, scientia, pariter actualis. Ita sententia communis ex Aristotele, D. Thoma, Scoto, & aliis, quos referunt, & sequuntur Toledus, Cornimbricenses, Hurtadus, & passim recentiores, contra veteres nonnullos, quibus subscribit Pereira *lib. 1. phil. cap. 2.*

Affertio probatur, & explicatur, quoad primam partem: logica habitualis, ex dictis, est habitus per se inclinans ad actus logicos: atqui habitus, per se inclinans ad actus logicos, est scientia habitualis: ergo logica habitualis est scientia habitualis. Minor probatur: habitus per se inclinans ad actus scientificos, est scientia habitualis: atqui habitus per se inclinans ad actus logicos, est habitus per se inclinans ad actus scientificos: ergo habitus per se inclinans ad actus logicos, est scientia habitualis. Minor probatur: actus, qui deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus, sunt scientifici: atqui actus logici, saltem quidam, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus: ergo actus logici, saltem quidam, sunt scientifici: ergo habitus, per se inclinans ad actus logicos, est per se inclinans ad actus scientificos. Major est explicatio terminorum ex Aristotele, ut constabit ex dicendis loco suo, scilicet *disp. 13.* ubi de scientia. Minor probatur: conclusiones logicæ, idest præcepta, & regulæ logicæ, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus: atqui hi sunt actus logici, utpote ipsamet logica actualis, ex supra dictis: ergo actus logici, saltem quidam, deducuntur ex præmissis certis, & evidentibus. Major probatur: siquidem regulæ logicæ sunt illæ, & similes: primo, definitio, ut sit bona, esto clarior definito: secundo, divisio, ut sit bona, adæquet divisum: tertio, præmissæ syllogismi, ut sint bonæ, ita disponantur, ut illis concessis, negari nequeat consequentia: quarto præmissæ syllogismi demonstrativi, ut sint bonæ, aptæ sint parere scientiam. Atqui hæc, & similes regulæ deducuntur ex præmissis certis, & evi-

evidentibus : ergo conclusiones logicæ , idest præcepta , & regulæ logicæ , deducuntur ex præmissis certis , & evidentibus . Minor probatur : siquidem quoad primam regulam , ita syllogizatur , ex principiis quidem , aut lumine naturæ notis , aut aliunde : omnis explicatio , seu declaratio , quippe manifestatio ignoti , debet esse clarior re explicata , declarata , manifestata , sicut lumen re illuminata clarius est ; aliter non explicat , non declarat , non manifestat ignotum , non illuminat ; atqui definitio est oratio explicans , declarans , manifestans definitum : ergo definitio est clarior definito .

VII. Quoad secundam regulam , ita syllogizatur : divisio continet omnia divisi constitutiva : divisum est ipsum constitutum : atqui omnia constitutiva , & constitutum indentificantur : adeoque omnia constitutiva adæquant , immo sunt ipsum constitutum : sicut singillatim exceduntur ab ipso , cum totum sit majus sua parte : ergo divisio adæquat divisum .

Quoad tertiam regulam , ita syllogizatur : non potest ab intellectu sano negari , quippe patens lumine naturæ , quod , quæ sunt eadem unitertio , sunt eadem inter se : sed in præmissis recte dispositis conceditur , quod extrema sint idem cum uno tertio , nimirum cum medio termino : ergo non poterit negari consequentia , quod scilicet illa , etiam inter se identificentur .

Quoad quartam regulam ita syllogizatur : præmissæ certæ , & evidentes generant scientiam , utpote sui conclusionem : atqui præmissæ syllogismi demonstrativi esse debent certæ , & evidentes : ergo præmissæ syllogismi demonstrativi generant scientiam .

Et simili modo syllogizari potest quoad alias regulas logicæ , ut patet consideranti : sed hi , & similes modi syllogizandi sunt demonstrativi , ut patet , cum præmissas contineant , intellectus terminis , certas , & evidentes : ergo prædictæ regulæ logicæ , & similes , deducuntur ex præmissis certis , & evidentibus ; quod erat probandum .

VIII. Dico 2. Logica actualis est scientia actualis . Assertio satis constat ex dictis assertione præcedente : probatur , & explicatur . Logica actualis sunt actus logici , ut supra dictum est loco suo : sed actus logici , saltem quidam , sunt scientifici , adeoque scientia actualis , ut constat ex superiore assertione : ergo logica actualis est scientia actualis . Dixi , saltem quidam : enimvero .

Dico

Dico 3. Non officit, quod logica aliquas præterea habeat cognitiones mere probabiles. Nam, ut dicatur absolute, & simpliciter scientia, sufficit, quod aliquas habeat cognitiones, seu conclusiones scientificas: aliter nec physica, nec metaphysica, nec ulla fortasse scientia pure humana absolute, & simpliciter scientia dici posset: cum multas, & fortasse plures habeat cognitiones, seu conclusiones mere probabiles, seu opinativas, quam evidentes, & scientificas.

## A R T I C U L U S V.

Solvuntur objectiones.

IX. **O**bjicies 1. Logica est ars: ergo non est scientia. Consequentia probatur, quia Aristoteles discriminat scientiam ab arte.

Respondeo, nego consequentiam: ad cujus probationem dico, Aristotelem loqui de pura arte, & pura scientia, quando illas inter se discriminat: non autem negare, eandem facultatem sub diversa consideratione scientiam, & artem merito dici posse.

Objicies 2. Ars respicit operabile; scientia respicit scibile: sed operabile non est scibile: ergo si logica est ars, nequit esse scientia.

Respondeo, nego minorem: operabile enim, quomodo fieri debeat, demonstrari potest, & sciri per præmissas certas, & evidentes, adeoque esse scibile simul, ac operabile. Quod, si reliquæ artes regulariter scientiæ non dicantur, id provenit, non præcise, quia respiciunt operabile, sed quia circa ipsum procedere non solent modo demonstrativo.

Objicies 3. Sic omnes artes, etiam mechanicæ, dici possent scientiæ: nam aliquid demonstrant circa sua objecta, v. g. sutoria demonstrat, corium pro solea debere esse solidius, quam pro parte superiore calcei, ita syllogizando: ad sustinendum pondus requiritur corium fortius, & solidius, quam ad non sustinendum: sed solea sustinet pondus pedis, pars vero calcei superior non sustinet idem pondus: ergo pro solea requiritur corium fortius, & solidius, quam pro parte superiore calcei.

Respondeo, distingo sequelam: si dicto modo procedant concedo: secus, nego sequelam. Cæterum artes mechanicæ regulariter non solent scientiæ appellari: quia non ita procedunt syllogizando.

gizando ; sed duntaxat fundatæ in fide parentum , doctrinaque a magistris recepta : ut patet , quando pueri docentur artem aliquam mechanicam: ipsis enim dantur quidē præcepta, ratio autem non assignatur regulariter loquendo , ut assignatur in logica , & in aliis scientiis practicis. Quod , si ita omnes procederent , utique artes illæ , scientiæ practicæ , dici possent .

X. Obijcies 4. Aristoteles docet , absurdum esse quærere simul scientiam , & modum , seu instrumentum sciendi : sed logica est modus, seu instrumentum sciendi : ergo non est scientia.

Respondeo , in primis , omiſſa majore , negari posse minorem : logica enim proprie loquendo non est instrumentum , sed ars instrumentaria , quæ scilicet suo modo dat instrumenta sciendi , scilicet , illa præscribendo : ut ars malleatoria non est malleus , sed malleorum effectrix: & ad summum instrumentum metonymice , utpote causaliter , dici potest , idest causa instrumenti , non ipsum formaliter instrumentum.

Respondeo secundo , distinguo majorem : absurdum est quærere simul scientiam , & modum , seu instrumentum sciendi , si sint realiter distincta , concedo : si sint realiter identificata , nego majorem : & distinguo minorem : sed logica est modus , seu instrumentum sciendi , quod simul est scientia , concedo : quod simul non est scientia , nego minorem , & consequentiam. Logica , quæ realiter est scientia , ex eodem Aristotele , alibi clare id asserente , est etiam modus , seu instrumentum sciendi , modo prædicto , respectu aliarum scientiarum , immo logica docens , respectu sui , ut utentis , juxta superius tradita . Ergo , qui quærit logicam , quærit modum , seu instrumentum sciendi.

Nec gratis ita a nobis explicatur Aristoteles ; quippe , ne si bi contradicere reputetur . Cæterum hoc loco fortasse philosophus illos re vera reprehendere voluit , qui logicam adolescentes simul cum aliis scientiis edocebant , præpropere magisterio.

Obijcis 5. Idem Aristoteles dividit scientiam in physicam , & metaphysicam : nec meminit de logica : ergo logica per Aristotelem non est scientia.

Respondeo , distinguo antecedens : scientiam speculativam , concedo ; practicam , nego antecedens : & distinguo consequens : ergo logica non est scientia mere speculativa , concedo ; practica , nego consequentiam . Cujus distinctionis sensus constabit ex dicendis sequenti articulo . Interim

XI. Ob-

**XI.** Obijies 6. Logica agit de syllogismo probabili, & de fallaci: ergo non est scientia.

Respondeo, nego consequentiam. Aliud est scientia, aliud objectum scientiæ, sive illud prosecutionis sit, & per se; sive, fugæ, & per accidens. De opinione, & errore haberi potest cognitio scientifica, hoc est deducta ex præmissis certis, & evidentibus. Et sane Deus vere, certo, evidenter, infallibiliter cognoscit nostros actus, etiam falsos, incertos, obscuros, fallibiles, quin & erroneos. Sic de arbore, & lapide haberi potest scientia, licet ipsa non sint scientia: & de objecto malo, ut est peccatum, potest haberi actus bonus, scilicet odium ejusdem; de objecto bono actus malus, ut est odium erga Deum: de objecto materiali cognitio spiritualis, cujusmodi est cognitio, qua angelus cognoscit lapidem; juxta quam explicationem Aristoteles ubi in topicis docet, dialecticam agere de his, quæ ad opinionem pertinent, non negat esse scientiam, licet agat de opinione: enimvero logica agit quidem de opinione, at circa opinionem ipsam scientifice procedendo.

## A R T I C U L U S VI.

An logica sit scientia practica.

**XII.** **D**ico 1. Logica est scientia absolute, & simpliciter practica. Ita Okamus, Gabriel, Paulus Venetus, Albertus citati a Rubio: nec non Fonseca, Murcia, Conimbrienses, Oviedus, Giattinus, Polizzius, Semeri, alique recentiores complurimi cum Arriaga, qui assert pro se D. Thomam, & quotquot logicam, artem appellant: quos inter D. Augustinus, & M. Tullius recensentur.

Assertio probatur: omnis scientia, quæ non quiescit in sola contemplatione, seu speculatione sui objecti, sed ultra progrediendo, tendit ad opus, est practica: atqui hujusmodi est logica: est enim ars, ut supra diximus, & habet pro fine opus, idest secundam operationem intellectus recte faciendam: ergo logica est scientia practica. Major probatur: hoc enim est discrimen inter scientiam speculativam, & practicam, quod nimirum speculativa sistat in mera contemplatione sui objecti: practica vero insuper tendat ad praxim. Et est expressa doctrina Aristotelis lib. 2. metaphys. cap. 1. ubi ait: *speculativa scientia finis veritas*:



*ritas : practica autem opus : & D. Thomæ ex Aristotele : intellectus speculativus habet pro fine veritatem , quam considerat : practicus autem veritatem consideratam ordinat in operationem , tanquam in finem : & Averrois in supra citatum Philosophi locum : in scientiis speculativis finis est tantum scire ; quare activæ scientiæ , & veritatem , & causas considerant , non ut sciant , sed ut recte agant.*

Dico 2. Posita hac explicatione , communiter in scholis recepta , videtur implicare in terminis facultas tota practica , & tota speculativa respectu ejusdem : implicat enim , ex ipsis terminis , tendere ad opus , & non tendere ad idem opus . Sic etiam manifeste repugnat , quod idem sit totum materiale , & totum spirituale . Hinc , ut notat Arriaga *disp. 1. logicæ sect. 4. subsect. 2. num. 70.* merito Hurtadus asserit , repugnare in terminis opinionem illorum , qui aiebant , scientiam speculativam docere operari , modo speculativo : quia , eo ipso quod doceat operari , non sistit in sola contemplatione objecti , & consequenter non habet modum speculativum , qui est cognoscere sistendo in sola contemplatione sui objecti .

## A R T I C U L U S VII.

Solvuntur Objectiones .

XIII. **O**bjicies 1. Cum Scoto , & suis , aliisque apud Arriagam , & Oviedum : logica non tendit ad praxim : ergo non est scientia practica. Antecedens probatur : logica tendit in operationes intellectus : sed operationes intellectus non sunt praxis : ergo . Minor probatur , quia soli actus externi , vel ad summum actus voluntatis , & aliarum potentiarum inferiorum , sunt praxis : Ergo.

Respondeo , nego antecedens , ad ejus probationem , nego minorem : & deinde antecedens , quod ad illam probandam assumitur .

Operationes intellectus possunt , & debent dici praxis , cum fiant dependenter a regulis scientiæ , & artis , quæ per suas regulas dici potest , se extendere ad opus , tanquam ad praxim , licet opus sit intellectuale . Et ita explicandus Aristoteles , ubi ait , intellectum extensione fieri practicum : cum ipse Aristoteles 1. *metaph. cap. 1. & 2.* doceat , speculationem esse , quæ sistit in  
Ant. Forti. sola

sola contemplatione sui objecti. Illud noto, nobis cum Scoto diffiduum esse de sola voce : concedit enim, logicam versari circa operationes factibiles ex vi suorum preceptorum, negat tamen, ideo dicendam esse practicam : cum non tendat ad opus externum, quod solum vult, appellandum esse praxim : sed immerito : cum id assumatur omnino gratis.

Obijcies 2. Logica est scientia : sed scientia non potest esse practica : ergo logica non est practica.

Respondeo, nego minorem, tum quia est contra rationem, a nobis supra traditam ; tum quia est contra divisionem Aristotelis, ab omnibus communiter receptam, qua dividitur scientia in speculativam, & practicam.

Obijcies 3. Scientia, ex Aristotele, est gratia sui : ergo non est gratia operis, seu ordinata ad praxim : ergo, si logica est scientia, non est practica.

Respondeo, distingo antecedens, scientia simpliciter speculativa concedo : simpliciter practica, nego antecedens, & distingo consequens : ergo scientia simpliciter speculativa non est gratia operis, concedo ; simpliciter practica, nego consequentiam ; atque hoc juxta mentem Aristotelis, qui pluribus in locis docet, logicam non esse pure speculativam, & tamen 1. prior. cap. 1. illam scientiam appellat.

XIV. Obijcies 4. Scientia, ex Aristotele, est pura speculatio veritatis : ergo nulla scientia potest esse practica : ergo, si logica est scientia, non est practica.

Respondeo, distingo antecedens, aliqua scientia est pura speculatio veritatis, concedo : omnis scientia, nego antecedens, & consequentiam. Quavis scientia illa, quæ est pure speculativa, sit pura speculatio veritatis ; secus tamen scientia illa, quæ est simpliciter practica.

Obijcies 5. Logica est scientia intellectualis : ergo speculativa, & non practica.

Respondeo, nego consequentiam : nisi forte loqui velimus cum vulgo, sumendo Tò, speculativa, in eo sensu, quo vulgo dicuntur speculativi illi, qui persæpe videntur alio distracti, & cogitabundi. In quo sensu Divus Augustinus dicendus est, logicam appellasse scientiam contemplativam, partemque philosophiæ : cum aliquid demonstret circa operationes intellectus, seu

Phil. Neg. Log.

Z.

cogi-

cogitationes humanæ mentis, quæ vulgo dici solent contemplativæ, nimirum considerativæ objectorum.

Obijcies 6. Objectum scientiæ est necessarium: sed objectum scientiæ practicæ, utpote dependenter ab ejus præceptis factibile, debet esse contingens: ergo implicat, scientiam aliquam esse practicam: ergo implicat logicam esse practicam, ex suppositione, quod sit scientia.

Respondeo, distinguo majorem: objectum scientiæ est necessarium, quoad connexionem prædicatorum, seu, ut alii loquuntur, quoad essentiam, & conditionate, concedo: necessarium, quoad existentiam, & absolute, nego majorem; & distinguo minorem: objectum scientiæ practicæ debet esse contingens, quoad existentiam, & absolute, concedo: quoad connexionem prædicatorum, seu quoad essentiam, & conditionate, nego minorem, & consequentiam.

Certitudo scientiæ fundari debet in rerum essentia, seu connexionem prædicatorum, conditionate necessaria, & omnino invariabili; quod scilicet res habeant prædicata immutabilia: quandoquidem objectum scientiæ, si existit, debet esse tale, quale per illam demonstratur. Non autem requirit certitudo scientiæ objectum tale, quod debeat esse absolute sempiternum, & necessarium: aliter nulla esset scientia, nisi de Deo, qui solus est eus sempiternum, & necessarium: nec cogitationes ipsæ divinæ de objecto creato, utpote de objecto non necessario, sed contingente, essent supereminenter scientificæ: quod est absurdum. Jam essentia operationum rectarum est omnino invariabilis, & necessaria conditionate, in sensu præexplicato: necesse enim est, v. g. ut bona definitio, si existit; sit clarior definito: ut divisio bona, si existit; adæquet divisum: ut præmissæ rectæ, si existant, & concedantur; consequentia non negetur: ut præmissæ certæ, & evidentes, recte dispositæ, si existant; aptæ sint scientiam generare.

XV. Obijcies 7. Objectum scientiæ est universale: sed objectum scientiæ practicæ non potest esse universale: ergo implicat scientia practica: ergo, si logica est scientia, non est practica. Minor probatur: non est universale quidquid operabile est: sed objectum scientiæ practicæ est operabile: ergo objectum scientiæ practicæ non potest esse universale.

Respondeo primo, distinguo majorem: objectum illius scientiæ, quæ

quæ vocatur universalissima, præstantissima, seu prima philosophia, est universale, concedo: objectum cujuscunque scientiæ, nego majorem: & omissa minore, nego consequentiam.

Scientia, omnium universalissima, & præstantissima dicitur ea pars metaphysicæ, quæ speculatur ens, ut ens in communi, & similia; adeoque dicitur habere objectum universale: aliæ autem scientiæ haberi possunt de singularibus. Et sane de Deo, qui est unicus, habetur scientia. Et physica, non solum de corpore naturali in universum, sed etiam de corporibus singulis, aliquid demonstrare potest, & speculari.

Secundo, transmissa majore, nego minorem: & ad ejus probationem nego majorem: quia præcepta scientiæ practicæ, non est, cur non possint respicere plura similia, quæ sunt universale, saltem fundamentaliter sumptum, in sententia communi; licet in nostris principiis sint universale formaliter, ut suo loco videbimus. Sic logica in hoc præcepto, v.g. definitio sit clarius definita, loquitur de definitione qualibet factibili, adeoque de *universalibus*.

XVI. Obijcies 8. Cum Suarez, Vasquez, Hurtado, Quiros, Rubio, aliisque recentioribus: logica, quanvis multas habeat cognitiones practicas, nonnullas tamen continet mere speculativas: ergo dicenda est partim practica, partim speculativa. Antecedens, quoad secundam partem, probatur, quia saltem cognitiones illæ, quibus logica speculatur suum objectum jam factum, sunt speculativæ: ergo logica nonnullas habet cognitiones mere speculativas.

Respondeo, ex Polizzio, transmissio antecedente, nego consequentiam. Ratio est, quia, ex dictis in ratione fundamentali, licet logica quasdam habeat cognitiones mere speculativas, nequit tamen negari, nec negatur ab adversariis, quod ipsa simpliciter tendat ad praxim: nec enim logica sistit præcisè in mera contemplatione sui objecti, sed progreditur ulterius ad effectum, & opus, ad quod dirigendo procedit: atqui hoc sufficit, ut scientia simpliciter practica reputetur: ergo logica reputanda est scientia simpliciter practica. Cæterum

Primo, ad objectionem præsentem quidam ex Arriaga *disp. 3. log. a. n. 25.* negât antecedens. Ad cujus probationem negant iterum antecedens, tanquam de subiecto non supponente: quia, inquit, siqua cognitio in logica videtur speculativa, proprie non spectat

ad ipsam logicam. Speculatio enimvero de opere logico jam facto, proprie non est cognitio logicalis, sed experimentalis: siquidem, quanvis logica doceat, quomodo construenda sit recta definitio, divisio, argumentatio; experiri autem deinde, & recognoscere, utrum hic & nunc aliqua definitio, divisio, argumentatio sit conformis his, aut illis logicæ regulis, est cognitio experimentalis, quam viribus, opeque solius ingenii, & luminis naturalis deducit intellectus sanus. Sic, quod fundamenta domus solida debeant supra firmum lapidem collocari, est cognitio & regula architectonica practica; videre autem deinde, an hic & nunc fundamenta hujus domus sint supra firmum lapidem collocata, ad visum pertinet, & ad sensus externos: atque id discernit quilibet, etiam imperitus artis architectonicæ. Hæc illi.

Secundo, alii ex Oviedo, procedunt cum distinctione: vel enim, inquiunt, cognitio operis logici jam facti conducit ad praxim, seu ad opus aliquod conficiendum, vel non. Si primum, est cognitio practica, & ad logicam pertinens: quatenus logica opere suo jam facto utitur, tanquam idea, vel ut errorem declinet deinde in aliis operibus contruendis; vel ut ipsummet opus conservet, ne ve ipsum deserat; aliud oppositum, adeoque non recte artefactum, eligendo. Conservatio autem est quasi factio quædam continuata. Hæc illi.

Sed tertio, contra primos, & secundos est, quia, ex dictis *disp. 3. num. 3.* ut adæquata, & perfecta alicujus rei scientia sit, debet complecti cognitiones, non solum practicas de suo objecto, verum etiam pure speculativas de ejusdem causis, effectibus, proprietatibus: ergo adæquata, & perfecta scientia logica, sicut & quævis alia scientia adæquata, & perfecta, in linea sua, non necessario præscindit, immo necessario non præscindit, id est nequit præscindere ab omni cognitione speculativa.

XVII. Obijcies 9. Ex quodam recentiore cum Cartaneo *diff. 2. quest. 3. n. 14.* si logica habet aliquas cognitiones mere speculativas, dicenda est simpliciter speculativa, etiam si habeat aliquas cognitiones practicas: sed habet aliquas cognitiones mere speculativas: ergo dicenda est simpliciter speculativa. Major probatur: logica, etiam si non habeat omnes cognitiones scientificas, quia tamen habet aliquas tales, dicitur simpliciter scientia: ergo si aliquas habeat speculativas, dicitur absolute speculativa; etiam si non habeat omnes cognitiones speculativas.

Ref.

Respondedo, nego maiorem: ad cuius probationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia, esse scientiam est denominatio positiva: esse speculativam est denominatio negativa. Prima est denominatio positiva, quia idem sonat, ac aliquid demonstrare. Secunda est negativa, quia idem sonat, ac sistere in contemplatione, idest non progredi ad opus. Jam denominatio positiva, verificatur sufficienter ex quovis capite, etiam si non ab omni: at negativa debet verificari ex omni capite, aliter est simpliciter falsa. Sic, ut domus dicatur cum veritate simpliciter illuminata, sufficit si illuminetur per fenestram, licet non per portam; immo, quod per unam fenestram, licet non per alteram: ut autem domus cum veritate dicatur non illuminata, requiritur, quod neque ex hac fenestra, neque aliunde, lucem recipiat: sic etiam, ut Petrus dicatur occidere Paulum, sufficit, quod illum occidat ense, aut veneno; una, aut altera manu, aut utraque: ut autem dicatur illum non occidere, requiritur, quod neque ense, neque veneno, neque una, aut altera manu, nec utraque, neque ullo alio excogitabili modo occidat: cum negatio, ut ajunt, sit malignantis natura.

Obijcies 10. Nequit explicari, quid importet, cognitionem aliquam esse practicam: ergo. Responsio erit

## ARTICULUS VIII.

Quid sit, cognitionem esse practicam; quid, esse speculativam.

**XVIII.** Dico 1. Cognitionem aliquam esse per se, immediate, natura sua practicam, est per se, immediate, natura sua, tendere ad praxim, ut patet ex ipso nomine. Tendere autem ad praxim, modo praedicto, est, cognitionem aliquam esse talem per se, immediate, natura sua, ut, ex vi illius, objectum ejusdem, per se, immediate, natura sua fieri possit ab ipsomet cognoscente, qua tali, alioqui capaci, & non impedito. Hinc, e converso, cognitio mere speculativa dicitur illa, quae non ita se habet, sed sistit in mera contemplatione sui objecti. Unde vulgo lepide dici solet, cognitio practica Martham imitari: pure speculativa cognitio, Magdalenam. Assertio probatur, & explicatur, quia ex una parte tradita

cognitionis practicæ definitio, per quam a pure speculativa discernitur, ita competit omni, solique definito, ut nullo contra leges bonæ definitionis vitio laboret: ex altera parte salvat omnia, quæ salvanda sunt in subjecta materia, quæque per definitiones ab hac diversas non salvantur commodius, aut æque commode: ergo videtur amplectenda: Vel assignetur, quoniam vitio laboret, aut quid non salvet: aut quoniam alio modo diverso debeat cognitio practica definiri. Et sane

XIX. Dico 2. Salvandum est primo, non posse eandem numero cognitionem, respectu ejusdem objecti, ejusdemque cognoscentis, & in iisdem circumstantiis, esse simul practicam, simul speculativam. Sicut nequit idem, secundum idem, respectu ejusdem, & in iisdem penitus circumstantiis, esse operativum simul, & simul non operativum, ut patet ex ipsis terminis, involventibus contradictionem. Contra vero

Secundo, salvandum est, posse respectu diversorum, seu in diversis circumstantiis. Et a fortiori

Tertio, posse idem omnino objectum esse terminum duarum, vel plurium cognitionum, quarum una, vel aliquæ sint practicæ; alia, vel aliæ sint mere speculativæ.

Atqui hæc commode salvantur per definitionem prædictam cognitionis practicæ, & consequenter per definitionem cognitionis pure speculativæ. Enimvero

Primum salvatur, quia quævis possibilis determinata cognitio exogitabilis, vel sistit hic & nunc, pensatis pensandis, in mera contemplatione sui objecti, vel non: siquidem non datur reale medium inter esse, & non esse; inter sistere, & non sistere: utrumque enim, vel neutrum dari, est manifesta chimæra: si primum, cognitio illa est mere speculativa: si secundum, est practica.

Secundum salvatur, quia non est, quare non possit una, eademque cognitio repræsentare plura objecta, quorum unum ipsa pure speculatur; circa alterum vero ipsamet tendat ad praxim: scilicet repræsentet unum objectum factibile, alterum non factibile: vel unum factibile repræsentet obscure, alterum vero factibile, clare, quantum sufficit, ut quis præterea, reflectens in eadem cognitione, discernat modum efficiendi. Vel quare non possit una eademque cognitio esse tale lumen, ut respectu unius intellectus sit pura contemplatio objecti, quatenus nimirum, hic reflectens

reflectens supra ipsam, solum discernat objectum, modo quodam, ut ita dicam, sterili, & infœcundo: respectu alterius intellectus sit directiva in ordine ad praxim, scilicet quatenus alius intellectus, reflectens supra eandem cognitionem, non solum discernat objectum illud, sed præterea modum efficiendi objectum prædictum: quæ quidem modû cognitio ex suis intrinsecis repræsentet semper, quantum est ex se; licet non repræsentet relate ad omnem intellectum, sed relate ad magis acutum. Quæ etenim repugnantia, quod idem omnino lumen respectu unius oculi magis agat, quam respectu alterius? primum videlicet oculum illuminet ut duo, secundum vero ut quatuor: vel quare non possit eadem cognitio, de eodem objecto, eundem intellectum, in diversis circumstantiis, magis, vel minus illuminare: adeo nimirum, ut ipse Petrus, v. g. reflectens supra prædictam cognitionem, in ea nunc discernat solum objectum, v. g. horologium: nunc vero in eadem plus discernat, scilicet modum præterea, quo horologii machina construatur: adeoque, quod eadem cognitio, de eodem objecto, respectu ejusdem cognoscentis, modo sit practica, modo pure speculativa. Dummodo tamen nec cognitio variet objectum suum, quod ex suis intrinsecis ipsa, quantum est ex se, semper, & invariabiliter repræsentat: nec ipsamet, aut alia cognitio, reflectens supra ipsam, ullo modo præscindat ex parte objecti, sed solum ex parte actus: cum implicet præcisio objectiva, & (stantibus principiis communibus) implicet, cognitionem transire de repræsentativa unius objecti in repræsentativam alterius; ut videbitur loco suo. Tertium salvatur, ex dictis.

XX. Dico 3. Ad nostræ definitionis meliorem intelligentiam: dicitur cognitio practica primo, *ex vi cujus*; & ratio a priori est, quia, cognitionem esse practicam, est esse operativam: esse operativam in ordine ad aliquem effectum, est posse influere in illum, seu physice eum producendo, sive moraliter, scilicet illuminando, & dirigendo agens intellectuale ad illum effectum physice producendum: atqui cognitio practica, præcisè ut cognitio, non influit physice in illum effectum, seu opus, seu actum, ad quem ponendum dirigit agens intellectivum: quia, ut sæpe dictum est, huiusmodi influxus physicus omnino gratis admitteretur, juxta ea, quæ alibi dicuntur: ergo influit solum moraliter, scilicet solummodo directive: sed nequit explicari, quid sit hoc influere directive, hoc dirigere, nisi, quod cognitio illa

præ-



præluceat agenti intellectivo, & præterea quod agens intellectivum operetur ex vi luminis, quod ei præbet talis cognitio. Enimvero potest aliqua cognitio, etiam alioqui practica, præluceat intellectui, sicut & aliquod motivum præluceat intellectui, aut etiam voluntati; & nihilominus non movere intellectum, aut voluntatem: puta potest intellectus, prælucentibus pluribus cognitionibus, alioquin operativis, operari ex vi unius, & non ex vi alterius: sicut potest voluntas, prælucentibus pluribus motivis, alioqui sufficientibus, operari ex vi unius, & non ex vi alterius: ergo cognitionem esse hic & nunc practicam, non esse talem, ut, *ex vi ipsius*, modo præexplicato, possit agens intellectivum operari, quantum est præcise ex vi luminis ad agendum prærequisiti. Huc reducuntur, quæ dicta sunt in theologia, ubi probavimus, scientiam mediam non posse esse practicam, nisi Deus operetur ex vi illius: non posse intelligi, Deum operari ex vi scientiæ mediæ, nisi intelligatur ponere hoc medium, quia prævisum congruum ad Dei finem, aut quasi finem. Nam, præscindendo ab hoc, *quia*, præscinditur a causali, & causalitate. Hinc in subjecta materia (in qua Th., ex vi, ut notat Augustinus Spino in *log. cap. 1. a n. 7.* difficile est explicatu) dico, operationem intellectus, puta definitionem, divisionem, argumentationem, fieri ex vi regularum logicarum, nequit commodius, aut æque commode aliter salvari, nisi per modum quandam tendendi causalem, quam, diversum a non causali, hic & nunc experitur agens intellectivum, dum dependenter ab regulis logicæ ponit operationem intellectus. Est ita quidem, ut quando non libere, sed necessario operatio illa, etiam ex suppositione, quod libere eliciatur, dependet a regulis logicæ; tunc modus ille tendendi causalis se teneat ex parte cognitionis: quando vero, non solum entitas operationis, quoad esse simpliciter, sed etiam quoad esse secundum quid, scilicet quoad dependentiam a regulis logicæ, est libera eidem agenti; tunc modus ille tendendi causalis se teneat ex parte volitionis, quæ agens determinat ad libere ponendam operationem intellectus, dependenter a regulis logicæ. Ratio est, quia in primo casu, cum non adsit quoad hoc libertas, necesse est ponere tendentiam illam in ipso actu intellectuali. In secundo casu, cum adsit exercitium formale libertatis, quo voluntas libere se determinat ad operationem intellectualem ponendam dependenter a regulis logicæ, præstat

*Ans. Forti.*

pone-

ponere tendentiam illam in ipso met exercitio voluntatis, & relinquere entitatem exercitii intellectus in sua indifferentia, ad hoc, ut ponatur dependenter a regulis logicalibus, vel independenter ab illis: dicendo, quod non sit implicans poni indifferenter; vel dependenter a regulis logicæ, vel independenter ab illis: cum non sint ponendæ connexiones essentialia sine necessitate, juxta nostra principia, alibi sæpe ac sæpius agitata, & explicanda.

XXI. Nec sufficit mera connexio ad salvandam causalitatem actus a motivo, vel lumine: quatenus nimirum actus sit talis, ut, nisi motivum, aut lumen illud affulserit, non fuisset. Quandoquidem, quod spectat ad actum voluntatis, potest quidem ille, connecti cum aliquo objecto potente alioqui movere, nec tamen actu movente agens intellectivum ad illum actum voluntatis, quem elicit hic & nunc: unde sustinet communiter morales theologi, quod, si quis posuerit suasionem, aut aliam similem causam moralem, sufficientem ad homicidium Pauli, a Petro perpetrandum, cognoscat tamen Petrum non inde motum fuisse ad homicidium illud, sed aliunde; non incurrit pœnas, illi homicidio connexas: cum re vera in illud minime influxerit: eo quia, homicidium non fuerit perpetratum ex vi suæ suasionis, alioqui ab homicida cognita, & alioqui ad movendum sufficientis. Quod spectat ad actum intellectus; nec videtur implicare, quod ille, connectatur quidem cum apparentia alicujus regulæ, potentis alioqui dirigere intellectum ad illum actum; nec tamen agens intellectivum actu dirigatur ab illa regula, sed vel ab alia, vel a solo lumine naturali. Nec enim valet illatio in universum: hic actus non existeret, nisi præluceret tale objectum, alioqui potens movere; aut nisi præluceret talis regula, alioqui potens dirigere agens intellectivum: ergo hic actus connectitur cum tali objecto, vel tali regula: ergo agens movetur a tali objecto, dirigitur a tali regula in ordine ad hunc actum efficiendum. Nam respondetur, distingo primum consequens: ergo hic actus connectitur cum tali objecto, cum tali regula, mere concomitanter concedo; causaliter, nego primam, & secundam consequentiam. Neque enim implicat connexio cum aliquo, mere tanquam cum concomitante, adeoque connexio, quæ non sit tanquam cum sui causa physica, aut morali, juxta ea, quæ dicuntur in physicis: ergo hoc, quod est præcisè, unum connecti cum alio, quoad existendum, non est unum causari ab alio: ergo & in casu nostro.

*Phil. Neg. Log.*

A a

Ex

Ex dictis patet, ad cognitionem, prædicto modo practicam, non sufficere, præcise quod objectum sit operabile cognoscenti, ut putare visus est Algazel; sed requiri insuper, ut sit operabile ex vi talis cognitionis. Nam v. g. cognitio de propria nutritione non reputatur prædicto modo practica; quia nutritio non est proximè operabilis, ex vi cognitionis, scilicet nutritio non est capax proximæ directionis a cognitione ipsius, qui nutritur: ergo poterit cognitio speculativa versari circa objectum, factibile quidem a cognoscente, sed factibile aliunde, vel independentè ab omni cognitione, vel saltem ex vi alterius cognitionis, quæ sit practica.

XXII. Secundo, dicitur, *eius objectum*: quia, si cognoscentis possit ex vi unius cognitionis, efficere objectum alterius cognitionis; non ideo cognitio quoad suum objectum practica reputabitur. Hinc primo, non reputatur practica, quoad Deum, in Beatis visio intuitiva Dei, etiam si ex vi illius producatur a Beatis amor Dei, quia non producitur ipse Deus. Secundo, nec reputatur practica cognitio poenæ, puta quoad ipsam poenam: quia, licet ex vi illius ponatur a cognoscente fuga delicti, aut dolor culpæ præteritæ; non tamen producitur ipsa poena. Tercio, nec cognitio est formaliter practica, respectu alicuius operis non præcogniti, sed quod accidit præter intentionem: ut cum pictor ille, intendens projicere colores, dicitur spumam canis, aut equi fortuito, & per accidens expressisse.

Tercio, dicitur, *per se*, tum propter prædicta, tum quia cognitio, quam habet Petrus, v. g. de motu cæli, non est ex natura sua practica, & directiva: quanvis possit per accidens Petrus, ex vi illius, ponere motum cæli, nimirum, si Deus eidem Petro tantam virtutem, ut potest, miraculose communicaret.

Quarto, dicitur, *immediate*, quia non sufficit ad cognitionem practicam, ut ex illa sequi possit opus quomodocunque, ut putare videtur Scotus: aliter omnis fere cognitio de objecto factibili a cognoscente, esset practica; cum fere nulla sit, quæ indirecte, & remote non dirigat ad effectum sui objecti, si factibile est cognoscenti; quatenus parit ejusdem objecti amorem, si est bonum; vel odium, si est malum; & consequenter ad ejusdem sui objecti effectum, aut fugam allicit cognoscentem.

Quinto, dicitur, *ab ipso cognoscente*, quia cognitio dicitur practica quoad illum, qui, eam respiciendo, ex vi ipsius, dirigatur

tur ad operandum modo prædicto: nec cognitio de objecto factibili a sua causa, saltem increata, summoque artifice, est nobis propterea practica, id est practica relate ad nos, sed relate ad ipsum. Quandoquidem, in universum, denominationes tum physicae, tum morales, sunt respectivæ: utque potest aliquod esse physice bonum uni, non bonum alteri; ita & moraliter: ergo & in subiecta materia poterit aliqua cognitio esse practica uni, non alteri: sicut potest unum, idemque lumen esse sufficiens uni visivæ potentia, at non alteri: & cum his consonant, quæ dicta sunt de probabili in theologia, ubi de moralitate actuum humanorum.

Sexto, dicitur, *qua tali*, quod nimirum sufficit ad cognitionem practica, ut, quantum est ex parte intellectus, seu cognitionis de objecto, nihil desit, quin artifex illud ponat juxta perfectam mentis ideam, licet possit aliunde impediri ex difficultatibus alio procedentibus, quin illud omnino idem objectum, saltem quoad modum, & ideam perfectissimam, quam habebat in mente, extrinsecus operando construat. Ut passim occurrere solet in artificibus, respicientibus exemplar, qui ponunt quidem, objectum mente præfixum, quoad substantiam; licet regulariter ideam, & prototypum, quod habent præ oculis, aut in mente, ad unguem non exequantur. Quidquid in contrarium docere videatur Arriaga, & Comptonus. Ideoque addidi tandem, *alioqui capaci, & non impedito*.

## ARTICULUS IX.

Solvuntur objectiones.

XXIII. **O**bjicies 1. Contra primam assertionem ex Giatino, & aliis *quest. 2. log. art. 2.* Ad cognitionem practica, requiritur præterea modus quidam tendendi, signate præceptivus, exprimendus per participiale, aut gerundivum, aut simili modo: ergo tradita definitio cognitionis practicae est manca. Antecedens probatur: quia, nisi habeatur hic modus tendendi, signate præceptivus, operans non cognoscit convenientiam, & debitum naturæ rationalis; ut, si velit recte operari hic & nunc, conveniens sibi sit ponere talem, vel talem modum operandi; adeoque, nisi cognitio id ostendat signate, naturæ rationalis non est ultimo completa ad artificiose operandum, si velit: ergo requiritur modus tendendi, signate præceptivus.

A 2

Ref-

Respondeo , nego antecedens . Ad ejus probationem negotium antecedens . Siquidem , ut natura rationalis sit ultimo completa, per cognitionem practicam, ad operandum artificiose , si velit , neque aliunde impediatur ; sufficit , quod cognitio exercite repræsentet modum , seu convenientiam , seu medium , quo sibi operandum sit , si velit recte operari : non autem præterea requiritur , quod signate , & veluti reflexe id exprimat per participiale , aut gerundivum , aut simili modo : quia , per hoc præcise , quod quis sciat, objectum aliquod ita recte fieri , evidens illi est , ita sibi conveniens esse , ut illud operetur , si velit recte operari : ut patet in Deo , in quo est prædicto modo scientia practica, quoad creaturas producibiles, etiam sine tali modo tendendi , quem adverfarii contendunt , signate præceptivo . Hinc si fortasse quis nesciat , qua via ad maris ripam eundum sit ; æque illum interrogantem , qua via eatur , diriget , qui dicat , dextera itur ; ac qui dicat , eundum tibi est via dextera , vel , debes ire ; vel , via dextera tibi petenda est .

XXIV. Obijcies 2. Contra eandem assertionem : cognitio artis , seu scientiæ practicæ , debet repræsentare modum , quo res fiat ; & præterea debet signate repræsentare rationabiliter fieri , si adhibeatur talis modus , posito , quod quis velit operari : ergo requiritur modus tendendi , signate præceptivus .

Respondeo , nego secundam partem antecedentis : quia minus cognitionis practicæ adæquatum artificialiter dirigendi, satis perficitur , si repræsentet exercite , quomodo res recte fiat ; adeoque convenientiam dicto modo operandi , si quis recte operari velit . Sic , cognita bonitate morali actus humani , exercite cognoscitur convenientia , & necessitas conditionata illum actum amplectendi , ex suppositione quod velit quis honeste agere : nec opus est , ut per discursum signate , & reflexe quis impellatur ad ita operandū , hoc , vel simili modo , formaliter , & expresse syllogizando : amplectendum mihi est bonum honestum mihi , si velim recte , moraliter operari : sed hic actus est mihi bonum honestum hic & nunc : ergo hic actus amplectendus est mihi , si velim recte operari hic & nunc .

Obijcies 3. Contra eandem assertionem : si quis haberet notitiam , quod ad eliciendum ignem , requiratur *sillex* , & *calybs* . & adhuc nesciret , quod , si velit ignem elicere , talis modus operandi esset ipsi conveniens , aut necessarius ; ista cognitio non dicere-

ceretur adæquatum, & bonum præceptum, seu bona regula : ergo, ut sit tale, requiritur modus tendendi, signate præceptivus : ergo, ut sit cognitio practica, modus tendendi signate præceptivus requiritur.

Respondeo, nego antecedens, ut implicans in adjecto: quandoquidem cuique evidens est, quod, si velit finem, necesse sibi sit adhibere medium aptum, & requisitum ad talem finem hic & nunc : ergo, si cognoscat, quod flix, & calybs sint medium aptum, hic & nunc requisitum ad ignem eliciendum ; evidens eisdem erit, quod conveniens sibi sit, hæc adhibere ad ignem eliciendum.

Cæterum dico ad id, quod additur de regula, seu præcepto, ne quæstio fortasse fiat de vocabulo, huiusmodi cognitionem, alioqui practicam, fore præceptum exercite, quanvis non signate ; quatenus nimirum exercite, regeret, dirigeret, edoceret intellectum, indicans ei modum efficiendi : adeoque esset regula, & documentum, agenti intellectuali traditum, in ordine ad recte aliquid agendum hic & nunc : quod vocamus, intellectuale præceptum materialiter, & exercite, licet non esset tale formaliter, & signate, quatenus non haberet formaliter modum. præceptivum, seu imperativum.

XXV. Obijcies 4. Contra eandem assertionem cum Capreolo, Soto, & aliis apud Suarez *disp.* 44. *metaph.* praxis dicitur alterius potentia ab intellectu : ergo nostra explicatio in universum non subsistit : quia competit etiam cognitioni dirigenti naturam rationalem, quo ad aliam cognitionem, per intellectum eliciendam.

Respondeo, nego antecedens : vel distingo : cumulative, concedo ; privative, nego antecedens, & consequentiam. Et ad hujus probationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Nam, licet sit cognitio practica, quæ prædicto modo, dirigit alias potentias, & voluntatem ad recte agendum in linea sua ; cur non etiam, quæ dirigit intellectum in ordine ad recte definiendum, dividendum, argumentandum ?

XXVI. Obijcies 5. Contra eandem assertionem : ad cognitionem practicam, vel requiritur in cognoscente libertas contradictionis ad operandum recte, aut ad non operandum recte ; vel requiritur libertas contrarietatis, scilicet ad operandum recte, aut ad operandum inrecte ; vel non requiritur

ritur hujusmodi libertas. Neutrum dici potest: ergo non bene a nobis definitur cognitio practica.

Respondeo, nego minorem: & dico contra Fonssecam, non requiri ullam libertatem, sed sufficere, ut notat Molina, quod voluntas ex directione intellectus moveatur ad operandum, sive de cætero ex vi talis cognitionis practicae objectum ponatur libere, sive ponatur necessario: adeoque, etiamsi operans, ex vi suæ cognitionis, sit metaphysice, nedum physice, aut moraliter, necessitatus ad non errandum, sed ad recte operandum conditionate, puta si velit operari: vel etiamsi sit absolute necessitatus ad ponendum objectum, ex vi cognitionis de eodem. Unde Deus, in communi sententia theologorum, dicitur artifex perfectissimus, quanvis a sua sibi identificata scientia, & præscientia directrice, ita in ordine ad operandum illuminetur ad intra, ut metaphysice necessitetur ad recte operandum, si libere velit agere, ad extra, suam omnipotentiam exercendo.

Obijcies 6. Contra secundam assertionem: saltem, si ad cognitionem practica[m] requiratur modus tendendi signate præceptivus, posset eadem cognitio respectu ejusdem objecti. & cognoscantis, & in iisdem circumstantiis, esse practica simul, & speculativa: ergo, &c. Antecedens probatur: cognitio, quæ indivisibiliter exprimeret: *talis fulex, & calybs hoc modo producit ignem, & præterea ita tibi ignis est excitandus*; esset simul practica, & speculativa respectu ejusdem: ergo &c.

Respondeo, nego antecedens, ejusque probationem: quia hujusmodi cognitio, cum non sisteret in mera contemplatione sui objecti, ut patet, esset absolute practica, & non pure speculativa; licet esset practica ex uno capite, non ex altero, scilicet quatenus præceptiva, non præcise quatenus considerativa, aut repræsentativa. Sic non potest dici, quod homo sit rationalis, & non rationalis; quanvis sit rationalis ex uno capite, & non ex alio, scilicet, quia est principium discurrendi, non vero quia est principium sentiendi.

## ARTICULUS X.

An logica ad alias scientias acquirendas  
sit necessaria ..

XXVII. **D**ico 1. Logica naturalis est simpliciter necessaria ad scientias acquirendas . Probatur : lumen naturale , seu capacitas ad acquirendas scientias , est ad illas simpliciter necessarium : sed logica naturalis est ipsum lumen naturale , seu capacitas ad acquirendas scientias : ergo logica naturalis est simpliciter necessaria ad scientias acquirendas . Major patet , quia capacitas subjecti est simpliciter necessaria ad aliquam formam , seu quasi formam recipiendam . Minor est explicatio terminorum , nisi quæstio sit de pura voce .

Dico 2. Logica artificialis non est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas . Est sententia communis , ex Aristotele , D. Thoma , Scoto , Conimbricensibus , Fonseca , Arriaga , Oviedo , Polizio , & recentioribus passim , contra nonnullos .

Probatur , quia acquiri alias scientias independenter a logica artificiali , non est chimera : ergo logica artificialis non est simpliciter necessaria ad scientias acquirendas . Antecedens probatur : acquiri scientias est , inferri quasdam conclusiones ex præmissis certis , & evidentibus : atqui inferri quasdam conclusiones ex præmissis certis , & evidentibus , independenter a logica artificiali , non est chimera : ergo acquiri alias scientias independenter a logica artificiali , non est chimera : quia nulla in hoc est assignabilis repugnantia specialis : immo videmus quandoque rusticos , solo lumine naturæ adjutos , deducere conclusiones ex præmissis certis , & evidentibus . Et sane lumine naturæ patet principium illud : quæ sunt realiter eadem unitertio , sunt eadem inter se : & rusticus scire aliquid potest , sui que sciti rationem , agnoscere , sine ulla prorsus formidine oppositi : adeoque potest independenter ab arte logica recte syllogizare .

XXVIII. Dico 3. Logica artificialis est necessaria secundum quid ad scientias acquirendas . Dixi , secundum quid , id est , ad illas facilius , brevius , securius , id est longe procul ab errorum , periculo comparandas . Probatur , quia sine logica artificiali , non nisi difficile , nec sine magno errandi periculo , attenta præsertim brevitate vitæ humanæ , acquiri possunt scientiæ , ut patet .



tet in rusticis: contra vero logicæ artificialis præcepta non exigam præbent facilitatem ad syllogismos, etiam demonstrativos, recte, & infallibiliter construendos; necnon ad fallacias detegendas: ergo logica artificialis, ne dum valde utilis est ad scientias acquirendas: verum etiam, secundum quid, idest ad eas facilius, brevius, securius acquirendas, est necessaria.

## A R T I C U L U S X I.

Solvuntur objectiones.

XXIX. **O**bjicies 1. Aristoteles 4. *metaph. test. 8.* ait: *oportet, ut instructi a dialectica ad philosophiam accedant*: ergo logica artificialis est simpliciter necessaria ad scientias acquirendas.

Respondeo, distinguo antecedens: oportet ex congruentia, concedo: ex necessitate, subdistinguo: ex necessitate secundum quid, concedo: ex necessitate absoluta, nego antecedens, & consequentiam.

Objicies 2. Ex Boetio ad topicam Ciceronis *lib. 1.* *nisi logica præcesserit, saepe in multos necesse est labamur errores*: ergo logica artificialis est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas.

Respondeo, nego consequentiam: hoc enim sæpe, non semper, adeoque non necessario, contingit. Unde infertur quidem, logicam esse valde utilem, non autem simpliciter necessariam ad alias scientias comparandas: & quanvis logica vulgo difficilima reputetur, non tamen est contra ordinem rationis, illam primo loco adolescentes edocere: quando enim dicitur, a facilioribus inchoandum, intelligitur, ubi cætera sint paria, neque habeatur motivum speciale, ut habetur in casu nostro, exordiendi videlicet philosophiæ disciplinam a logica, quæ docet modum recte definiendi, dividendi, & argumentandi: unde scientiarum janua, & organum merito nuncupatur.

Objicies 3. Est moraliter impossibile, quod sine artificiali logica, scientiam ullam, præsertim perfectæ, & in tota sua latitudine, quis acquirat: ecquis enim unquam sine logica artificiali scientiam ullam perfecte adeptus asserri potest? ergo logica artificialis est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas.

Respondeo, nego consequentiam. Antecedens ad summum probat, logicam artificialem esse moraliter necessariam ad scientias

*Ant. Forti.*

tias perfecte acquirendas. Cæterum cum morali impotentia, stare potest in intellectu, regulis logicæ destituito, potentia physica ad scientias sibi comparandas: ut stare potest in voluntate libertas physica ad resistendum alicui tentationi, cum morali impossibilitate eidem resistendi, juxta ea, quæ pluribus in locis alibi dicta sunt, præsertim in theologia. Enimvero magna difficultas in ordine ad aliquod, dicitur moralis impossibilitas: atqui potest cum morali impossibilitate componi potentia physica ad aliquod: quis enim neget posse hominem physice operari aliquod etiam valde arduum, & difficile? ergo stat hoc, quod intellectus sine logica artificiali possit simpliciter, licet valde difficile, sibi scientias comparare. Sed totum hoc importat, logicam, quanvis non sit simpliciter necessaria, esse tamen necessariam secundum quid ad scientias comparandas, quippe ad scientias facile, vel sine magna difficultate comparandas: ergo logica artificialis, licet non sit necessaria simpliciter, est tamen necessaria secundum quid, ad alias scientias acquirendas.

## A R T I C U L U S XII.

### Analysis prædictorum in argumenta negativa.

XXX. **D**ico 1. Rationes nostræ, quibus in hac *disp.* 4. probare conati sumus, logicam esse artem, virtutem, scientiam, absolute, & simpliciter practicam nuncupandam; eo funditus reducuntur. Sunt aliæ artes, virtutes, scientiæ, absolute, & simpliciter practicæ nuncupatæ, & ab ipsismet adversariis ultro concessæ: ergo & hujusmodi est facultas logica: quia, non est assignabilis potior ratio, quare illæ omnes sint hujusmodi, logica vero non item: cum non appareat, quid reliquæ meriti habeant, ut tales reputentur, quod desit logicæ, ne in artium, virtutum, scientiarum, absolute, & simpliciter practicarum albo recenseatur. Et præsertim, ad hominem, contra eos, qui affirmant, logicam esse simpliciter scientiam, & negant, esse simpliciter practicam, ita arguimus: non est assignabilis dispar ratio, quare logica sit simpliciter scientia, quanvis aliquas habeat cognitiones mere opinativas; & nō sit simpliciter practica, quanvis aliquas habeat cognitiones mere speculativas.

*Phil. Neg. Log.*

B b

Dico

Dico 2. Rationes adversariorum contra prædictas nostras assertiones, eo tandem reducuntur: non sunt ponendæ perfectiones, seu prædicata sine necessitate, & motivo sufficiente: sed nulla est assignabilis necessitas, nullum motivum sufficiens, ponendi in logica perfectionem, seu prædicatum artis, virtutis, scientiæ, absolute, & simpliciter practicæ: ergo logica non est ars, non virtus, non scientia, absolute, & simpliciter practica nuncupanda. Et præsertim contra ultimam partem: quia non est assignabilis, idest non apparet, major ratio, quare logica sit dicenda simpliciter scientia, per hoc, quod aliquas habeat cognitiones scientificas: quanvis alias etiam habeat pure opinativas; & nō sit dicenda simpliciter speculativa per hoc, quod habeat aliquas cognitiones pure speculativas, quanvis alias etiam habeat practicas.

XXXI. Dico 3. Rationes nostræ, quibus in hac eadem disputatione probavimus, primo, logicam naturalem esse simpliciter necessariam ad alias scientias acquirendas: secundo, logicam artificialem non esse simpliciter necessariam; nihilominus tertio, hanc necessariam esse secundum quid; eo resolvuntur. Quoad primum, quia nequit assignari, quo modo reliquæ scientiæ, sine logica naturali, idest sine naturali capacitate, & lumine acquiri possint. Quoad secundum, quia non est assignabilis repugnantia, cur independenter ab artificiali logicæ disciplina, reliquæ scientiæ acquiri nequeant. Quoad tertium, quia non est assignabilis experientia, aut modus, quo possit homo, sibi relictus, facile passim secure, independenter ab arte logica, reliquas sibi scientias, citra multiplicis erroris periculum, comparare.

XXXII. Dico 4. Adversarii contra nostras hæc conclusiones arguunt hoc, aut simili modo. Quoad primam partem: non implicat, idest non apparet repugnans, quod homo, etiam sine logica naturali, reliquas sibi scientias adipiscatur: ergo logica, etiam naturalis, non est ad id absolute, & simpliciter necessaria. Quoad secundam partem: non est assignabilis dispar ratio, quare homo nō habeat virtutem adipiscendi cæteras scientias simpliciter, absque logica naturali, habeat tamen virtutem easdem sibi simpliciter comparandi absque logica artificiali: ergo, si prima est ad id simpliciter necessaria; & secunda: vel, si non secunda; nec prima. Quoad tertiam partem, quia non est assignabilis dispar ratio, quare humano intellectui concedatur virtus acquirendi simpliciter cæteras scientias absque directione logi-

logicæ artificialis, & eidem denegetur virtus eas acquirendi facile passim infallibiliter, ope laboris, ac studii, mereque adhibito ingenio, alioqui eximio, ac lumine naturali: ergo vel utrumque sine logica artificiali potest homo, vel neutrum potest.

*Corollarium.*

Sed prædicta omnia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. Ergo in hac disputatione quarta de præcipuis proprietatibus logicæ, tandem aliquando tam nos, quam adversarii, argumentati sumus Negative.

LOGICÆ PARS TERTIA.

*De Logica penes objectum suum in Genere.*

DISPUTATIO V.

*De objecto logicæ in genere.*

*Primo, de objecto materiali, & formali. Secundo, de objecto attributionis, & attributi.*

*Tertio, aliorum sententiæ referuntur, & impugnantur.*

ARTICULUS I.

Quodnam sit objectum materiale, & formale logicæ.

1. **D**ico 1. Quoniam recentiores disputationem de objecto logicæ adeo difficultatibus, quæ Tyronum captum, longe superant, obfuscant, ut hac tempestate, non sine trito præci anagrammatis omine, *logica* vere *caligo* evaserit; ne fortasse controversiæ progressu disceptemus de nomine, ut multi faciunt, neve in æquivocis laboremus; præmittendam censeo explicationem status quæstionis.

Jam primo, dum quærimus, quodnam sit objectum logicæ, non est status quæstionis de logica, ut speculativa, adeoque non de  
B b 2 logicæ

logica secundum omnem sui partem, & in tota sua latitudine: siquidem, ut dictum est disputatione tertia, logica adæquata, & perfecta, secundum aliquam sui partem, dicitur cognitiones quasdam pure speculativas de rebus pertinentibus ad secundam operationem intellectus, qua talibus: & certum est, objectum talium cognitionum esse res ipsas, quas logica speculatur, utpote quæ dictis cognitionibus obijciuntur, & exprimuntur, quæcunque sint illæ res. Hujusmodi autem cognitiones sunt logica actualis inadæquata, scilicet sunt pars logicæ, sumptæ in tota sua latitudine. Secundo, non est status quæstionis de objecto mediato, remoto, per accidens, secundario, utque ajunt, sine extrinseco. Sed

Tertio status quæstionis est de objecto immediato, proximo, per se, primario, & sine intrinseco logicæ qui termini omnes disputationis cursu explicandi erunt. Quarto status quæstionis est de logica, ut practica, scilicet secundum illam partem, unde absolute, & simpliciter practica nuncupatur. Et quidem, Quinto status quæstionis est de logica actuali, non de logica habituali: nam certum est, objectum immediatum logicæ habitualis practicæ, ut practicæ, esse ejus actus, quippe ad quos elicendos ipsa per se inclinatur: quod de quovis alio habitu intelligendum. His consonant, quæ de objectis virtutum dicta sunt in theol. præsertim lib. 3. de Fide lib. 4. de Justitia lib. 6. de objecto intentionis ministri conscientis Sacramentum, & lib. 7. de Penitentia. Sexto status quæstionis est, quod nam sit objectum immediatum, proximum, primarium, & per se, illarum cognitionum practicarum, scilicet illarum regularum, seu præceptorum, quæ logicam actualem absolute, & simpliciter practica, idest operativam constituunt: quinam videlicet sit effectus, seu opus logicum immediatum, & proximum, quod absolute, & simpliciter, sine addito, anatomicè vocetur objectum logicæ. Quibus præmissis.

II. Dico 2. Objectum materiale, & formale proximum logicæ est sola secunda operatio intellectus, recta rectitudine passiva, idest conformis regulis ipsius logicæ, quæ & ipsa dicuntur recte rectitudinis activa.

Priusquam probetur assertio, pro terminorum explanatione, notandum est, tres esse operationes nostri intellectus: prima operatio dicitur apprehensio: secunda judicium: tertia discursus.

fus. Apprehensio est veluti quædam visio ocularis, seu obtutus quidam, qua mere concipitur objectum, quin aliquid de illo enuncietur affirmando, vel negando: v. g. concipio solem, absque eo, quod enunciem, illum esse, vel non esse supra horizontem. Jam, si objectum, quod apprehenditur, unum, ac simplex est; dicitur apprehensio incomplexa: ut cum apprehenditur angelus, aut homo ad modum unius: si vero objectum, quod apprehenditur, multiplex est, & compositum; apprehensio complexa: v. g. cum apprehenduntur plura simul, non ad modum unius, v. g. & Deus, & homo, & lapis, & arbor. Judicium est, quo aliquid de aliquo enunciat, sive affirmando, sive negando: v. g. paries est albus, paries non est albus: & hoc regulariter in nobis præsupponit apprehensionem. Discursus, qui & illatio appellatur, conclusio, & consequentia, est iudicium illatum ex alio, v. g. ex eo, quia sol est in horizonte, inferitur: ergo dies est. Et quidem hæc tertia operatio, qua talis, secundam necessario essentialiter præsupponit. Quibus præexplicatis,

III. Assertio nostra probatur: ex una parte secunda operatio intellectus, recta rectitudine passiva, habet omnia requisita ad objectum immediatum logicæ: ex altera parte, non potest assignari aliud objectum, quod tale sit: ergo sola operatio intellectus, recta rectitudine passiva, est objectum logicæ immediatum. Prima pars antecedentis probatur, quia nequit assignari requisitum, quod secundæ operationi desit, ne ipsa fungatur munere huiusmodi objecti. Secunda pars probatur etiam, quia nequit assignari aliud, in quo commodius, aut æque commode talia requisita reperiantur. Prima pars, solutione objectionum; secunda, pars, impugnatione aliarum sententiarum, satis constabit. Nihilominus,

Dico 3. Probando ulterius primam partem antecedentis prædicti: secunda operatio intellectus, recta rectitudine passiva, habet omnia requisita ad objectum logicæ immediatum; quia logica, per duæ præcepta, secundam intellectus operationem rectam, immediate faciendam præscribit: agit enim de definitione, divisione, & præmissis syllogismi recti, quæ sunt secundæ operationes intellectus. Immo omnes fere adversarii, qui contra nos sustinent, vel voces, vel res, vel intellectum, vel aliquid aliud esse objectum materiale proximum logicæ, ultra concedunt, secundam operationem intellectus, rectam, esse logicæ objectum formale, pro-

proximum : adeoque logicam de huiusmodi operatione intellectus agere per se, immediate, & primario in suis præceptis.

Dico 4. Probando ulterius secundam partem anteoedentis prædicti principalis : sola secunda operatio intellectus, recta rectitudine passiva, habet omnia requisita ad objectum logicæ; quia logica invenit in illa sufficienter rationem objecti materialis, & formalis : ergo invenit jam objectum totale : nec est, cur ejus objectum ultra extendatur. Antecedens probatur : in operatione recta habentur duo prædicata, operatio scilicet, & rectitudo : atqui operatio habere commode potest rationem objecti materialis, rectitudo objecti formalis : ergo, in operatione recta, logica invenit sufficienter rationem objecti materialis, & formalis. Hæc minor probatur : logica agit de operatione intellectus, quatenus est instrumentum aptum veritatis assequendæ, quod ipsa præscribit per suas regulas faciendum : unde logica dicitur, *facultas instrumentalis*, atque organum scientiarum, & veritatis : atqui operatio intellectus est aptum instrumentum veritatis, quatenus recta : ergo logica agit de operatione, quatenus recta : adeoque attingit immediate rectitudinem ratione sui ; operationem immediate, sed ratione ipsius rectitudinis, quæ operationem, instrumentum veritatis a logica intentum constituit. Jam subsumo : Sed in facultatibus, quod immediate attingitur, at ratione alterius, est objectum immediatum, materiale ; quod immediate attingitur, & ratione sui, est objectum immediatum formale : ergo operatio recta habere commode potest rationem objecti materialis, rectitudinem rationem objecti formalis. Minor subsumpta, videtur esse innegabilis, cum sit explicatio terminorum, quæ communiter objectum materiale, & formale discriminantur. Hinc, cum quis amat pharmacum propter sanitatem ; pharmacum, dicitur esse objectum voluntatis immediatum, sed materiale, quia amatur quidem immediate, at ratione alterius, nempe sanitatis : sanitas vero, dicitur objectum immediatum formale, quia amatur, & amatur propter se, non vero ratione alterius. Sic etiam, cum quis assentitur conclusioni propter præmissas, conclusio objectiva, dicitur objectum intellectus complexum, immediatum, sed materiale ; quia affirmatur quidem immediate, at ratione præmissarum : præmissæ vero objectivæ, quales dicuntur objectum complexum immediatum, & formale ; quia affirmantur, aut negantur, propter se. Dixi *complexum*, quia

quia objectum incomplexum appellari solet a philosophis subiectum earundem propositionum.

IV. Dico 5. Hactenus de objecto proximo, immediato, prosecutionis, & per se intento. Dixi, *proximo, & immediato*, quia cætera, quæ secundam operationem rectam comitantur, aut subsequuntur, puta carentia operationis incorrectæ, concretum illud, res recte definita, recte divisa, recte deducta; intellectus recte intelligens, idest recte definiens, recte dividens, recte, syllogizans; veritas præterea, conclusio, & scientia, quæ reperitur in conclusione, & similia, quæ ulterius hæc comitantur, aut subsequuntur; sunt quidem objectum, & finis logicæ, sed objectum mediatum, & remotum, ac finis secundarius, & extrinsecus; ut se habet, respectu frænifactoriæ, recta equitatio, aliique, fines reipublicæ, & prudentiæ equestris: necnon, respectu medicinæ, & medici, lucrum, æstimatio, gaudium, & similia ob ægrotum jam sanum.

Probatur, quia opus, seu objectum facultatis, & potentiæ, inter quod, & ipsam nihil mediat in suo genere, dicitur opus, seu objectum ejusdem immediatum: ergo opus, seu objectum facultatis, & potentiæ, inter quod, & ipsam aliquod mediat in suo genere, dicitur opus, seu objectum ejusdem mediatum: quandoquidem causa causæ est in suo genere causa causati, videlicet mediata: ita, qui producit ignem immediate, dicitur etiam causa mediata effectuum, qui ab igne proficiscuntur: & qui libere ponit exercitium aliquod morale, dicitur mediate, & in causa, ponere moraliter omnem alium effectum, puta sufficienter prævisum, qui ad exercitium illud per se consequitur, sine nova libertate; adeoque sine nova imputabilitate ipsi operanti.

Dico 6. Dixi, *prosecutionis, & per se intento*: non enim negaverim, quod etiam secunda operatio intellectus incorrecta, dici possit logicæ immediatum objectum fugæ, & per accidens: quia, cum oppositorum eadem sit disciplina, logica, describendo operem rectam, quam per se intendit, describit etiam oppositam operationem incorrectam, ut fugiendam.

Dico 7. Dixi, *operationem incorrectam*, non autem chimericam. Est contra recentiores nonnullos apud Arriagam *disp. 2. sect. 2. num. 27.*

Probatur: quia non eodem modo philosophandum, quoad hoc, de operatione impossibili, ac de operatione incorrecta. Enimvero



vero operationem impossibilem logica nō præscribit eliciendam, utpote impossibile; adeoque neque evitandam, ex vi suorum præceptorum, cum supponatur jam aliunde omnino repugnans: sic scientia moralis practica agit quidem immediate de vitiis, & peccatis, ut evitandis, cum sint contraria virtutibus prosequendis: non autem practice agit de vitiis chimericis, quin nec de virtutibus impossibilibus: sicut nec medicina de morbis chimericis, aut de medicamentis impossibilibus. Et sane hujusmodi præcepta absoluta de vitanda re impossibili, ut de assequenda re impossibili, aut etiam de re aliunde necessario, & essentialiter otiosum, aut superfluum in ordine ad suum finem primum, & per se, juxta ea, quæ alibi ex professo dicuntur tum in philosophia, tum etiam in theologia, præsertim *lib. 4. philosoph. ubi de creatura indestruibili, & lib. 3. theol. de fide, ubi de veritate irrevelabili, & incredibili*. Quod si metaphysica agat non solum de ente reali, sed etiam de irreali, id provenit, quia metaphysica est scientia pure speculativa, adeoque non in ordine ad praxim, idest non in ordine ad aliquod opus recte faciendum, & consequenter non in ordine ad irrectum opus evitandum: unde est, ut metaphysica, quo speculetur funditus ens, ut sic, speculetur & ens fictum e diametro oppositum, quod sane est considerabile, licet non sic factibile, nec artificio vitandum.

Dico 8. Non negaverim tamen, operationem chimericam, aliquo modo indirecte, spectare ad logicam, quatenus hæc, præscribendo secundam operationem rectam, ducere per accidens potest in cognitionem & operationum impossibilium: simili quodam modo, ac qui describit verum hominem, & verum aurum, ducere per accidens potest aliquo modo in cognitionem hominis picti, & aurichalci. Hæc de secunda operatione chimerica: siquidem, quid sentiendum de operatione chimerizante, videbitur infra.

V. Dico 9. Quod cujusvis cognitionis practicæ, qua talis, objectum, effectus, opus ejusdem confundantur, adeoque, in subjecta materia, quod objectum logicæ immediatum sit illud opus, quod regulis logicæ immediate faciendum præscribitur, non videtur probatione indigere, explicatis terminis. Siquidem, ut patet ex ipsis terminis, objectum potentix illuminativæ, præcise ut illuminativæ, est id, quod illuminatur ab illa: objectum

*Ant. Forti,*

poten-

potentiæ amativæ, præcise ut amativæ, est id, quod amatur : objectum potentiæ oditivæ, præcise ut oditivæ, est id, quod odio habetur : objectum potentiæ visivæ, præcise ut visivæ, est id, quod videtur : objectum potentiæ, seu potestatis præceptivæ, præcise, ut præceptivæ, id, quod præcipit; obligatoriæ, præcise, ut obligatoriæ, id, ad quod obligat, juxta ea, quæ etiam, alibi dicuntur, præsertim in *theol. lib. 6.* ubi de objecto intentionis ministri conficientis sacramentum, & similibus. Ergo objectum potentiæ factivæ, præcise ut factivæ, est id, quod fit ab ipsa, modo suo : ergo objectum potentiæ, seu actus, seu cognitionis practicæ, præcise, ut practicæ, est id, quod suo modo fit ab ipsa potentia, seu actu, sive cognitione. Igitur, in subjecta materia, objectum logicæ actualis practicæ, ut practicæ, scilicet ut regulativæ, ut præceptivæ, ut directivæ, immediatum, est id, supra quod immediate cadunt regulæ, præcepta, directiones logicæ : sed regulæ, præcepta, directiones logicæ cadunt immediate supra id, quod ab illis, & ex vi illarum, immediate, modo suo, recte faciendum præscribitur : ergo objectum logicæ actualis practicæ, ut practicæ, est id, quod regulis, præceptis, directionibus logicæ immediate præscribitur faciendum. Quod autem regulis logicæ immediate faciendum præscribitur, est sola secunda operatio intellectus recta. Hinc

VI. Dico 10. Quidquid secundam intellectus operationem, rectam, puta rectam definitionem, rectam divisionem, præmissas recte dispositas, absque ullo novo artificio logicali, consequitur vi naturæ ; non est opus immediate logicum, scilicet non est opus immediate artefactum regulis logicæ ; sed solum opus ejus mediatum, quatenus consequitur connaturaliter ex ejusdem logicæ opere immediato ; adeoque logicæ objectum remotum, & mediatum, non tamen proximum, & immediatum dici poterit, ut ex dicendis, præsertim in impugnatione aliarum sententiarum, clarius innotescet.

## A R T I C U L U S II.

Solvuntur objectiones.

VII. **O**bjicies 1. Rectitudo, vel distinguitur realiter ab operatione, vel non : neutrum dici potest : ergo secunda operatio recta non est objectum logicæ immediatum.

*Phil. Neg. Log.*

Cc

Respon-

Respondeo, nego minorem, & dico, rectitudinem adæquate sumptam non identificari cum operatione, sed esse eidem semiextrinsecam. Rectitudo enim adæquate accepta est conformitas operationis cum regula: sed nulla conformitas identificatur adæquate cum uno tantum extremo conformitatis: sicut nulum binarium identificatur adæquate cum una tantum unitate; ergo rectitudo adæquate accepta non identificatur adæquate cum operatione, licet inadæquate importet entitatem ipsius operationis; adeoque inadæquate identificetur cum ipsa rectitudine passiva, secundum id, quod dicit de aptitudine sibi intrinseca ad veritatem, & scientias assequendas. Cæterum, etiamsi rectitudo adæquate identificaretur, aut adæquate distingueretur ab operatione, adhuc esse posset objectum logicæ immediatum supradictum: cum ad hoc materialiter se habeat præcisa identitas, aut distinctio prædicta.

VIII. Obijcies 2. Plures facultates habent objectum materiale realiter adæquate distinctum a formali: ergo & ita dicendum de logica.

Respondeo, distingo antecedens: si probetur necessitas talis distinctionis, concedo: secus, nego antecedens, & consequentiam. Necesse non est, in universum, ut objectum materiale, & formale scientiarum, artium, aut potentiarum realiter distinguantur inter se; sed sufficit, quod distinguantur per intellectum. Sic objectum metaphysicæ communiter reputatur intelligibile, ut ens, ita ut intelligibile sit objectum materiale, & ratio entis objectum formale: objectum physicæ, intelligibile naturale, ita ut intelligibile sit objectum materiale, naturalitas objectum formale: objectum musicæ, sonus rectus, ita ut objectum materiale sit ipse sonus, formale eiusdem speciositas; objectum saltatoriæ, saltus rectus, ita ut ipse saltus sit objectum materiale, rectitudo objectum formale: objectum amoris, quo quis amat Deum propter ejus bonitatem, sit Deus bonus, ita ut objectum materiale sit Deitas, objectum formale bonitas: objectum amoris, quo, quis amat Petrum propter rationalitatem, sit Petrus rationalis, ita ut ipse Petrus sit objectum materiale, rationalitas objectum formale: objectum materiale in quovis syllogismo, objectum conclusionis: objectum formale, objectum præmissarum: objectum volitionis efficacis, qua quis vult aliquid propter aliquam formalitatem identificatam, ita se habeat, ut ejus entitas sit

sit objectum materiale prædicti actus, illa vero formalitas, ratione cuius illam entitatem vult, sit objectum formale.

Igitur, etiamsi rectitudo nullo modo, nemine cogitante, distinguatur ab operatione, adhuc, quantum est præcise ex hoc capite, operatio recta esse posset logica objectum, modo præexplicato.

IX. Obijcies 3. Quælibet ars potest efficere, ut suis regulis ejus opus, idest objectum, transeat de non recto in rectum: atqui logica non potest efficere, ut secunda operatio intellectus, scilicet definitio, divisio, argumentatio, transeat de non recta in rectam: ergo secunda operatio intellectus non est objectum, & opus logicum.

Respondeo, nego majorem: & primo dico: fat est, si ars, sive scientia practica illud suis regulis præstare possit, ut artifex dignoscat opus rectum ab irrecto: atque ita, hoc relicto, possit illud elicere. Neque enim omnis ars est meliorativa, seu perfectiva sui objecti: cum aliquæ sint artes solummodo directivæ, seu præscriptivæ: quæ nimirum non faciunt, ut aliquod opus meliorari possit, aut perfici, per transitum de bono in melius, aut de minus perfecto in perfectius; & a fortiori de malo in bonum: sed duntaxat præscribunt opus rectum: itaque potentiam intellectivam dirigere dicuntur ad tale opus. Hujusmodi sunt, in sententia communi, saltatoria, & musica, quæ docent quidem saltum, sonumque rectum, objective existentem, ab irrecto discernere, ut inde rectus ponatur a parte rei, non irrectus: præstare tamen non possunt, ut saltus, sonusve irrectus natura sua, evadat rectus: hoc enim esset actuum entitatem, adeoque essentiam transmutare.

X. Secundo dico: duplex considerari potest in operatione intellectus rectitudo passiva, etiam specificative accepta, videlicet rectitudo entitatis, & rectitudo combinationis. Prima identificatur cum ipsamet operatione, ut patet. Secunda potest distinguui: nam eadem numero operatio, seu propositio potest nunc uno, nunc altero modo combinari, collocarique in variis efformandis syllogismis. Loquendo de prima rectitudine; implicat, operationem intellectus transire de non recta in rectam, si cut & viceversa: quia variaret essentiam, ut si homo transiret in equum, aut econverso. At, loquendo de secunda rectitudine; potest operatio intellectus transire de non recta in rectam.

C c 2

adeo

adeoque, in hoc sensu accepta rectitudine, potest logica suis præceptis efficere, ut operatio intellectus, ex non recta, evadat recta: cum possit efficere, ut aliqua præmissa, alioqui recta quo ad entitatem, non tamen hic & nunc recte collocata ad syllogismum aliquem intentum construendum; variata præmissarum combinatione, rectificetur: siquidem in huiusmodi transitu non est assignabilis repugnantia: puta in aliquo saltem excogitabili casu, qui, ob specialem aliquam implicantiam, non evincatur esse chimera.

XI. Obijcies 4. Quælibet ars debet esse sufficiens, se sola, ad ponendum suum objectum: sed logica, se sola, non est sufficiens ad ponendam secundam operationem rectam: ergo non respicit illam pro objecto. Minor probatur, logica enim ad definiendum Deum, v. g. indiget theologia: ad definiendum circulum, indiget mathematica: ad dividendum compositum humanum, indiget physica: & sic aliis scientiis, ad quas pertinent materiæ, circa quas debet dividere, definire, syllogizare.

Respondeo, nego maiorem: ars instrumentalis satis est, si describat in genere formam, & qualitatem sui operis, non autem necesse est, ut ipsa talem materiam subministret. Logica præcipit: si vis dividere, divide totum per omnes sui partes, aut quasi partes: si vis definire, id fac per genus, & differentiam: eo modo, quo grammatica dicit in genere: verba, ad primam activorum sedem pertinentia, requirunt, ut agens ponatur in casu recto, patiens vero in quarto casu ex obliquis, dicendo, v. g. sol producit lucem. Et quemadmodum grammatica, ut discernat agens, & patiens, indiget physica; ita & logica, aliis scientiis: sicut igitur hoc non obstat, quin grammatica habeat pro objecto voces; ita neque obstat, quin logica secundam intellectus operationem respiciat.

Obijcies 5. Secunda operatio recta est instrumentum, seu medium ad veritatem, & scientiam acquirendam: sed instrumentum, & medium non est attingibile propter se, sed propter finem, ad quem est medium, & instrumentum: ergo secunda operatio recta non est per se attingibilis a logica; adeoque non potest esse ejus objectum immediatum.

Respondeo, distinguo minorem: instrumentum, & medium non est attingibile propter se a facultate, præcise utente, transeat: a facultate docente, nego minorem, & consequentiam. Licet facul-

facultas, quæ mere utitur instrumento ad aliquod, medio ipso instrumento, consequendum, non attingat per se instrumentum; facultas tamen, quæ docet modum construendi ipsum instrumentum, illud attingit propter se, tanquam propter finem sui immediatum, scilicet opus ab ipsa immediate elaboratum, & artefactum. Sic malleus, ascia, forceps, ferra, sunt instrumenta, nec expetuntur a fabro lignario, præcise ut tali, nisi ut media ad suum opus: frænum non expetitur ab arte equestri, nisi ut instrumentum in ordine ad rectam equitationem; & tamen hæc instrumenta per se respiciuntur ab artibus, quæ docent, quomodo ipsamet instrumenta recte conficiantur.

XII. Obijcies 6. Objectum materiale debet prærequiri, seu præexistere ad objectum formale: sed operatio non prærequiritur, nec præexistit ad rectitudinem, saltem illam, quæ cum identificatur: ergo nec operatio potest esse logicæ objectum materiale, nec rectitudo formale.

Respondeo, nego, vel distingo majorem: debet prærequiri, seu præexistere logicæ, transeat major: physice, nego majorem: & distingo minorem; in sensu negato, concedo: in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Cum inter objectum materiale, & formale non requiratur realis distinctio, sufficit, ut per intellectum objectum materiale intelligatur prius, idest habeat prioritatem logicam respectu formalis; videlicet sit prædicatum, quod præconcipiatur ad objectum formale: sic prius concipitur operatio, ut sic, deinde rectitudo, quæ veluti operationi advenire intelligitur, & in ipsam logicæ introduci. Atqui hæc est sufficiens analogia ad materiam, & formam, quam in objecto materiali, & formali quidam requirunt.

Obijcies 7. Id, quod fit ab arte, est sola figura, & forma, quæ est objectum formale: non autem materia, quæ est objectum materiale: sed, ex vi præceptorum logicæ, fit tam operatio, quam rectitudo: ergo non potest in operatione recta simul inveniri objectum materiale, & formale.

Respondeo, nego majorem in universum, vel distingo: ab aliqua, concedo; ab omni arte, nego majorem: & concessa minore, in sensu superius explicato, nego consequentiam. Ars, ex Aristotele, duplex est: factiva, & activa: factiva, cujusmodi est ars ædificandi, physice præsupponit materiam, circa quam versatur, & quam perficit suis præceptis, specialem superando difficultatem.

Acti-

Activa, cujusmodi est ars citharizandi, & logica, non præsupponit physice talem materiam. Primi generis ars non facit, nisi formam in tali materia: secundi generis ars tum materiam, tum formam præstat realiter, modo suo: per intellectum vero, & logice solam formam præstare dicitur: quatenus, ars mere activa, v. g. logica, non dat præcepta, ut fiat ab intellectu operatio quomodocunque, & ut sic, sed ut fiat operatio recta. Id igitur, quod per logicam formaliter obtinetur, non est operatio, ut operatio, sed operatio, ut recta, idest ejus rectitudo, quæ est ejusdem operationis forma, seu pulchritudo.

### ALIORUM SENTENTIÆ

De objecto materiali, & formali logicæ referuntur, & impugnantur.

*Primo, pro prima operatione intellectus. Secundo, pro tertia operatione intellectus. Tertio, pro intellectu, seu natura intellectiva. Quarto, pro rebus omnibus. Quinto, pro vocibus. Sexto, pro operatione recta rectitudine activa.*

### A R T I C U L U S III.

Prima sententia, pro prima operatione intellectus.

XIII. **D**ico 1. Prima sententia est, non solum secundam, sed & primam intellectus operationem esse objectum logicæ immediatum, & per se intentum. Ita recentiores communiter contra Hurtadum *disp. 1. de objecto logicæ sect. 2. §. 16. 17. & sequentibus*. Item contra Conimbricenses *in quest. 2. proæm. art. 3. Giattinum quest. 1. log. art. 2.*

Dico 2. Contra hanc sententiam est, quia nulla sunt, in logica, præcepta immediate cadentia supra primam intellectus operationem: ergo hæc non est objectum logicæ immediatum. Antecedens probatur: præcepta logicæ sunt de terminis, de propositione, definitione, divisione, argumentatione: sed prima operatio

io intellectus non est terminus, nec habet terminos, non est propositio, non definitio, non divisio, non argumentatio, neque horum pars: ergo nulla sunt logicæ præcepta, cadentia supra primam intellectus operationem, immediate, & per se. Major non videtur posse negari. Minor probatur: prima operatio intellectus non est subiectum, vel prædicatum: neque enim aliquid de aliquo affirmat, vel negat; adeoque neque est terminus, neque habet terminos: neque est propositio: si autem propositio non est, non est definitio, neque divisio, neque argumentatio, neque horum pars. Quod autem prima operatio aliquando præcedat secundam, & possit esse occasio erroris; non facit ad rem, ut patet in phantasmatibus, imaginatione, & sensibus externis: neque videtur assignabilis ratio pro prima operatione, quæ non probet etiam pro imaginatione, & phantasmate, quin & pro actibus, saltem quibusdam, sensuum externorum, ut articulo sequenti melius constabit.

Solvuntur objectiones.

**XIV.** **O**bjicies 1. Prima operatio, seu apprehensio est instrumentum sciendi: ergo est objectum logicæ immediatum.

Respondeo, nego antecedens: instrumenta sciendi sunt definitio, divisio, argumentatio: sed apprehensio, cum non sit propositio, non oratio explicans naturam rei, vel dividens totum in suas partes, vel oratio inferens unum ex alio; non est definitio, non divisio, non argumentatio: ergo non est instrumentum sciendi: aliter dicam, instrumenta sciendi esse imaginationem, phantasma, actus, saltem quosdam, sensuum externorum.

Objicies 2. Licet apprehensio non sit instrumentum sciendi rigoroſe, est tamen minus rigoroſe, in quantum potest esse occasio scientiæ; sicut esse potest occasio erroris: ergo, saltem ex hoc capite, potest esse objectum logicæ immediatum.

Respondeo, omisso antecedente, nego consequentiam: aliter idem dicendum esset de imaginatione, seu phantasmate, & actibus sensuum externorum: quæ passiim sunt in nobis occasio scientiæ, vel erroris, teste experientia hominibus innegabili.

Objicies 3. Imaginatio, & phantasma, & fortiori actus sensuum.



sensuum externorum, non sunt operationes intellectus: apprehensio vero est operatio intellectus: sed logica, utpote scientia rationalis, versari debet circa operationes intellectus: ergo paritas, seu retorsio nulla est, allata ex imaginatione, phantasmate, & actibus sensuum externorum.

Respondeo, concessa majore, distingo minorem: logica versari debet circa omnes operationes intellectus, nego: circa solas, subdistinguo: in nostris principiis concedo; in principiis adversariorum, contra quos ad hominem est paritas, & retorsio, nego minorem, & consequentiam. Vis nostræ paritatis, atque retorsionis inde deducitur, quod eadem ratio adversariorum, quæ assertur, contendens, apprehensionem esse objectum logicæ; per hoc præcise, quod possit esse occasio scientiæ, vel erroris; si hoc probaret, probaret etiam, quod imaginatio, phantasma, & actus sensuum externorum sint objectum logicæ: quodque immediate, & per se dirigantur a logica: & consequenter, quod logica sit etiam scientia imaginandi, seu phantasticandi, videndi, audiendi: cum imaginatio, seu phantasma, visio, auditio, & similes actus sensuum externorum, esse possint occasio scientiæ, vel erroris.

XV. Obijcies 4. Aliqua apprehensio est definitio: ergo saltem aliqua apprehensio est instrumentum sciendi. Antecedens probatur: quia v.g. apprehensio, repræsentans animal rationale, est definitio hominis.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem nego iterum antecedens. Non sufficit repræsentare animal, & rationale quomodocunque, ut dicatur definiri homo; sed requiritur, quod id fiat per propositionem, adeoque addita copula, est, nec sine subjecto, & prædicato: definitio enim est oratio explicans naturam rei. Apprehensio autem talis non est: aliter dicam imaginationem, aut phantasma, & visionem, quin & picturam, repræsentantia modo suo animal rationale, esse definitionem hominis; adeoque esse objectum logicæ immediatum, & per se. Et simili modo circa divisionem philosophari quis posset, in ordine ad hæc omnia contra adversarios retorquenda.

Obijcies 5. Apprehensio potest esse recta rectitudine logica passiva: ergo potest esse objectum logicæ immediatum. Antecedens probatur: apprehensio potest esse conformis regulis logicæ, immediate cadentibus supra ipsam: ergo recta rectitudine passiva.

*Ant. Forti.*

Re-

Respondeo, nego antecedens; & ejus probationem, tamquam de subiecto non supponente: quæ enim sunt regulæ logicæ, cadentes immediate, & per se supra apprehensionem? Hoc quæritur: hic est status controversiæ, quam agitamus in præfenti.

Obijcies 6. Logica dat præcepta, quomodo faciendum sit universale, genus, species, ens rationis logicum, metaphysicum, de quibus infra: sed hæc omnia fieri etiam possunt per apprehensionem: ergo logica dat præcepta immediate, & per se circa apprehensionem.

Respondeo, tractationem universalium, atque entium rationis, præcise ut talium, proprie ad metaphysicam pertinere: sed quidquid sit de hoc; distinguo majorem: logica dat præcepta, quomodo faciendum sit universale, genus, species, ens rationis per secundam operationem intellectus, transeat; per primam, nego majorem, & transmissa minore, nego consequentiam. Logica agit de universalibus, & entibus rationis, prout per secundam intellectus operationem constitutis: hinc per accidens deducitur, quomodo & fieri suo modo possint, & debeant per primam operationem intellectus; sicut etiam per imaginationem, seu phantasiam, & sensus externos, ut infra dicendum est loco suo. Neque id a nobis gratis asseritur: logica enim agit de universalibus, deque ente rationis, quatenus agit de varietate propositionum, diversarum, tum quoad formam, tum quoad materiam, tum quoad qualitatem, & quantitatem: adeoque agit de propositionibus universalibus, vel particularibus in materia possibili, vel impossibili: sed universalia, & entia rationis, facta per meram apprehensionem, non sunt propositiones, neque materia propositionum, neque sunt termini, subiectum nimirum, aut prædicatum: ergo logica immediate, & per se non practice agit de illis, nisi valde indirecte, & per accidens. Aliter idem dicendum esset ab adversariis de actibus sensuum internorum, quin etiam externorum, per quos etiam fieri suo modo potest universale, & ens rationis, ut videbitur loco suo.

XVI. Obijcies 7. Cum Quiros: prima operatio est pars secundæ: ergo, si logica dat præcepta de secunda, dat etiam de prima immediate, & per se. Antecedens probatur: genus, v. g. animal, est pars propositionis dicentis: homo est animal: sed prima operatio potest esse, puta repræsentative, genus: ergo prima operatio potest esse pars secundæ.

Phil. Neg. Log.

D d

Re-

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo majorem: genus, quando est subjectum, aut prædicatum, est pars propositionis modo suo, transeat: quando non est subjectum, aut prædicatum, nego majorem: & distinguo minorem: per primam operationem constitui potest genus, quod nō sit subjectum, nec prædicatum, concedo: quod sit subjectum, aut prædicatum, nego minorem, & consequentiam. Hinc constat, in quo sensu dicatur logica agere immediate, & per se de termino, qua tali, scilicet de propositione, pro ut suo modo constituta per subjectum, & prædicatum. Ad quorum explicationem dico: genus dicit duo, objectum scilicet, & talem cognitionem, ut infra videbitur. Jam objectum non est pars cognitionis, cognitio non est pars sui ipsius: adeoque physice, & realiter, genus non est pars propositionis mentalis. Quando igitur dicitur, quod genus sit pars propositionis dicentis v. g. homo est animal, sensus est, hanc cognitionem, qua dicitur, homo est animal, habere suo modo subjectum, & prædicatum, unde æquivalet duabus cognitionibus, nimirum, cognitioni repræsentanti solum hominem, & præterea cognitioni repræsentanti solum animal, quæ duo sunt objectum, & prædicatum in propositione, qua dicitur: homo est animal. Non autem sensus est, quod cognitio repræsentans solum animal, sit pars propositionis, quæ tum hominem, tum animal repræsentat.

XVII. Obijcies 8. Prima operatio potest esse vera, aut falsa: ergo potest esse instrumentum veritatis, & scientiæ: ergo immediate, & per se ad logicam pertinet.

Respondeo, nego antecedens. Nam vel sermo est de apprehensione simplici, seu incompleta, qua apprehendo v. g. Petrum: vel de composita, seu complexa, qua apprehendo v. g. Petrum, & animal rationale; aut etiam, qua mere apprehendo integram hanc propositionem, qua dicitur: Petrus est animal rationale: sed nulla ex his apprehensionibus est vera, vel falsa, quia nulla affirmat, aut negat: veritas autem, & falsitas consistit in affirmatione, aut negatione directa animalis rationalis de Petro: vel in affirmatione, aut negatione reflexa, quod videlicet propositio, enuncians tale objectum, sit vera vel falsa: si igitur post illas apprehensiones dicat quis directe affirmando: Petrus est animal rationale; vel reflexe dicendo: vera est propositio a me apprehensa, asserens, Petrum esse animal rationale; veritatē assequetur:

sin

in vero negando dicat: Petrus non est animal rationale, vel: propositio affirmans, Petrum esse animal rationale, falsa est; iste, talis in falsum iudicium erumpet.

Hinc Aristoteles non semel expresse docet: *eorum autem, quæ per nullam conjunctionem* (hoc est connexionem subiecti cum prædicato) *dicuntur, nulla est veritas, vel falsitas.* Idem metaphysicorum *textu 22.* hæc habet: *non est decipi circa quodquid est, nisi secundum accidens.* Ubi Divus Thomas explicat, quod, decipi per accidens, sit decipi affirmando, vel negando per iudicium. Idem docet *D. Thom. pr. parte quæst. 17. art. 3. in C.*

Et ratio a priori esse videtur, quia prima apprehensio, quæcunque objecta repræsentet, nunquam formaliter, & logice vera, vel falsa est: siquidem locutio sive externa, sive interna, cuiusmodi est operatio intellectus, quæ ad logicam pertinet, utpote facultatem fermocinalem, nunquam vera, vel falsa locutio est, nisi aliquid affirmet, vel neget. Nam, si quis mere unum verbum proferat, vel duo, sed nulla adhibita affirmatione, aut negatione; nec verum, nec falsum dicit: ut, si quis mere proferat: homo; vel, homo, lapis, arbor; nisi adhibeat præterea particulam, *est*; vel, *non est*; quis eum putet verum, aut falsum, enunciare? Cæterum aliqui primo absolute affirmant, primam operationem intellectus, idest apprehensionem, esse posse veram, aut falsam: alii absolute negant: alii, media via incedentes, affirmant, illam posse esse veram, non autem falsam: alii affirmant, posse esse veram, posse esse falsam, si sit composita, seu complexa; secus vero, si simplex: ut sustinet author philosophiæ Burgundicæ veteris, & novæ.

XVIII. Obijcies 9. Pictura, etiam si non affirmet, vel neget; potest esse vera, vel falsa: ergo a fortiori apprehensio. Antecedens probatur: pictura potest esse conformis, vel difformis objecto: hinc, si repræsentet Socratem Midæ aures habentem, falsa erit; si eidem humanas aures appingat, vera.

Respondeo, nego antecedens. Ad cuius probationem nego iterum antecedens. Pictura ex se, neque est vera, neque falsa; neque conformis, neque difformis formaliter: cum mere offerat oculo, quæ videntur in tabula. Falsum, vel verum inde proferet pictor, vel quicumque ex pictura occasionem desumpserit putandi, aut dicendi, Socratem tali monstrosæ figuræ similem esse, aut fuisse, quoad apparentiam. Ita apprehensio, etiam comple-

xa, licet repræsentet, v. g. animal rationale, ex se tamen, neque est vera, neque falsa: verum, vel falsum proferet quisquis deinde affirmando, aut negando, pronunciaverit, repræsentari per talem apprehensionem genus, & differentiam hominis, aut alterius, vel non repræsentari. Dixi, picturam formaliter non esse conformem, aut disformem objecto: quia nimirum, nihil ex se repræsentat, ut signum ad placitum: sed completur quoad hoc a libero hominum arbitrio, ut scilicet supponat pro hac, vel pro illa re, cujus signum, & effigies esse dicitur. Non negaverim, tamen, posse picturam ex se habere conformitatem, aut disformitatem entitativam, & quoad apparentiam cum aliqua re, v. g. cum homine: hanc tamen similitudinem, utpote mere quoad apparentiam, apprehensio habere non potest, licet habeat ex natura sua repræsentare objectum, & ducere in cognitionem ipsius, cujus signum est solummodo naturale.

XIX. Obijcies 10. Apprehensio potest repræsentare rem, ut est in se, vel aliter ac est in se: ergo potest esse formaliter vera, vel falsa. Antecedens probatur, quia repræsentare rem, ut est in se, & repræsentare rem, ut non est in se, seu aliter ac est in se, sunt contradictoria: ergo apprehensio, vel repræsentat rem ut est in se, vel aliter ac est in se: ergo apprehensio potest repræsentare rem, ut est in se, vel aliter, ac est in se.

Respondeo, nego antecedens: apprehensio enim præcise se habet: quippe quæ non componit, nec dividit: adeoque non repræsentat rem, ut est in se, neque aliter, ac est in se: licet repræsentet hanc, non illam rem: simili quodam modo, ac dum quis per unicum verbum dicit, Petrus: vel, cum tacens, indice Petrum ostendit. Ad probationem antecedentis, nego antecedens. Contradictoria sunt repræsentare rem, ut est in se; non repræsentare rem, ut est in se. Apprehensio non repræsentat rem, ut est in se, neque aliter ac est in se; sed præcindit. Præcindentium autem non est mendacium, nec veritas: cum non affirmant, nec negent. Ita hic calamus, neque cognoscit Deum, ut est in se, neque cognoscit Deum, aliter ac est in se; cum Deum simpliciter non cognoscat: ita etiam, qui dicit, Petrus, nihil de illo affirmando, vel negando; non profert locutionem veram, aut falsam: quia non enunciat Petrum, ut est in se, neque aliter ac est in se.

Obijcies 11. Si aliqua apprehensio repræsentaret animal hominis sine rationalitate, esset falsa: apprehensio vero, quæ repræ-

præsentat animal hominis cum rationalitate, est vera: ergo prima operatio potest esse vera, vel falsa.

Respondeo, distinguo antecedens: si id repræsentaret iudicando, scilicet dividendo, vel componendo, concedo: si id repræsentaret præcisive, nego antecedens, & consequentiam. Per apprehensionem repræsentari hominem sine rationalitate (suppono, adversarium loqui in sensu præscindentium ex parte actus: siquidem repugnat præcisio ex parte objecti, ut infra videbitur) est repræsentari animal hominis, præscindendo a rationalitate ejusdem, non vero dividendo, ut fieret per iudicium, dicens: homo non est rationale; adeoque hæc non est repræsentatio falsa: sicut etiam repræsentare hominem cum rationalitate, est repræsentare simul hominem, & repræsentare rationalitatem ex parte actus: hæc autem non est repræsentatio formaliter vera, nisi fiat componendo hominem cum rationalitate, puta per iudicium, enunciando homo est rationale. Aliud enim est, duo componi, aliud est, duo esse simul objective in intellectu. Sic, si quis etiam per unam eandemque cognitionem, cognoscat Deum, hominem, leonem, arborem, per hoc præcisive talis cognitio non dicitur vera, vel falsa, nisi ulterius illa objecta dividat, vel componat, enunciando verum, cujusmodi est: Deus non est homo, Deus non est leo: aut falsum, cujusmodi est: Deus est lapis, Deus est arbor. Et hæc est ratio a priori, quare actus sensuum interiorum, & exteriorum falsi, vel veri formaliter esse nequeant, licet dicantur posse occasionaliter esse tales.

XX. Obijcies 12. Logica dat immediate, & per se modum, regulas, & præcepta, ut quis hic, & nunc apprehendat id, quod vult apprehendere, & non aliud, v. g. hominem, & non leonem: est enimvero regulariter saltem liberum homini hoc, vel illud objectum imaginari. Unde non frustra Sanctus Pater Ignatius præscribit compositionem loci, pro arbitrio voluntatis aptam in meditationem faciendam: ergo apprehensio dirigitur immediate a logica suis præceptis.

Respondeo, nego antecedens. Logica id non docet, nisi indirecte, & per accidens, quatenus nimirum ex præceptis, quæ tradit, v. g. de iudicio, quo formatur universale, sufficienter colligitur etiam apprehensionis natura de universali, sicut & natura imaginationis, phantasmatis, quin & visionis, picturæque de eodem universali. Eodem modo, ubi innotuerit recte de-

finiri

finiri hominem per iudicium enuncians, homo est animal rationale; satis inde consecutive colligitur, apprehendi hominem, apprehenso animali rationali: sicut, & hominem per imaginationem repræsentari, repræsentato animali rationali: videri, eodem viso: quin & depingi hominem, depicto animali rationali. Nec tamen hinc sequitur per adversarios, logicam dare præcepta per se, & immediate de imaginatione, visione, & pictura: & hæc omnia immediate, ac per se dirigi a logica suis præceptis.

Obijcies 13. Scire apprehendere hic & nunc, quod volo, & non aliud, est perfectio: ergo logica id docet immediate, & per se.

Respondeo, esto antecedens: nego consequentiam: quia, hoc antecedens probat etiam, esse perfectionem scire hic & nunc imaginari: seque applicare ad videndum, vel pingendum, quod quisque vult; nec tamen hinc præcise satis deducitur, hæc omnia immediate, & per se ad logicam practice pertinere. Hæc quoque ad apprehensionem: de eadem articulo sexto redibit sermo.

## A R T I C U L U S V.

Secunda sententia pro tertia operatione  
intellectus.

XXI. **D**ico 1. Secunda sententia est, non solum primam, & secundam, sed, & tertiam operationem intellectus esse objectum logicæ immediatum. Ita communiter contra nonnullos præsertim recentiores in manuscriptis.

Dico 2. Contra hanc sententiam est argumentum, quo utitur Comptonus *disp. 7. logicæ sect. 2. n. 12.* ut illam excludat ab objecto attributionis: quia nimirum præcepta logicæ non cadunt immediate supra tertiam operationem: siquidem tertia operatio & præsupponit essentialiter præmissas; & ad illas, recte dispositas, & penetratas, sequitur absque ullo novo artificio, aut nova difficultate superanda operatione artis logicæ: ergo tertia operatio non dirigitur, non præscribitur immediate a logica: cum inter huiusmodi operationem, & præcepta logicalia mediet necessario secunda operatio, id est præmissæ recte dispositæ, quæ sunt opus logicæ artefactum immediate. Et sane, recte dispositis, ac penetratis præmissis, implicat errare intellectum in elicienda  
con-

**conclusionem** : immo ipsi facillimum est, saltem si velit, conclusionem elicere : adeo quidem, ut ad eam recte eliciendam, non indigeat ullo novo artificio logicali, præter artificium præmissarum: sed viribus solius naturæ, & applicatione proprii ingenii, non alio distracti : ergo conclusio immediate est opus naturæ, non opus artis logicæ, nisi in radice, & in causâ, scilicet in præmissis: quæ sunt causâ, non physica, sed moralis, ut videbitur infra, loco suo, scilicet illuminatiya intellectus in ordine ad conclusionem infallibilem ex ipsis eliciendam. Enimvero, ut alibi sæpe explicabitur, tum in philosophia, tum in theologia, evidens est intellectui sano primum illud principium metaphysicum, lumine naturæ notum : quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se: & pariter, viceversa, evidens eidem est: quæ ita se habent, ut unum illorum sit idem cum unotertio, alterum vero non; non sunt eadem inter se: sed in præmissis recte dispositis, penetratis, atque concessis, sibi persuadet intellectus, quod duo, scilicet subiectum, & prædicatum, sunt idem cum unotertio: aut, quod unum illorum est idem cum uno tertio, alterum vero non: ergo evidens ipsi est, adeoque sibi persuadere evidenter debet, quod illa duo, nempe subiectum, & prædicatum identificentur, vel non identificentur inter se: ergo implicat, quod neget conclusionem, aut quod saltem, si physice possit, ac velit concludere, inferat aliam conclusionem, quam pure rectam.

XXII. Dixi, saltem si velit: nam defenditur hoc loco assertio præsens, præscindendo ab eo, quod, affirmatis præmissis necessitetur intellectus ad actum conclusionis, & quidem tum, quoad speciem, tum quoad exercitium, ut dicemus infra, loco suo cum sententia communi: qua posita, probatur a fortiori assertio nostra, quod scilicet, conclusio, utpote quæ necessario consequitur positis præmissis recte dispositis per artificium logicale, non sit opus logicum proxime, & immediate artefactum ab arte logica, sed solum remote, & mediate.

## A R T I C U L U S VI.

Solvuntur. Objectiones.

XXIII. **O**bjicies 1. Ut aliquod sit objectum immediatum, alicujus facultatis, sufficit, sit effectus, vel quid connexum cum illa re, supra quam præcepta illius artis cadunt



dunt immediate : ergo tertia operatio , cum sequatur præmissas , est objectum logicæ immediatum .

Respondeo , nego assumptum antecedentis . Si enim hæc sequuntur ad illam rem , quæ immediate præscribitur ; ergo sunt objectum mediatum , & remotum , ac finis extrinsecus regulæ , seu præcepti : ergo & ipsius artis , seu facultatis , præcise ut practicæ , quatenus hæc importat collectionem talium præceptorum . Nec debent gratis dilatari objecta immediata artium in ordine ad illa , quæ sublequuntur opus immediate præscriptum : aliter dicendum esset , non solum frænum , juxta adversarios , sed & rectam equitationem esse immediatum objectum frænificatorix : non solum navem , sed & rectam navigationem esse objectum immediatum navificatorix : & non solum tertiam operationem , sed & concreta illa , intellectus recte intelligens , recte operans , res recte cognita , definita , divisa , esse objectum logicæ immediatum : quod est falsum , immo repugnans ex ipsis terminis : cum pugnent , esse opus artis immediatum , & tamen ab arte non pendere , nisi medio priore alio opere ejusdem artis .

Obijciēs 2. Sanitas est objectum medicinx , & tamen sequitur rectam ægroti gubernationem : ergo tertia operatio est objectum logicæ , licet necessario sequatur præmissas .

Respondeo , nego antecedens : & dico , coherenter ad nostra principia , cum militet eadem ratio , objectum immediatum medicinx , præcise ut practicæ , esse rectam ægroti gubernationem , debitis medicamentis applicatis : sanitatem vero esse objectum mediatum , & finem extrinsecum : sicuti objectum immediatum artis navigatorix , idest nauticæ , est recta gubernatio navis , non autem incolumitas ipsius navis in tempestatibus : immediatum opus agricolæ est recta telluris , plantarum , atque arborum gubernatio , juxta georgicæ regulas : qui autem deinde nascuntur flores , & fructus sunt immediatum opus naturæ . Defacto , dummodo medicus practicus recte gubernarit ægrotum ; & nauta recte moderatus sit navem ; & agricola terram recte coluerit ; etiam si nec ægrotus , nec navis salvetur , nec terra fructificet ; primus , bonus medicus ; secundus , bonus naucleras ; tertius , bonus agricola jure quidem optimo nuncupabitur . Itaque , si quis , recte dispositis præmissis , illico moriatur , aut discursum amittat , aut aliunde physice impediatur , ne possit elicere consequentiam ; dicitur , quantum est ex se , artificiale opus logicum immediatum

*Ant. Forti.*

diatum absolvisse : quod enim inde sequi debuisset , idest consequentia , futurum erat immediate opus naturæ , non artificium logicæ , nisi remotum , & mediatum : ad eum modum , quo , si quis imperet sibi efficaciter , quantum est ex se , occisionem inimici , quem dum ense petit , ipse ariditate brachii corripitur ; iste talis commisit opus , sibi immediate liberum : actus enim imperatus internus , aut externus , ut non est immediate , & formaliter liber , ita nec immediate , & formaliter imputabilis ; nec augens laudabilitatem , aut vituperabilitatem ; meritum , aut demeritum , ut ex professo dicitur in *theol. lib. 8.* ubi de moralitate actuum humanorum .

XXIV. Obijcies 3. In logica traduntur multa præcepta , immediate cadentia supra consequentiã : ergo consequentia est objectum logicæ practicæ immediatũ . Antecedens probatur : nam talia sunt primo : medius terminus non debet ingredi conclusionem : secundo , conclusio sequatur partem debiliorem : tertio , in modis imperfectis primæ figuræ conclusio esto indirecta : & similia , de quibus in summulis .

Respondeo , nego antecedens . Ad ejus probationem , nego iterum antecedens . Præcepta , quæ afferuntur , cadunt immediate supra præmissas . Nam sensus primi præcepti est , quod illæ erunt rectæ præmissæ , ex quibus necessario sequitur conclusio , in quam medius terminus nõ ingreditur : sensus secundi præcepti est , quod illæ erunt rectæ præmissæ , ex quibus infertur , conclusio , sequens præmissam debiliorem : sensus tertii præcepti est , quod illæ erunt rectæ præmissæ in prima figura , pertinentes ad modos imperfectos , ex quibus indirecta conclusio proficiscitur . Neque hoc gratis a nobis asseritur : quia , ex supra dictis , regulæ immediate cadentes supra conclusionem , essent essentialiter superflue , ut probatum est ratione nostra fundamentali .

Obijcies 4. Licet necessario , & sine novo artificio , atque ope logicæ ex præmissis sequatur conclusio , quoad substantiam ; non tamen sequitur , quoad modum : poterit enim ad libitum fieri directa , vel indirecta : ergo , saltem quoad hoc , conclusio esse poterit logicæ objectum immediatum .

Respondeo , nego antecedens , ejusque probationem . Vel enim intellectus penetrat sufficienter in præmissis identitatem extremorum cum uno tertio , aptam ad concludendum directe , & indirecte simul , vel illam non satis penetrat : si primum , satis est

*Phil. Neg. Log.*

Ec

in-

instructus ad infallibiliter concludendum utroque modo, scilicet ad affirmandam identitatem extremorum inter se, tum directam, tum indirectam: si secundum; non poterit concludere, affirmando identitatem extremorum: & quidem nec directe, neque indirecte, si neutro modo illam penetraverit in præmissis: vel si uno tantum modo illam agnoverit; hoc tantum poterit affirmare: quod, si nihilominus identitatem aliquam quis affirmabit, non ex vi præmissarum; huiusmodi actus non erit conclusio: quia conclusio, ut talis, essentialiter habet poni ex vi præmissarum.

Obijcies 5. Ita se habet tertia operatio respectu secundæ, ac se habet secunda respectu primæ: ergo, si secunda est objectum logicæ, etiam erit tertia: vel, si non tertia, nec secunda.

Respondeo, nego antecedens. Nam, ex una parte tertia operatio habet ex essentia sua fieri dependenter a secunda, idest dependenter a præmissis deduci; adeo ut, si non ita fiat, non sit conclusio: ex altera parte, ita fit dependenter a præmissis, ut vel necessario sequatur ad illas, tum quoad substantiam, tum quoad modum; vel saltem sine ullo novo artificio, libere fieri possit, ope solius naturæ, cum omnimoda prorsus facilitate, quantum est præcise ex vi agentis intellectivi, qua talis. Secunda vero operatio non habet ex essentia sua fieri dependenter a prima: potest enim haberi iudicium, puta v.g. alicujus objecti evidenter representati, absque eo quod præcedat apprehensio de illo objecto: & iudicium, licet regulariter sequatur ad apprehensionem, unde illud secunda operatio appellari consuevit, & apprehensio prima operatio; non tamen ad hanc ita sequitur, ut, regulariter saltem, non relinquat omnimodam indifferentiam intellectui in ordine ad iudicium affirmativum, aut negativum; verum, aut falsum; rectum, aut irrectum: vel saltem in ordine ad rectum usum, & dispositionem iudicii in præmissam: itaque intellectus, ut recte iudicet, recteque syllogizet, etiam post apprehensionem, indiget regulis logicæ, novoque artificio logicali.

XXV. Obijcies 6. Apprehensio, saltem si sit evidens, necessario determinat intellectum ad tale, vel tale determinatum iudicium: ergo saltem secunda operatio, quæ sequitur necessario ad aliquam apprehensionem, non erit objectum logicæ immediatum: vel tertia operatio erit immediatum objectum ejusdem, non obstante, quod ad præmissas rectas recta infallibiliter consequatur.

Respondeo, omisso antecedente, nego consequentiam. Nam licet

licet intellectus in casu proposito non indigeret regulis logicæ ad eliciendum dictum iudicium ; indigeret tamen, ut illo recte, uteretur in definitionem, divisionem, aut præmissam, suo loco adhibitam, & collocatam, in ordine ad eliciendam conclusionem, quam inferre desideraret. Quod, si hoc non sufficeret, adeoque dicendum esset in tali casu, hoc iudicium in se consideratum non esse objectum logicæ immediatum; adhuc staret nostra conclusio, quod scilicet Sola, quanvis nō Omnis secunda operatio sit objectū logicæ, de quo loquimur: objectum enim logicæ, per nos, est sola secunda operatio recta; adeoque, supra quam immediate cadunt regulæ, & directio logicæ. Hinc, si aliqua secunda, operatio excogitetur incapax rectitudinis passivæ, seu directionis logicæ; non est contra nos, dicere, quod illa non sit objectum logicæ practicæ immediatum.

XXVI. Obijcies 7. Positis speciebus intentionalibus in intellectu, eisque recte excitatis, sequitur infallibiliter recta apprehensio: & posita recta apprehensione, sequitur infallibiliter iudicium item rectum: ergo vel dicendum, quod, sicut conclusio, quæ infallibiliter sequitur ad præmissas rectas, non est objectum logicæ immediatum, utpote incapax immediatæ directionis logicæ; ita nec secunda operatio, quæ infallibiliter sequitur ad apprehensionem: sicut etiam nec apprehensio, quæ infallibiliter sequitur ad species excitatas, sit objectum logicæ per se & immediatum: vel dicendum, quod sicut secunda operatio, his non obstantibus, est objectum logicæ immediatum; ita etiam hæc omnia, pro quibus militat eadem ratio.

Respondeo, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente: quia, ex dictis, apprehensio, & multo magis species intentionales, earumque mera excitatio, sunt incapacia rectitudinis logicæ, cum sint incapacia veritatis formalis, ut dictum est artic. 4.

Contra deinde sic argumentor: etiamsi apprehensio, & species, earumque mera excitatio, possent esse recta, quanvis non formaliter vera; peto: ista, vel hic & nunc recte fierent, ex vi præceptorum immediate cadentium supra ipsa: vel recte fierent, ex vi præceptorum immediate cadentium supra secundam operationem intellectus. Si primum: ergo hæc omnia non essent objectum logicæ immediatum, sed essent objectum illorum præceptorum, quæ profecto non essent logica: logica enim est fa-

cultas recte definiendi, dividendi, & argumentandi: ergo nondum incepit formaliter logica, ubi non incipit recta definitio, divisio, argumentatio: cum non inceperit formale instrumentum scientiæ, & veritatis. Aliter dicam, quod etiam præcepta recte pingendi, recteque sculpendi, ne dum recte excitandi species, recte imaginandi, apprehendendi, sint formaliter ipsa logica. Si secundum: ergo hæc non dirigerentur a logica immediate, primario, & per se, sed mediate, occasionaliter, & per accidens: quatenus, habito præcepto logicæ de recte judicando, facile esset inde discere modum recte excitandi species, recte imaginandi, recte apprehendendi. Aliter dicam, dirigi immediate, primario, & per se a logica, vel ab aliis scientiis pictorem, quatenus, scito præcepto de recte dividendo toto, v. g. homine, in suas partes; facile inde deducit modum exprimendi effigiem hominis per suas partes.

XXVII. Jam neutro modo se res habet, quoad secundam operationem intellectus, rectam ex vi præceptorum logicæ: hæc enim operatio immediate dirigitur illis præceptis, quæ sunt formaliter ipsa logica actualis: ergo hæc operatio est immediate opus logicum: ergo quidquid sequitur ad ipsam, non est opus logicum immediatum: quatenus non inde primo incipit artificium formaliter logicale. Cæterum quævis etiam secunda operatio excogitabilis, quæ non sit capax rectitudinis logicæ immediatæ, non est opus immediate logicum; adeoque non est objectum logicæ prædictæ immediatum. Neque hoc est contra nostram assertionem: quia nostra assertio non loquitur de omni secunda operatione intellectus, sed de sola secunda operatione intellectus, passivæ, recta rectitudine logica; adeoque de operatione capaci ejusmodi rectitudinis.

Obijcies 8. Consequentia unius argumenti potest esse præmissa alterius argumenti, ut apparet præcipue in reductionibus, de quibus logica tradit præcepta: ergo & tertia operatio potest esse objectum logicæ immediatum.

Respondeo, distinguo antecedens: tertia operatio, quatenus gerit vicem, seu munus secundæ operationis, concedo: tertia operatio, quæ talis, nego antecedens: & in eodem sensu, consequentiam. Logica non dat præcepta, quomodo fiat consequentia; sed quomodo recte disponatur in præmissam alterius, syllogismi, illa propositio, quæ fuerat consequentia in altero syllogismo.

XXVIII. Ob-

XXVIII. Obijcies 9. Cum Polizio: possitis præmissis rectis; elicitor quidē infallibiliter conclusio recta, sed ab logicæ artis perito, non autem ab imperito, qui aliunde logicæ sit ignarus: ergo adhuc consequentia immediate subjacet artificio logicali: ergo esse potest objectum logicæ immediatum.

Respondeo, nego antecedens, quo ad secundam partem: si enim alicui in præmissis appareat identitas duorum extremorum cum uno tertio; infallibiliter ab eodem, quicumque ille sit, si advertat, cognoscitur identitas illorum inter se; etsi ne primoribus quidem labris logicam degustarit, dummodo sui compos remaneat: sicut enim necessario videtur ab oculo objectum præsens; ita ab intellectu objectum evidens, & lumine naturæ notum, necessario cognoscitur, si advertat, & alio non se distrahatur.

Obijcies 10. Ex Giattino *quæst. 1. art. 5. ad objectionem quartam*: tertia operatio dirigitur a logica in præmissis, ad quas sequitur necessario: ergo tertia operatio est objectum logicæ immediatum. Antecedens probatur: motus pilæ dirigitur a projiciente, quia projiciens dirigit impulsus, ad quem deinde motus pilæ sequitur necessario: ergo pariter tertia operatio dirigitur a logica in præmissis, etiam si ad has necessario consequatur.

Respondeo, dato antecedente, nego consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo antecedens: motus pilæ dirigitur *mediate* a projiciente concedo; *immediate*, nego antecedens, & consequentiam. Utraque est directio tanquam in radice, & in causa; adeoque mediata. Unde exemplum pilæ projectæ favet nobis potius, quam adversariis: motus enim pilæ dirigitur quidem a projiciente, sed medio impulsu, quem in eam imprimit; ita sane, ut liberum sit homini, si nihil obstat, imprimere talem, & tantum impulsus: liber tamen deinde ipsi immediate non sit motus reliquus, qui necessario, & irreparabiliter subsequitur in projecto. Et sicut, quæ committuntur in ebrietate, quantunvis hæc fuerit libere volita; si satis prævisa fuerint, vel saltem prævidenda, sunt homini mediate libera, non vero immediate: quatenus nimirum sunt eidem libera in sui radice, & in causa, non autem formaliter, & in se: cum profluant ab ebrietate, quæ fuit immediate libere volita: ideoque, ut non addunt novam libertatem supra volitionem ebrietatis, ita neque novam imputabilitatem, aut meritum, ut dictum est loco suo

suo in *theol. lib. 8.* ita conclusio, bene dispositis præmissis, sequens infallibiliter, non addit novum artificium logicum, nec novam difficultatem, per præcepta logica superandam.

XXIX. Obijcies 11. Licet tertia operatio sequatur necessario, aut saltem infallibiliter, bene directis præmissis, per præcepta logica; non tamen ideo non potest dirigi a logica per aliam directionem: nec secunda hæc directio est superflua: ergo adhuc esse potest logicæ objectum immediatum. Antecedens probatur: nam effectus, qui habetur per unam causam, & actionem adæquatam in actu secundo, potest etiam haberi per aliam.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, concessio antecedente, nego consequentiam, & dico: hæc directio non solum esset superflua, sed essentialiter superflua, adeoque repugnans, juxta ea, quæ alibi dicuntur tum in philosophia, tum in theologia. Enimvero hæc secunda directio conclusionis, qua conclusio est, essentialiter præsupponit præmissas: ergo essentialiter præsupponit primam directionem: ergo essentialiter est secunda: ergo essentialiter est superflua. Atqui implicat medium essentialiter superfluum in ordine ad suum finem primarium, & per se: licet nõ implicet superfluū per accidens; cujusmodi esset secunda actio in ordine ad eundem effectum, quæ non esset essentialiter secunda, cum posset esse prima, vel sola: ut dictum est in physicis, ubi de multiplici actione adæquata miraculose versante circa eundem terminum: de multiplici forma adæquata in eadem materia: de multiplici ubicatione, & duratione adæquata in eadem re. Unde, licet secunda causa, & secunda actio adæquata esset hic & nunc superflua in ordine ad finem primarium, qui est absoluta existentia effectus; potest nihilominus Deus de potentia absoluta, ut inducere vacuum, ita & ponere hic & nunc superfluum in natura, licet non superfluum essentialiter tale, nec superfluum quoad suos fines altissimos extrinsecos: jam in casu nostro loquimur naturaliter, & quoad logicam nostram, quæ nec potest ullum miraculum perpetrare.

Obijcies 12. Logica agit immediate de tertia operatione, pro ut directa in præmissis: ergo tertia operatio est objectum logicæ practicæ immediatum.

Respondeo, nego antecedens, & quidem tanquam implicans in terminis: quia agere de tertia operatione, prout directa in præ-

præmissis, est agere mediate de illa, idest agere immediate de præmissis, seu de directione immediata præmissarum, ad quas conclusio sequitur necessario, aut saltem infallibiliter. Sic, qui agit de homicidio, præcise prout libero in causa, idest in ebrietate culpabili, agit quidem de immediata libertate ebrietatis, ut libere volitæ, idest de immediata libertate volitionis liberæ, non autem de immediata libertate ipsius homicidii, quod solum est liberum mediate, & in causa.

## ARTICULUS VII.

Tertia, & quarta sententia pro intellectu, & rebus omnibus.

XXX. **D**ico 1. Tertia sententia est, objectum logicæ immediatum esse intellectum, seu naturam intellectivam recte intelligentem, seu recte operantem; ita ut intellectus, seu natura intellectiva sit objectum materiale, ipsa vero intellectio, seu operatio recta sit objectum formale. Ita Joannes de Lugo in manuscriptis, & recentiores non infrequentes cum Vincentio Moncada in compendio logicæ, & Candaville 1. parte disp. 1. art. 1. Giattino quest. 1. art. 3. Caprino lib. 1. sect. 2. & aliis.

Dico 2. Quarta sententia est, objectum logicæ immediatum esse res omnes recte cognitæ, puta recte definitas, recte divisas, recte illatas; ita ut objectum materiale sint ipsæ res, objectum vero formale, recta cognitio, nempe definitio, divisio, illatio recta. Ita quotquot sustinent, ens rationis, seu instrumentum sciendi objectivum, esse objectum logicæ, ut docuisse videntur Platonicæ, Zabarella, Sotus, Toletus, & nonnulli apud Fonseca tract. 2. metaphys. cap. 3. quest. 1. sect. 5. & Thomistæ communiter apud Hurtadum disp. 1. §. 45. citati ab Arriaga disp. 2. log. sect. 2. num. 18. aliisque recentiores.

Dico 3. Contra utranque sententiam est idem argumentum: quando enim dicitur intellectus, aut res omnes esse objectum logicæ immediatum, vel sensus est, logicam tradere regulas de construenda substantia intellectus, & rerum omnium; vel sensus est, tradere regulas, quibus immediate resultent illa concreta, intellectus recte intelligens, seu natura intellectiva recte operans; aut



aut res recte cognita, recte definita, recte divisâ; adeo ut intellectus, & res omnes, quæ sunt subiectum, aut quasi subiectum talium concretorum, sint obiectum materiale; recta operatio, quæ est forma, seu quasi forma, sit obiectum formale: neutrum dici potest: ergo neque intellectus, neque res sunt obiectum logicæ immediatum. Minor probatur: siquidem, prima pars disjuncti est omnino falsa, ut patet; logica enim non dat præcepta, quomodo producat intellectus, vel equus, aut lignum.

Secundam partem etiam esse falsam, probatur: quia in concretis prædictis certum est haberi secundam operationem rectam, quæ immediate terminat regulas logicæ: cum, etiam per adversarios, illa sit obiectum formale logicæ, saltem inadæquatum: atqui, in secunda operatione recta, logicæ præcepta sufficiuntur inveniunt rationem obiecti materialis, & formalis, ut supra probatum est: ergo non est, cur dilatetur grâti obiectum logicæ immediatum: cum præsertim logica non tradat regulas immediate præscribentes, quomodo intellectus producat, vel sibi uniat operationem rectam, vel quomodo res denominentur recte cognitæ.

Ex suppositione enim, quod intellectus sciat, quænam sit recta operatio eligenda, eliciendaque, non indiget regulis logicæ: nec restat illi nova difficultas, per artem logicæ superanda, in ordine ad hoc, ut talem operationem producat, sibi que uniat: adeoque, ut resultent illa concreta, intellectus recte intelligens, res recte cognitæ, & similia, quæ naturaliter deinde coalescunt; nullo novo logicali artificio opus est intellectui sano, & physice aliunde non impedito. Itaque

XXXI. Dico 4. Ut innuebam *art. 1. assert. 10.* ultro me concedere adversariis, si velint, illa concreta appellari posse obiectum logicæ mediatum, remotum, secundarium, extrinsecum, consecutivum: quod etiam dici poterit de tertia operatione intellectus, respectu ejusdem logicæ, ut supra explicatum est; de recta equi gubernatione, respectu frænificatoris; de prospera navigatione, & incolumitate mercium, ac personarum, respectu navificatoris; de commoda hominis habitatione, ac defensione a temporum intemperie, respectu ædificatoris; de domo ipsa, respectu artis cædendorum, perpoliendorumque lapidum, quæ, cum non præscribat modum uniendi ipsos lapides inter se; non dicitur habere pro obiecto immediato parietem, & domum constructam: Ad uberiorem doctrinam,

*Ant. Forti,*

Dico

Dico 5. Qui sustinent, intellectum, seu naturam intellectivam, utpote principium executivum rectarum operationum, esse objectum logicæ immediatum; sustinere cohærenter debent, objectum artis nauticæ esse navem recte motā, aut nautam recte operantem: objectum artis citharisticæ esse digitos: objectum saltatoriæ pedes. Eadem enim videtur ratio, ac de intellectu, quoad logicam, ut notat Augustinus Spinò, *cap. 1. num. 32.* proportionem servata,

Dico 6. Minus cohærentur videntur philosophari, qui putant, objecta positiva realia, recte cognita, esse objectum logicæ, non vero objecta negativa realia, nec objecta chimerica, quantumvis recte cognita. Ratio est, quia de utroque genere, objectorum, dummodo sint recte definita, divisa, syllogizata, eadem militare videtur ratio, quare ab objecto logicæ immediato excludantur, aut non excludantur; ergo vel utrumque, vel neutrum genus talium objectorū, est objectum logicæ immediatum, ut notat Arriaga supra citatus, & Semeri in *logica disp. 1. quest. 2. art. 4.* prope finem.

## A R T I C U L U S VIII.

Solvuntur objectiones pro intellectu, seu natura intellectiva.

XXXII. **O**bjicies 1. Ars perficere debet naturam: ergo logica perficere debet intellectum, seu naturam intellectivam: ergo intellectus, seu natura intellectiva respicitur a logica, tanquam objectum immediatum.

Respondeo, distinguo antecedens: ars debet, perficere naturam, eo modo, quo natura dirigibilis est, concedo: alio modo, nego antecedens: &, distincto eodem modo primo consequente, nego primam, & secundam consequentiam.

Natura in intellectu, scilicet intellectus, dirigibilis est mediate: logica enim perficit intellectum per hoc, quod ipsa, habens pro objecto operationem rectam, ostendit intellectui, quænam sit cognitio recta, & eligenda, quænam incorrecta, & fugienda. Quolumine intellectus indiget ne fallatur, & erret: cæterum deinde, neque, ut absolute, neque, ut facilius intellectus producat, sibi que uniatur operationem suam, indiget regulis artis.

*Phil. Neg. Log.*

F f

Obj.

Obijcies 2. Illud est objectum artis immediatum, quo habito, ars quiescit: sed, habita sola operatione intellectus, logica non quiescit, nisi etiam habeat hoc concretum, quod est intellectus recte intelligens: ergo hoc concretum, non sola operatio, est objectum logicæ immediatum.

Respondeo, nego minorem. Ars rationabiliter quiescere intelligitur immediate, tanquam in fine intrinseco, habito eo, quod ipsa immediate ponere artificiose, ex vi suarum regularum, potest, & debet: ergo, habita sola secunda operatione recta, rationabiliter quiescere logica intelligitur, tanquam in fine suo intrinseco, & immediato, etiamsi deinde operatio miraculose ponatur in lapide, vel in ligno.

Obijcies 3. Operatio recta, primo, est pars hujus concreti, quod est intellectus recte intelligens: secundo, est forma accidentalis, quæ recipitur in intellectu, tanquam in subiecto: tertio, est finis, qui, ordinatus ad finem, cui, cujusmodi est intellectus: atqui pars attingitur, & intenditur propter totum; accidens propter substantiam; finis, qui, propter finem, cui: ergo operatio intellectus, quantunvis recta, non attingitur, non intenditur a logica immediate, & per se.

Respondeo, distingo majorem, quoad tertiam partem: operatio recta est finis, qui, ordinatus ad finem, cui, ab agente intellectivo, transeat: ab ipsamet logica, subdistingo, ordinatus ad finem, cui, tanquam ad finem artis extrinsecum, transeat; intrinsecum, nego majorem: & distingo minorem, ab agente intellectivo transeat: ab arte, & scientia practica, ut practica, subdistingo, tanquam propter finem extrinsecum, transeat; tanquam propter finem intrinsecum, nego minorem, & consequentiam. In explicationem distinctionis.

XXXIII. Primo dico: logica non est persona, non est agens intellectivum: voluntatem, & intentionem ipsa proprie non habet. Illud immediate, & per se velle, intendere, desiderare, modo suo, idest, metaphorice, logica actualis practica, ut practica (de qua loquimur) intelligitur, quod ipsa præscribit, immediate faciendum, ex vi suarum regularum, seu præceptorum. Atqui logica præscribit, modo prædicto, solam secundam operationem intellectus rectam: ergo hanc immediate vult, intendit, desiderat, modo suo. Quod si secunda operatio intellectus recta, natura sua, ab agente intellectivo tum divino, tum humano,

ho, utpote pars, ordinetur ad suum totum; utpote forma, ad suum subiectum; utpote finis, qui, ad finem, cui ipsa inservit; hoc impertinenter se habet in ordine ad logicam artem; præcise ut practica: cum impertinenter se habeat, præcise in ordine ad opus logicum immediate artefactum regulis logicæ. Ratio est, quia, logica non præscribit modum, quo intellectus producat, aut sibi uniat operationem rectam, & quo per ipsam sibi unitam denominetur recte cognoscens. Hæc enim deinde sunt opus solius naturæ, nec sunt novum opus logicum, immediate logicæ regulis artefactum.

Secundo dico: ne confundantur, quæso, ut plerique faciunt, objectum logicæ, & objectum logici, non qua talis; objectum, actuum intellectus, in quibus physice consistit logica actualis, & objectum actuum voluntatis, quam logica sane non habet: quia in re facile tyrones decipiuntur.

Tertio dico: logicus, seu persona logica, seu voluntas illius, qui logicam docet, potest habere pro objecto immediato, & per se intellectum discipuli recte instructum; & consequenter respicere operationem intellectus propter aliud, illam assumendo, ut medium ad hunc finem, vel etiam ad alium a se intentum.

Quarto dico: Logicus, qui logicam didicit, vel qui eam exercet, potest & ipse habere alios suos fines primarios, & assumere operationem, ut medium ad huiusmodi fines: & sic discurre poterit de artificibus quoque aliarum artium, atque scientiarum.

Quinto dico: finis logicæ, & artium immediatus, & per se, ille reputandus est, quem eadem suis regulis immediate præscribunt artificiose faciendum: hinc Seneca *de beneficiis lib. 2. cap. 33. Pecit Phidias statuam: alius est fructus artis, alius artificis: artis est, fecisse, quod voluit; artificis, fecisse cum fructu. Perfecit opus suum Phidias, etiam si non vendidisset. Triplex est illi fructus operis sui: unus conscientia; hunc, absoluto opere, percepit: alter fama: tertius utilitatis, quem allatura est aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas.*

XXXIV. Obijcies 4. Si possibile non esset hoc concretum, intellectus recte intelligens, deficeret logica: ergo logica habet hoc concretum pro objecto immediato.

Respondeo, distinguo antecedens: deficeret logica mediate, concedo: immediate, nego antecedens, & consequentiam. Et dico, ars aliqua potest deficere vel immediate, vel mediate:

primo modo deficit, si deficiat ejus objectum immediatum, seu finis intrinsecus; idest ejus opus artificiosum immediatum: secundo modo deficit, si deficiat aliquid, cum quo est connexum, ejus objectum, vel in quo subjectatur, vel quod ipsa ars respicit, ut finem extrinsecum. Deficiente intellectu, deficeret quidem logica, sed mediate; quatenus deficeret operatio, quæ producitur, & subjectatur in intellectu: at non ideo infertur, logicam habere pro objecto immediato intellectum: ita si deficeret equitatio, utique deficeret & frænifactoria, quæ in republica, prudenti hominum institutione, ad equitationem commodam, ordinatur: deficiente nutritione, deficeret potior saltem pars agriculturæ; quin & omnes illæ artes, quæ in præparandis conediendisque cibis versantur: deficiente pede, deficeret ars sutoria: quin, deficiente homine, omnes artes nostrates sane deficerent: nec tamen quis ideo rationabiliter dixerit, equitationem, esse objectum immediatum frænifactoriæ; nutritionem agriculturæ, & culinariæ; pedem artis sutoriæ: & in universum, intellectum esse objectum immediatum, etiam in aliis omnibus artibus, atque scientiis nostratibus, quæ utique perirent, si intellectus, & respublica rationalis non haberetur.

XXXV. Obijcies 5. Logica intendit operationes in concreto, non in abstracto: ergo objectum logicæ immediatum est concretum illud, intellectus recte intelligens. Antecedens probatur paritate marmorariæ, & similibus artium factivarum, quæ habent pro objecto concretum, statuem, v.g. vel quid simile.

Respondeo, distinguo antecedens: mediate, concedo: immediate, nego antecedens, & consequentiam. Logica actualis, ut supra dictum est, illud immediate intendere dicitur, considerata præcise, ut practica, quod ex vi. suarum regularum artificiose, proxime, & immediate confurgit. Hoc autem est secunda operatio intellectus recta, non vero unio operationis cum intellectu: hæc enim unio, juxta superius tradita, sequitur naturaliter, & necessario: ergo logica non intendit immediate operationes, prout in concreto. Ad id, quod in antecedentis probationem assumitur, distinguo antecedens, si militet specialis ratio in aliis artibus, transeat: secus nego antecedens, & consequentiam. Et sane eodem modo discurrendum videtur, proportionem servata, in omnibus, nisi fortasse aliqua esset ratio specialis, probans in aliqua particularem necessitatem dilatandi ejusdem objectum

jectum immediatum, dicendo, quod illud sit concretum aliquod, ex vi præceptorum artis immediate resultans: ex eo nimirum, quod ars illa modum præscriberet, quo aliqua forma uniatum cum subjecto: ita ut artifex, ex vi præceptorum artis, novam difficultatem exuperaret, præcise in introducenda forma in materiam suam; adeoque ars illa formam, quæcunque sit, prout unitam materiæ respiceret. Quæ sane difficultas, in subjecta materia, nulla est: cum specialis difficultas restet nulla, superanda homini per artificium logicæ, præcise in unienda sibi sua operatione recta: ergo logica non respicit immediate operationem rectam, prout in concreto.

Obijciēs 6. Qui producit formam, producit immediate compositum: ergo logica, præscribendo operationem rectam, quæ est forma, seu concretum, præscribit immediate concretum, quod est intellectus recte intelligens.

Respondeo, nego antecedens: dicitur enim producere compositum, qui producit formam, prout in composito, idest unionem formæ cum materia. Ubi notandum, hoc ipsum dici, & verificari, denominative, non physice: cum enim compositum, constitutive importet tum subjectum, tum formam, tum unionem; non producit physice totum compositum, qui physice omnes ejus partes non producit. Denominative autem, idest quoad absolute, & simpliciter loquendum, vere dicitur sine addito, producere compositum, qui illud complete producit, idest, qui illud complet, producendo formam, prout in subjecto, idest unionem formæ cum subjecto.

XXXVI. Obijciēs 7. Qui producit physicam prædeterminationem ad amorem, aut ad odium, dicitur ponere hoc concretum, quod est, amans, aut odio habens: ergo logica, quæ præscribit, intenditque operationem rectam, dicitur præscribere, & intendere immediate hoc concretum, quod est: intellectus recte intelligens.

Respondeo, nego antecedens, ut in superiore responsione. Si Deus producat physicam prædeterminationem, & deinde Petrus hanc sibi uniat; actio, quæ ad physicam prædeterminationem consequitur, est imputanda formaliter Petro, non Deo: ergo, dum logica docet, quænam sit secunda operatio recta, si deinde hanc operationem Petrus naturaliter, absque novo præcepto logicæ, sibi uniat; quod deinde sequitur, non est formaliter, & imme-

immediate adscribendum logicæ, sed naturæ: sic, etiam per adversarios, quorum est argumentum, licet libera sit voluntas ad impediendam conclusionem mediate, quatenus potest impedire præmissas, vel attentionem ad illas; non tamen est libera immediate, quoad hoc: quia, præmissis recte dispositis, & penetratis, conclusio, etiam per ipsos, sequitur necessario. Unde cōtra eosdem primo sic argumentor: quidquid naturaliter, infallibiliter, & necessario sequitur ad physicam prædeterminationem, quantumvis a Petro libere volitam, non est immediate, & formaliter liberum ipsi Petro, sed necessarium, licet necessitate libere volita ab ipso Petro: ergo, quidquid naturaliter, & infallibiliter, absque ullo novo præcepto, sequitur necessario ad secundam operationem rectam, immediate præscriptam a logica, non est immediate, & formaliter præscriptum ab ipsa logica, non est eidem immediate, & formaliter artefactum. Secundo, contra sic argumentor: si quis producat physicam prædeterminationem ad amorem, nisi præterea producat unionem physicæ prædeterminationis cum Petro; non dicitur suo modo producere concretum, hoc, Petrus physice prædeterminatus ad amandum: ergo, si logica præscribat immediate; atque artificiose, suo modo, præcise ponat operationem rectam; non dicitur præscribere, & ponere immediate artificialiter concretum hoc, intellectus recte intelligens, nisi præterea præscribat unionem operationis cum intellectu: atqui logica unionem hanc non præscribit, cum hæc sit opus naturæ: ergo logica non dicitur ponere concretum, sed operationem rectam præcise in abstracto.

Obijcies 8. Logica habet pro objecto immediato instrumentum sciendi: sed secunda operatio, quanvis recta, non est instrumentum sciendi, nisi, prout unita cum intellectu, ita ut confluet cum eodem hoc concretum, quod est, intellectus recte intelligens: ergo logica respicit etiam pro objecto immediato intellectum.

Respondeo, nego minorem: quia operatio recta, etiam si ponatur extra intellectum, semper est instrumentum aptum, quantum est ex se, ad scientias acquirendas, licet actu munus instrumenti minime exerceat: simili modo, quo serra, malleus, clavis, & similia, sunt quidem semper instrumenta, etiam dum nemo illis utitur, dummodo aliunde, quantum est ex parte sua, apta sint ad munus proprium exequendum.

XXXVII. Ob-

XXXVII. Obijcies 9. Objectum logicæ materiale immediatum est id, in quod physice introducitur forma, seu perfectio logicalis, quæ est operatio recta : sed hoc est intellectus : ergo intellectus est objectum materiale logicæ immediatum.

Respondeo, nego majorem, quæ, ex dictis, gratis assumitur. Et sane, si inter objectum materiale, & formale deberet intercedere realis, & adæquata distinctio ; potiori jure deberet esse objectum logicæ id, in quod logice introducitur forma logica, cujusmodi sunt, in hac hypothesis, res recte cognitæ : hoc enim, magis proprie opus logicum diceretur. Jam de rebus recte cognitis sit.

## A R T I C U L U S IX.

Solvuntur Objectiones pro rebus omnibus.

XXXVIII. **O**bijcies 1. Logica præscribit immediate definitionem rectam : ergo rem recte definitam. Consequentia probatur : idem enim est cognoscere, & velle definitionem hominis, ac hominem definitum.

Respondeo, distinguo consequens : ergo logica præscribit rem recte definitam secundum id, quod res definita importat de formali, transeat : secundum id, quod importat de materiali, nego consequentiam. Et primo dico : logica præscribit formam faciendam, non autem materiam, seu subjectum, quod est res ipsa, quæ denominatur recte definita : sicuti, qui physice producit definitionem hominis, non dicitur physice producere ipsum hominem, qui per illam definitus denominatur : nec qui producit amorem erga Deum, dicitur producere ipsum Deum, qui denominatur amatus per illum actum amoris.

Secundo dico : ob rationis identitatem, eodem modo discurrendum, in sensu accommodo, de aliis etiam artibus, ac scientiis practicis, quæ talibus, quæ modo suo tendunt per suas regulas, ac dictamina.

Tertio dico : quoad actus intellectus mere speculativos ; illi quoties repræsentant definitionem, quæ talem, repræsentant quidem, saltem indirecte, rem definitam, utpote terminum ipsius definitionis.

Quar-



Quarto dico, quoad actus voluntatis: falsum est, quod præcise per hoc, quod quis amet definitionem, amet rem definitam. Et sane amant theologi rectam definitionem peccati, non tamen ipsum peccatum: quanvis dari possit aliquis actus, ex suo speciali modo tendendi, attingens immediate tum definitionem aliquam, tum rem definitam; ut etiam actus attingens tum ipsam visionem, tum rem visam.

Obijcies 2. Logica tradit multa præcepta, quæ cadunt immediate supra res ipsas: hujusmodi sunt, primo, definitio, & definitum dici debere ad convertentiam: secundo, partes dividentes æque late patere, ac rem divisam: tertio, objectum præmissarum esse idem, ac objectum conclusionis: quarto, genus prædicari de speciebus: insuper logica agit immediate de prædicamentis, quæ sunt res: ergo habet pro objecto immediato res ipsas.

Respondeo, nego antecedens: quia hujusmodi præcepta, & directiones logicæ, præcise immediate cadunt supra solam secundam operationem, quam logica recte faciendam præscribit, ut dictum est *art. 6. ad object. 3.* de præceptis illis, quæ adversarii supra tertiam operationem intellectus, aut supra intellectum, ipsum immediate cadere contendebant. Jam talium præceptorum sensus, logice practicus genuinus, ille est, vel æquivalens: primo: ut definitio sit recta, debet esse talis conceptus mentis, ut ipse, & conceptus rei definitæ idem realiter exprimant: utque una cognitio mutuo ex alia inferri cum veritate possit.

Secundo: ut divisio mentalis sit bona, debet repræsentare tales partes totius, quæ realiter, collective acceptæ, sint adæquate idem cum ipso toto.

Tertio: ut præmissæ sint rectæ, idem omnino objectum habeant, ac conclusio.

Quarto: propositio generica amplecti debet plura objecta specie diversa: specifica vero debet plura objecta solo numero differentia continere; puta, specifica prædicabilis, nõ mere subijcibilis.

Tandem: logica considerat prædicamenta, ut materia sunt propositionum, quas ipsa logica immediate præscribit: quatenus docet, quod, si bonas subjectorum propositiones efformare quis velit, debeat ita propositionum series coordinare, ut cognoscat, rem esse substantiam; deinde gradatim, ordinateque procedat per alia prædicamenta.

*Ant. Forti.*

*Cate.*

Ceterum, cum adversarii obijciunt, logicam agere, de necessitate præmissarum, deque earundem probabilitate, ac de similibus propositionum affectionibus, provenientibus ex materia, circa quam propositiones versantur; dicendum, logicam præctice immediate agere solummodo de præmissis, ob nostras rationes suprà allatas.

XXXIX. Obijcies 3. Utile est reipublicæ, haberi res recte divisas, definitas, deductas; ergo logica immediate præscribit talia concreta.

Respondeo, nego consequentiam: cum enim, ex dictis, hoc concretum sequatur naturaliter, & citrà omnem difficultatem, ex suppositione, quod intellectus sciat, quam sit recta operatio elicienda; essentialiter superflua esset ars, quæ tale concretum præctice, ut suum objectum immediatum, puta, ut suum opus artefactum, immediate præscriberet.

Retorqueo deinde argumentum: utile est reipublicæ, haberi intellectum recte definientem, dividensem, argumentantem: ergo logica habet pro objecto immediato hoc concretum, quod est intellectus recte definiens, dividens, argumentans.

XL. Obijcies 4. Ut operatio intellectus sit recta, debet esse vera, quia, nisi sit vera, non potest esse instrumentum sciendi: cum ex falso non possit sequi formaliter verum, ut videbitur loco suo. Conclusio enim vel reflectit supra præmissas, vel ab illis completur in ratione conclusionis: adeoque, si præmissæ sunt falsæ, conclusio, ut talis, ab illis ebibit falsitatem: ergo logica habet etiam pro objecto veritatem: sed veritas consistit tam in cognitione, quam in objecto, cui ipsa cognitio conformetur: ergo logica habet pro objecto immediato tam secundam operationem rectam, quam res recte cognitas per eandem operationem, quæ sunt objectum ejusdem.

Respondeo, distinguo consequens: ergo logica habet etiam pro objecto veritatem, adæquate, & relative acceptam, nego; entitative, & inadæquate acceptam, subdistinguo: secundum id, quod veritas dicit in recto, concedo, in obliquo, nego consequentiam. Ad minorem subsumptam, distinguo: veritas adæquate, & relative accepta consistit tam in cognitione, quam in objecto, concedo; veritas inadæquate accepta, nego minorem, & consequentiam. Objectum logicæ, de quo loquimur, scilicet immediatum logicæ actualis practicæ, ut practicæ, est id, quod

Phil. Neg. Log.

G g

immediate præscribitur faciendum ex vi suarum regularum? atqui, quod immediate præscribitur faciendum, ex vi regularum logicæ, est ipsamet entitas secundæ operationis rectæ, adeoque & veræ, puta, entitas definitionis, divisionis, præmissarum, quæ rectæ, adeoque & veræ denominantur: non autem objectum, ipsarum, puta non ipsa res definita, divisa, illata, vel inferenda; ex quarum conformitate cognitio veræ denominatur, constituitur cum ipsis adæquatam veritatem, relative prædicamentally acceptam: in quo sensu constitutive importat unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: adeoque importat inadæquate in obliquo ipsum objectum cognitionis, juxta ea, quæ dicenda sunt de relatione: Ergo objectum logicæ est ipsamet secundæ operatio rectæ, adeoque & veræ, non autem omnia veritatis constitutiva. Sicut nec omnia rectitudinis constitutiva; si rectitudo adæquate relative sumatur, quatenus importat conformitatem secundæ operationis cum regulis logicæ: in hoc etenim sensu, rectitudo operationis importat in obliquo ipsas regulas logicæ, adeoque ipsam logicam actualem, ex quarum conformitate denominatur passive rectæ.

**A R T I C U L U S**  
**Quinta sententia pro vocibus.**  
**XLII. D**ico. Quinta sententia est: voces, seu instrumentum sciendi vocale, esse objectum logicæ immediate. Ita Alexander apud Conimbricenses *quest. 1. præm. art. 2.* quidam recentiores apud Oviedum *contr. 2. punct. 1. §. 2.* & citari etiam solent pro hac sententia ab aliquibus Simplicius, Anthonius, Philoponus, Aphrodisæus, Aureolus, Gonzalez, Lynceus, Spinola, & communiter sub Okano Nominates, quos tamen tanquam ab impostura vindicat Hurrius *disp. 1. sect. 3. 10.* Dico 2. Contra hanc sententiam est, quia logica non præscribit immediate voces externas: nec ejus præcepta cadunt immediate supra ipsas. Vel enim illæ considerantur, ut sonus: vel ut significantivæ; & bene concordantes: vel ut ornata tropis, & figuris: vel ut harmonice. Atqui nullo ex his modis immediate pertinent, & præscribuntur ab arte logica; nam, quæ tales, potius pertinere deberent, vel ad animalicam, ut objectum potentie auditivæ; vel ad grammaticam, vel ad rhetoricam, vel ad musicam: quin etiam

**Dico 3.** Si considerentur voces, ut instrumentum sciendi vocale, idest, ut recte dispositæ in formam syllogismi; neque in hoc sensu pertinent immediate ad logicam: quia logica immediate præscribit operationem secundam intellectus rectam. Quod autem deinde adhibeantur voces aptæ, & correspondentes, id pertinet immediate, & per se, non ad logicam, sed ad aliam facultatem grammaticalem, cujus est tales voces eligere, & ita colligere, ut aptæ sint ad objecta, quæ velimus, hic & nunc significanda, & ad gerendum vices conceptuum mentis: esto illi conceptus non possint interius recte haberi sine logica, immo & sine aliis scientiis, ad quas pertinent materiæ in particulari, circa quas intellectus per huiusmodi conceptus versari debet. Et quidem secus, voces dicendæ etiam essent objectum physica, metaphysica, & aliarum facultatum. Claritatis gratia sit exemplum: logica est quasi inventrix, & imperat grammaticam, ut quasi vocum coloribus hos, vel illos mentis conceptus depingat. Grammatica, vel similis alia facultas, est quasi pictor, cujus est exprimere ad unguem mentis conceptum, quicumque, & qualicumque ille sit. Hinc, etiam si mentis conceptus sit irrectus, vel falsus, dummodo grammatica illum bene vocibus exprimat, operæ pretium fecit, utpote suo munere jam perfuncta: sicuti, si Petrus sit aspectu deformissimus, exprimatur tamen graphice, ac fideliter coloribus a pictore ejus effigies deformissima; pictor rectam sane Petri imaginem fecisse dignus est: unde colligitur, & mutum perfectum logicum esse posse. *Respondeo, nego.*

*Respondeo grammaticam: grammaticam: ut loquatur sine physica, & metaphysica, & aliarum facultatum.*  
**A. R. T. I. G. U. L. A. XI.** Solvuntur Objectiones.

**XLII.** **O**bjicies II. In logica agitur de termino vocali, de vocibus, de syllogismo vocali, construendo: ergo

voces sunt objectum logicæ immediatum. *Respondeo, nego.*

**Respondeo, distinguo, antecedens:** In logica agitur de termino vocali indirecte, & per accidens, concedo; directe, & per se, nego antecedens, & consequentiam.

**Logici, fungendo munere grammaticorum,** agunt de termino vocali, adeoque de vocibus tanquam instrumento, quo recte exprimentur mentis conceptus: non tamen logici, quia tales agunt immediate, & per se de vocibus. Sed logica regulari præscribit immediate de operatione recta, quæ est vox interna: hanc recte

vocibus externis exprimere, immediate pertinet ad grammaticam, vel ad aliam facultatem: quod si etiam logicus hæc doceat, id præstat, non præcise ut logicus, sed ut grammaticus.

Obijcies 2. Instrumentum manifestativum ignoti pertinet ad logicum, quæ talem: sed voces sunt instrumentum manifestativum ignoti: ergo voces pertinent ad logicum, quæ logicus est: ergo sunt objectum logicæ immediatum.

Respondeo, distinguo majorem: instrumentum logicum manifestativum ignoti, concedo; instrumentum grammaticum, nego majorem: & distinguo minorem: voces sunt instrumentum grammaticum manifestativum ignoti, concedo; instrumentum logicum, nego minorem, & consequentiam.

Instrumentum logicum manifestativum ignoti, est instrumentum formale, idest cognitio. Instrumentum grammaticum dicuntur voces, quæ sunt vicariæ conceptuum mentis, pro quibus substituuntur. Jam grammatica, aut similis alia facultas, tradit regulas, quomodo voces, & similes figure, aut signa, quæ sunt voces per æquivalentiam, exprimant conceptus mentis: sive de cætero recti illi sint, sive irrecti. Aliter non solum voces, sed & scripturæ, picturæque, & omnia symbola, & hieroglyphica, immediate, & per se ad logicam pertinerent.

Obijcies 3. Grammaticus, se solo sine logica, non potest construere rectum syllogismum vocalem: ergo logica habet pro objecto immediato voces syllogismi.

Respondeo, nego consequentiam, & deinde.

Retorqueo argumentum: grammaticus, se solo sine physica, non potest construere syllogismum rectum in materia physica; nec sine astrologia, in materia astrologica; nec sine theologia, in materia theologica; & sic de singulis: sicut pictor sine astronomia, non potest depingere sphaeram, stellis recte distinctam: ergo pictura est objectum astrologiæ; & voces objectum immediatum prædictarum scientiarum.

Argumentum igitur solum probat, unam artem, & scientiam ab altera adjuvari, ut suo modo recte operetur, subministrare materia ad recte agendum.

XLIII. Obijcies 4. Cum Lynceæ voces sunt objectum immediatum, licet partiale, non solum logicæ, sed etiam omnium aliarum scientiarum, & artium: quatenus omnibus inserviunt, ut signa, & instrumenta ad recte explicandum proprium objectum: ergo.

Re-

Respondeo , nego antecedens , quod gratis omnino assumitur , destruendo grammaticam , utpote artem specialem , a nemine fere negatam .

Obijcies 5. cum eodem : voces duplicem habent significationem , unam communem , specialem alteram : ratione primæ , pertinent ad grammaticam ; ratione secundæ , ad particulares facultates : ergo etiam salvantur aliæ facultates : & salvatur , logicam habere pro objecto voces externas .

Respondeo , nego antecedens : & dico , voces semper pro mentis conceptibus subrogari : & , quodcunque objectum significant ; pertinere ad grammaticam , vocabula cujuslibet idiomatis propria recte usurpare , connectere , rite pro rebus , atque conceptibus internis eadem subrogare .

Obijcies 6. Verba sacramentorum , cum duplicem habeant significationem , humanam scilicet , ex hominum institutione ; & divinam , ex institutione Christi ; ratione primæ , pertinent ad theologiam ; ratione secundæ , ad grammaticam : ergo & voces ratione unius significationis pertinere possunt ad logicam , ratione alterius , ad grammaticam .

Respondeo , concessio antecedente , nego consequentiam intentam ab adversariis . Disparitas est , quia voces , ut sacramentaliter significantes , sunt partes sacramentorum ; adeoque pertinent ad theologiam : in nulla autem significatione voces externæ sunt pars secundæ operationis intellectus : ergo in nulla significatione pertinent ad objectum logicæ practicæ immediatum .

Obijcies 7. Aristoteles , D. Augustinus , D. Thomas videntur docere , logicam habere pro objecto voces : ergo voces sunt objectum logicæ , quod inquirimus .

Respondeo , distingo antecedens : voces internas , concedo ; externas , nego antecedens , & consequentiam . Nec adversarios juvat , quod voces internæ exprimantur externis : siquidem & cælum , terraque , de quibus agit astrologus , ac geographus , græ , aut auro conficiuntur , atque exprimuntur ; nec tamen hinc inferres , æs , aut aurum esse objectum immediatum , & per se astrologiæ , ac geographiæ .

AR-

## ARTICULUS XII.

Sexta sententia pro operatione recta rectitudine activa.

XLIV. **D**ico 1. Sexta sententia est: operationem intellectus, ut rectam rectitudine activa, esse objectum logicæ immediatum. Ita quidam recentiores. Contra hanc sententiam est, quia operationes recte rectitudine activa, sunt ipsa met dictamina, & præcepta, in quibus physice consistit ipsa logica actualis, ut dictum est *disp.* 3. Ergo non sunt objectum logicæ: nisi fortasse reflexe, quatenus scilicet aliquod præceptum logicæ est secunda operatio, facta juxta aliud præceptum ipsius logicæ: in quo sensu, & ipsum rectum est rectitudine passiva: & sub diversa consideratione, ac respectu diversorum, regula, & regulatum.

Dico 2. Idem dicendum de ipsa operatione, prout assumitur in ideam, & exemplar ad aliam recte faciendam: quia, ut talis, non est passiva recta, sed potius regulans. Accedit, quod hujusmodi syllogismi ideales v. g. A est B; C est A; ergo C est B; vel sumuntur, ut verba sonant; vel prout substituuntur pro subjectis, & prædicatis indentificatis inter se. Si primum, sunt falsi: quia A non est B, nec C. Si secundum, hujusmodi idealitas est prædicatum secundarium, & proprietas profluens à rectitudine passiva: nisi enim hujusmodi syllogismi constructi sint juxta regulas logicæ, non possunt assumi in ideam ad alios syllogismos recte consiciendos.

## ARTICULUS XIII.

Quoddam sit logicæ objectum attributionis, & attributi.

XLV. **D**ico 1. Objectum attributionis logicæ (puta, ex dictis in explicatione status quæstionis, logicæ actualis, quæ practicæ) sunt præmissæ syllogismi recti. Assertio probatur: objectum attributionis artis, seu scientiæ actualis practicæ, ut practicæ, est illud ejusdem artis, seu scientiæ objectum immediatum, conflatum ex materiali, & formali, cujus fabricæ inserviunt cætera objecta immediata, in eadem arte, seu scientia:

tia: ipsum vero non ordinatur ad aliud opus immediatum talis artis, seu scientiæ construendum: in hujusmodi enim objecto, idest opere suo, videtur quævis ars, seu scientia practica, ut practica, modo suo immediate quidem, ultimo tamen immediate, quiescere. Atqui hoc modo se habent in logica præmissæ syllogismi recti: ergo præmissæ syllogismi recti sunt objectum attributionis logicæ. Major est explicatio terminorum: nec videtur posse negari, nisi fieri velit quæstio de puro nomine. Hoc enim intelligimus cum communi, dum dicimus, objectum attributionis talium facultatum. Minor probatur: quia conceptus prædictus solis præmissis syllogismi recti videtur competere. Quandoquidem ex una parte, non est assignabile, quid illis desit, ne in seipsis conceptum præexplicatum verificent; ut solutione argumentorum constabit; ex altera parte, neque assignari potest aliud ab ejusmodi præmissis diversum, cui commodius, aut æque commode conceptus prædictus objecti attributionis possit competere; ut constabit impugnatione aliarum sententiarum. Et sanè, quoad primæ partis hujus antecedentis ulteriorē probationem,

XLVI. Dico 2. Præcipua requisita ad hujusmodi objectum logicæ, ex dictis, sunt tria: primo, ut illud contineat objectum materiale, & formale logicæ: secundo, ut omne aliud logicæ objectum materiale, & formale, inservire possit fabricæ ejusdem objecti attributionis: at vero, tertio, ut ipsum non ordinetur ad aliud opus logicum construendum. Atqui hæc omnia requisita commode inveniuntur in præmissis syllogismi recti: ergo præmissæ syllogismi recti habent omnia requisita ad verificandum in seipsis conceptum metaphysicum objecti attributionis in arte logica. Minor probatur quoad primum: quia præmissæ syllogismi recti, sunt secunda operatio intellectus: ergo habent in se objectum materiale logicæ: sunt rectæ rectitudine passivæ: ergo habent in se objectum formale ejusdem logicæ: ergo utrumque in se continent. Quoad secundum probatur: quia cætera objecta logicæ immediata sunt aut definitio, aut divisio: sed hæc omnia inservire possunt fabricæ præmissarum in syllogismo recto, ut patet, scilicet si adhibeantur in majorem, aut minorem in hujusmodi syllogismo: ergo possunt cætera omnia præmissis fabricandis inservire. Quoad tertium: quia non est assignabile opus immediate logicum, ad cuius fabricam præmissæ ordinari possint in arte logica, scilicet non transgrediendo limites operis im-



diate artefacti ope logicæ. Hæc quoad ulteriorem probationem primæ partis antecedentis. Quoad ulteriorem probationem secundæ partis,

XLVII. Dico 3. Quidquid aliud assignari fortasse poterit, ad quod præmissæ syllogismi recti ordinari videantur, cuiusmodi est scientia, conclusio, aut veritas, quæ in conclusione reperitur, aut quid simile; non est opus immediate, & proxime artefactum regulis logicæ, ut supra probatum est: ergo non est objectum materiale, & formale proximum logicæ: ergo, si hoc assignetur, fit transitus extra artem, seu scientiam logicam actua-lem, præcise ut immediate, & proxime practica: ergo semper verificatur, quod præmissæ syllogismi recti non ordinantur in logica ad aliud opus logicum, puta immediate artefactum regulis ipsius logicæ. Hinc

Dico 4. Cætera omnia objecta logicæ immediata, sunt objectum attributi. Assertio ex hætenus traditis satis constat. Nam objectum attributi in arte, seu scientia actuali practica, ut practica, est quidquid ad objectum attributionis præexplicatum, construendum inservit. Atqui huiusmodi sunt cætera in logica: cum quævis recta definitio, divisio, propositio aptari possit in præmissam syllogismi recti: ergo cætera sunt objectum attributi. Ex dictis

XLVIII. Dico 5. Auctores illi, qui cum Scoto, Oviedo, Suarez Lusitano, aliisque recentioribus, sequentibus Albertum Magnum, Sotum, & alios Thomistas cum Bonapæ, sustinent, objectum attributionis in logica esse syllogismum rectum; vel nobiscum sentiunt, puta, si intelligant de syllogismo inadæquate accepto, idest quoad præmissas: vel, si id asserant de syllogismo adæquate sumpto, impugnantur: quia cõclusio nequit esse objectum attributionis in logica, cum non sit ejus objectum immediatum: ergo nec syllogismus adæquate acceptus, idest secundum omnes sui partes: quia inter alias sui partes syllogismus importat conclusionem.

Dico 6. Illi vero auctores, qui cum Lynceo contendunt, objectum attributionis in logica esse veritatem, impugnantur: quia, vel loquuntur de veritate, quæ reperitur in præmissis rectis, & consideratur, ut in earum rectitudine inclusa, adeoque ut pars rectitudinis: cum nequeat præmissa esse recta, nisi sit vera, ut dictum est supra: vel loquuntur de veritate, quæ reperitur in conclusione.

*Ant. Forti.*

Si

Si primum ; nobiscum sentiunt : si secundum ; contra est , quia conclusio , adeoque & veritas , quæ per conclusionem acquiritur , nequit esse objectum attributionis , cum non sit objectum immediate artefactum regulis logicæ , ut supra probatum est .

## ARTICULUS XIV.

Solvuntur objectiones pro syllogismo demonstrativo.

**XLIX.** **O**BJicies 1. Cum Molina, Hurtado, Olzina, Arriaga, Polizzio, & aliis: omnia, quæ tractantur in logica, ordinantur ad demonstrationem, seu ad syllogismum demonstrativum: sive de cætero hic adæquate sumatur, sive saltem inadæquate, scilicet quoad præmissas: ergo hic solus est objectum attributionis in logica.

Respondeo, nego antecedens: syllogismus enim probabilis, idest constans ex præmissis non certis, & evidentibus, sed solummodo probabilibus, & generans opinionem, non ordinatur in praxi ad syllogismum demonstrativum: cum non sit ejus pars, nec proprietas, nec aliquod necessario ad ipsum præquisitum.

Objicies 2. syllogismus probabilis est imperfectior demonstrativo: ergo ordinatur ad ejus fabricam: ergo solus syllogismus demonstrativus est objectum attributionis in logica.

Respondeo, nego primam consequentiam: quæ non video, quo jure ex antecedente deduci possit. Et sane assignetur, quomodo syllogismus demonstrativus ex syllogismo mere probabili, præcise ut tali, possit regulis logicæ immediate consurgere.

Objicies 3. Cognitio speciei minus perfectæ confert ad meliorem cognitionem speciei magis perfectæ: ergo cognitio syllogismi probabilis, utpote speciei imperfectioris, confert ad cognitionem demonstrativi, utpote perfectioris: ergo syllogismus demonstrativus tantum erit objectum attributionis.

Respondeo, distingo antecedens: confert mutuo, concedo: non mutuo, nego antecedens: & distingo primum consequens eodem modo: & mutuo, concedo; non mutuo, nego primam, & secundam consequentiam. Cognitio syllogismi probabilis, utpote speciei minus perfectæ, confert quidem ad cognitionem syllogismi demonstrativi, quippe speciei magis perfectæ: sunt enim correlativa, ad modum lucis intellectualis majoris, & minoris: & negari non potest, quod sicuti, cognita essentia lucis minoris

Phil. Neg. Log.

H h

faci-

facile cognoscitur essentia lucis majoris ; ita , & viceversa , cognita hac , & quoque illa facile cognoscatur : sic etiam cognitio creatoris ad cognitionem creaturæ confert , & viceversa : unde , quantum est præcise ex hoc capite , non videtur , quare potius syllogismus probabilis ad demonstrativum , quam demonstrativus ad probabilem ordinari reputetur . Quod si dicas hoc ex logicorum placito ; id gratis assumes , & petendo principium : cum , præsertim in hoc statu , magis obvius , & consequenter utilior videatur syllogismus probabilis , quam syllogismus demonstrativus : quatenus in via regulariter demonstrationes , & evidentia rarissima sunt intellectui nostrati : opiniones vero , idest probabiles conclusiones , frequentiores : utinam & errores non frequentissimi ! Accedit , quod , si ratio objecti attributionis præcise ex nobilitate desumi velit , non omnis demonstratio , sed demonstratio duntaxat a priori , & omnium perfectissima , logicæ objectum nuncupari deberet .

L. Hinc , si nomine objecti attributionis in logica intelligatur illud opus logicum , ad cuius notitiam ordinantur cætera , non e converso ( ut quidam explicare videntur objectum attributionis , & attributi ) nullum est in logica objectum attributionis , & attributi . Nam vel sensus est de ordinatione mere per deputationem extrinsecam , vel de ordinatione ex intrinsecis suis . Si primum ; unde constat in logica , etiam in cognoscendo , ordinari ab extrinseco , & ex mero placito logicorum , cognitionem omnium aliorum præcise ad cognitionem solius syllogismi demonstrativi ? ergo , cum ex una parte id non constet in logica : ex altera parte quævis scientia , natura sua , etiam si consideretur præcise ut speculativa , non minus deficiat per carentiam cognitionis objecti perfectioris , quam objecti imperfectioris : ut non minus deficit homo per defectum corporis , aut unionis , ac deficiat per defectum animæ , quæ utrunque longè superat in perfectione ; adeoque cum hominum , qui naturaliter scire desiderant , scientia quævis , præcise ut speculativa , omnium suorum objectorum , contemplationem æque primario inquirere possit , quo sit completa , integraque ; dicendum non est , quod per deputationem , etiam ad placitum , & pure extrinsecam , homines in logica intenderint , omnium aliorum cognitionem ordinare ad cognitionem solius syllogismi demonstrativi , etiam si potuissent : sicut dicendum non est , omnia ordinasse ad cognitionem solius syllogismi probabi-

babilis, aut solius definitionis, aut solius divisionis, ut quidem potuissent: cum talis ordinatio, omnino libera, & arbitraria non repugnet.

LI. Obijcies 4. Finis extrinsecus logicæ est sola cognitio scientifica, idest veritas per scientiam possessa: ergo finis intrinsecus, & objectum attributionis, est solus syllogismus, quo veritas scientifice acquiritur, idest syllogismus demonstrativus.

Respondeo, nego antecedens: finis enim extrinsecus logicæ est veritas, seu evidens, seu probabilis; nimirum vel per scientiam, vel per opinionem acquisita: adeoque ejus objectum est instrumentum veritatis, modo præexplicato, non ipsa hæc veritas, quæ in scientia, aut in opinione, scilicet in conclusione evidenti, aut probabili reperitur. Quando autem dicitur, objectum logicæ esse instrumentum sciendi; vel *Tò*, instrumentum sciendi, sumitur late: in quo sensu quælibet cognitio vera dicitur scientia, & scire dicimus, quæ opinamur, & credimus: vel, si sumatur stricte, dicitur cumulative, non exclusive: sicut etiam, cum dicitur logica janua, organumque scientiarum, idest cognitionum evidentium rei per causas; si sensus est rigorosus, non dicitur cum exclusionem opinionum verarum: cum logica in universum sit janua, & organum veritatis, prout in hoc statu acquiri potest; ideoque a Marco Tullio ars nuncupetur, veri, & falsi disceptatrix, ac iudex: adeoque, licet sit janua, organumque scientiarum, est etiam logica janua, organumque opinionum.

Obijcies 5. Cognitio probabilis non est per se bona intellectui: ergo logica non habet pro objecto attributionis præmissa syllogismi recti probabilis, sed tantum syllogismi demonstrativi.

Respondeo, nego antecedens: ex suppositione enim, quod commodè haberi nequeat cognitio demonstrativa, quæ est majus bonum, ut passim contingit in hac vita; bona est intellectui veritas, saltem per cognitionem probabilem acquisita. Sic lumen, ut quatuor, est bonum oculo, ex suppositione, quod non possit sibi facile cōparare lumen, ut sex: & usus conspiciolorum est bonus oculo, ex suppositione, quod potentia visiva sit hebetata.

## ARTICULUS XV.

Solvuntur Objectiones pro sola definitione.

LII. **O**bjicies 1. Cum Comptono: definitio est instrumentum sciendi, omnium perfectissimum; ergo sola definitio est objectum attributionis in logica.

Respondeo, transmissio antecedente, nego consequentiam: aliunde enim, non præcise ex nobilitate, ratio objecti attributionis petenda est. Definitio practice ordinatur ad syllogismum construendum, cujus potest esse pars: non ita syllogismus ad definitionem: neque enim est pars definitionis. Dixi, transmissio antecedente: nam, in ordine ad nos, syllogismus, per quem acquirimus scientiam, quæ negari non potest, ex suppositione præmissarum; videtur esse instrumentum sciendi utilius, atque præstantius.

Objicies 2. Definitio, formaliter sumpta, non dicit, esse partem syllogismi, quia, ut talis præcise, est oratio explicans naturæ: ergo non ordinatur ad syllogismum.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam: lapis expolitus, licet in suo conceptu, & formaliter non dicat, esse partem parietis; quia tamen aptus est ad parietem construendum, dicitur ad hujus fabricam ordinari: ita & definitio ad fabricam syllogismi, præsertim demonstrativi, licet etiam possit esse pars syllogismi probabilis, ut in hoc syllogismo, aut in alio simili: *Omnis homo est animal rationale: sed ille, qui a longe movetur, est homo: ergo ille, qui a longe movetur, est animal rationale.*

Objicies 3. Definitio, non secundum se totam, sed secundum partem, idest secundum solam differentiam, est pars syllogismi demonstrativi: ergo non ordinatur ad illum.

Respondeo, nego antecedens: primo, quia definitio est cognitio essentialiter indivisibilis: secundo, quia aliquod inferri potest indivisibiliter tum ex genere, tum ex differentia: quanvis, ut notant aliqui, satis esset, si definitio, secundum sui prædicatum formale, & nobilius, ordinaretur ad machinam syllogismi.

A R-

## ARTICULUS XVI.

Analysis prædictorum in argumenta negativa.

LIII. **D**ico 1. Quæ hætenus a nobis allata sunt in hac *disputatione* s. quoad objectum logicæ materiale, & formale: & quoad objectum attributionis, & attributi, in favorem Secundæ operationis intellectus rectæ: ac Præmissarum syllogismi recti; eo tandem resolvuntur: quia ex una parte hæc habent omnes conditiones requisitas ad hujusmodi objectum: cum non sit assignabile requisitum, quod illis desit: nec ulla sit efficax ratio, aut necessitas, cum non sit assignabilis, idest non appareat, quare objectum materiale, & formale debeant realiter inter se distinguui: & quare non sufficiat mera distinctio formalis ex parte actus: ex altera parte nihil ab his diversum est assignabile, in quo prædicta omnia requisita commodius, aut saltem æque commode reperiantur: ergo hæc sola sunt hujusmodi objectum, de quo præsens est controversia. Quæ autem ab adversariis assignantur pro tali objecto, non potest explicari, idest non apparet, quomodo fungi possint prædicto munere: cum, vel non sint formale instrumentum veritatis, atque scientiæ: non enim apparet, quomodo talia dici possint apprehensio, voces externæ, & similia; quin etiam talia reputari queant pleræquæ ab ipsis adversariis pernegata, cujusmodi sunt imaginatio, phantasma, pictura, & alia id genus: vel sint opus sublequens infallibiliter ad secundam operationem rectam: adeoque non videtur, quomodo dici possint opus immediatum logicæ; si videlicet inter ipsa, & logicam intercedat aliud opus prius, ad quod illa subsequantur infallibiliter, absque novo artificio logicali, quod sane in ordine ad ipsa nullum est assignabile. Hujusmodi autem sunt tertia operatio, seu conclusio: concreta illa, intellectus, seu natura intellectiva recte intelligens, aut recte operans: res recte definitæ, divisæ, illatæ: & similia.

LIV. Dico 2. Adversariorum rationes contra nos, pro objectis, quæ ipsi assignant, eo tandem resolvuntur: primo, quia non est major ratio (cum non sit assignabilis) quare secunda operatio intellectus sit objectum logicæ immediatum, non autem prima, & tertia operatio intellectus: cum aliunde logica dicatur facultas operationum intellectus directiva: cumque in logica de tribus operationibus intellectus sermo sit:

-Hæc

sit: multaque de tribus operationibus intellectus præcepta recensentur, quorum quædam, si non supra primam, & tertiam operationem cadant, non est assignabile, quid agant, vel quo immediate, & per se colliment.

Secundo, quia non est assignabile, quomodo in logica de termino, etiam vocali externo, sermo sit, quin dicatur logica immediate respicere, ut opus suum, voces etiam externas recte coordinatas ad definiendum, dividendum, argumentandum.

Tertio, quia non est assignabile, quare, in quibusdam saltem aliis facultatibus practicis, objectum, seu opus immediatum dicatur esse concretum aliquod, constatum ex objecto materiali, & formali, realiter inter se distinctis, cujusmodi cōmode esse possunt respectu logicæ intellectus, seu natura intellectiva recte intelligens, aut recte operans, aut res recte cognita: quæ concreta habent in sua linea subjectum, seu materiam, & formam, seu figuram rectam, quæ in subjectum intrinsece, aut extrinsece introducatur modo suo, ad ejus melioritatem, atque perfectionem; non autem in logica sit discurrendum eodem modo: ergo aliquod ex prædictis est objectum logicæ practicæ, ut practicæ, quod inquirimus.

#### Corollarium.

Sed prædicta omnia argumentata, tam nostra, quam adversariorum contra nos, argumenta sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. Ergo in hac *disp.* 5. de objecto logicæ in genere, tam nos, quam adversarii philosophando procedimus Negative.



QUAR-

De logica penes objectum suum in specie.

*Primo, de propositione in materia possibili, & impossibili.*

*Secundo, de propositione universali, & particulari.*

*Tertio, de propositione univoca, equivoca,*

*analogica. Quarto, de propositione compa-*

*rativa, seu relativa. Quinto, de*

*propositione vera, & falsa.*

*Sexto, de propositione*

*syllogistica.*

## DISPUTATIO VI.

De propositione in materia possibili, & impossibili,  
ubi

De ente rationis logico, & metaphysico.

### ARTICULUS I.

De propositione in materia possibili, ubi de ente  
rationis logico.

I. **D**Ico 1. Propositio in materia possibili, est, propositio habens objectum reale: seu, est propositio constituens cum objecto ens rationis logicum: seu, ut alii loquuntur, constituens cum objecto concretum logicum. Jam, ut id cum terminis clarius explicetur, statuendum prius est, quid sit ens rationis in communi (si per analogiam, & proportionem ad ens reale, philosophari velimus) est autem, quod habet capacitatem ad existendum in ratione, idest in intellectu, seu pro statu objectivo rationis, seu intellectus, qui proprie, juxta Aristotelem, & Divum Thomam, ut notat Hurtadus, ratio nuncupatur: seu, ut alii explicant, ens rationis in communi est, quod si existat in ratione, non sequuntur duo contradictoria. Videtur hæc explicatio non respuenda: quia ens reale in communi est, quod habet capacitatem ad existendum realiter, idest, pro statu reali: ergo ens rationis in communi, proportionem servata, erit, quod habet capacitatem ad existendum intentionaliter, idest pro statu



statu objectivo rationis . Adeoque sicut ens reale , si actu existat pro statu reali , dicitur ens actuale , seu ens in actu : si vero actu non existat , dicitur ens reale possibile , seu potentiale , seu in potentia ; ita quidquid cognoscibile est , si actu existat in ratione , seu pro statu objectivo rationis , idest si actu cognoscatur ; dicitur ens rationis actuale : si vero non actu cognoscatur , dicitur , ut cognoscibile , ens rationis possibile , seu potentiale , seu in potentia : similis enim est ratio , adeoque & similis loquendi modus usurpari philosophice poterit . Quibus explicatis ,

II. Dico 2. Ens rationis logicum est , ens reale , habens capacitatem ad existendum objective in ratione : quod quidem actuale erit , si actu sit pro statu objectivo rationis : potentiale vero , si non actu existat pro tali statu . Assertio satis deducitur ex prædictis . Jam dicitur primo , ens reale , puta , seu positivum , & proprium ; sive abusivum , & improprium , privativum , seu negativum : & quidem sive actuale , sive potentiale illud sit . Itaque ens rationis logicum actuale erit hoc concretum , Petrus cognitus : quia Petrus est ens reale positivum actuale , actu cognitum . Ens rationis logicum actuale erit hoc concretum , Antichristus cognitus : quia Antichristus est ens reale positivum possibile , quanvis non actuale , actu tamen cognitum . Ens rationis logicum actuale erit hoc concretum , tenebræ cognitæ : quia tenebræ sunt ens reale abusivum privativum (quippe carentia contingens lucis) actuale , actu cognitum . Ens rationis logicum actuale erit hoc concretum , carentia alterius Dei cognita : quia carentia alterius Dei est ens reale abusivum negativum (quippe carentia necessaria) actuale , actu cognitum . Hæc autem omnia erunt ens rationis logicum potentiale , si considerentur prout concretum resultans ex ipsismet entibus , & ex eorundem cognitione potentiâ , seu possibili , non autem actu existente . Dicitur secundo , objective in ratione , quia nec , quod est effective in ratione , quatenus scilicet efficitur productivè ab intellectu , cujusmodi est cognitio : nec , quod est subjective in ratione , quatenus videlicet subjectatur in hæc sive in intellectu , cujusmodi est ipsa cognitio ; venit hoc loco nomine entis rationis , de quo agimus : licet hæc etiam ens rationis dici aliquo modo possent .

III. Dico 3. Ens rationis , modo a nobis explicato , dici etiam solet secunda intentio objectiva , juxta sensum traditum in summis , ubi de termino primæ , & secundæ intentionis : quanvis ,

*Ant. Forti.*

pro-

proprie loquendo, ut notat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. intentio non sit actus intellectus, sed tendentia quædam actus voluntatis, per quam hæc fertur in suum objectum. Ubi notandum etiam, ex eodem D. Thoma *quæst.* 21. *de veritate*, quod quandoque etiam objectum ipsum potentia appetitiva vocari soleat intentio: sic messis, intentio, idest finis agricolæ; & lucrum, intentio, idest finis mercatoris, ne dum vulgo, sed & apud philosophos nuncupatur. Quibus præexplicatis,

Dico 4. Cognitio, per se ipsam, abique alia nova entitate, denominat suum objectum cognitum: adeoque simul cum objecto reali constituit concretum prædictum, quod est ens reale cognitum, & ens rationis logicum appellatur, importans in recto, & de materiali ipsum ens reale; in obliquo, & de formali cognitionem. Est sententia communior: & probatur, quia per hoc præcise, quod habeatur in intellectu cognitio directa, aut reflexa, versans circa aliquod objectum, idest illud repræsentans modo suo, illico objectum illud denominatur, directe, aut reflexe cognitum, & quidem formaliter tale, non fundamentaliter tantum, ut contendunt adversarii. Enimvero, quod ulterius requiratur aliquid aliud intrinsecum ipsi objecto, ut hoc denominetur formaliter cognitum: quodque cognitio debeat in objecto, quod repræsentat, aliquid intrinsece producere, vel effingere, omnino gratis assumitur, quippe abique ulla necessitate, aut solida ratione. Et sane hoc intrinsecum vel requiritur præcise ex conceptu denominationis: vel præcise ex conceptu denominationis, cogniti: vel aliunde. Non primum, quia potest Deus per creationem sibi extrinsecam denominari creans angelum, ut a nobis amatus denominatur, præcise per amorem nostrum sibi extrinsecum, quippe intrinsecum nobis amantibus, non ipsi Deo amato. Non secundum, quia objecta non existentia, ut Antichristus; objecta abusiva, ut carentiæ, denominantur cognita, nec tamen possunt actu aliquod intrinsecum ipsis inhærens recipere: nihil enim existens, dum existit, potest uniri cum aliquo non existente, dum non existit; aut cum non ente, scilicet cum carentia. Non tertium, quia non est assignabile. Equidem non negaverim, plures formas, aut quasi formas, etiam accidentales, ut in suo genere denominent suum subjectum, aut quasi subjectum, esse debere intrinsecas ipsi. Verum aliunde probanda, aut supponenda est huiusmodi necessitas in huius generis formis, aut

quasi formis. Ubi autem talis necessitas non apparet ex ipsisterminis, nec ulla solida ratione deducitur, non est temere præsumenda, multiplicando unionem, entitatem, & difficultates, præsertim de causâ productivâ talis entitatis intrinsecæ in objecto cognito, quando agens cognoscitivum, ut plerunque contingit, longe distat ab objecto, quod cognoscit: & multo magis, dum simpliciter non existit. Ex dictis.

IV. Dico 5. Corruit sententia Thomistarum, & aliorum cum Soncinate, docentium, ens rationis logicum fieri per aliquod irrealle, & chimericum, seu per relationem quandam, quam effingit, & concipit intellectus, dum, reflectens supra objectum, ipsamque cognitionem, illa comparat inter se: v. g. per cognitionem A, cognoscit sidera: deinde per cognitionem B, reflexam cognoscit, sidera cognosci a se per cognitionem A, directam: adeoque cognoscit concretum logicum, conflatum ex sideribus, & ex cognitione A, referendo sidera, per effectam relationem, ad intellectum, ut cognitum ad cognoscentem. Quod idem multi, difficultate pressi, ut cohærenter procederent, asserere coacti sunt quoad similes denominationes, puta voliti, visi, auditi.

Dico 6. Corruit sententia Scotistarum, putantium, rem non solum existentem, sed etiam non existentem, immo, & nunquam extitutam, denominari cognitam per quandam entitatem, (ipsi vocant ens diminutum, semireale, imperfectum) intrinsece resultantem ab ipsa cognitione, dependentem ab intellectu in fieri, & conservari. Pro qua citant Scotum. Ad quam opinionem cohærenter discurrunt aliqui, etiam quoad denominationes, voliti, visi, auditi.

V. Dico 7. Aliqui sententiam communem, & nostram, probare contendunt autoritate Aristotelis *cap. de his, quæ ad aliquid tex. 21.* ubi docet, scibile, & intelligibile significare, formaliter cognitiones possibiles de objectis. Hinc enim inferunt, quod, sicut cognitio potens repræsentare objecta, dicitur eorum scibilitas, & cognoscibilitas, quanvis extrinseca: & satis denominat objecta scibilia, & cognoscibilia; ita esse scitum, & esse cognitum, importat formaliter cognitiones actuales de iisdem objectis: unde inferunt, satis denominari objecta cognita, per hoc præcise, quod actu existat cognitio de illis, independentem ab omni alia entitate intrinseca objectis, aut diminuta, aut effecta, quomodocunque vocetur.

Sed

Sed contra est : quia locus hic Aristotelicus vere non videtur evincere intentum : posset enim ab adversariis responderi, proportionem servata, de denominatione cognoscibilis, & de denominatione cogniti : quod nimirum sicut, per ipsos, cognitio actu existens denominat objectum cognitum, non specificative sumpta, sed reduplicative, prout sufficienter applicata suo objecto; ita cognitio possibilis denominat cognoscibile, prout applicabilis eidem objecto : Applicatur autem cognitio ad objectum denominandum cognitum, per aliquid aliud, quod sit vel intrinsecum ipsi objecto, vel ens diminutum, aut aliud ens relativum effectum, aut aliquid aliud, pro opinionum varietate. Igitur tandem aliquando non poterunt adversarii aliter impugnari, nisi, quia nulla est necessitas ponendi hoc aliquid aliud, quodcunque, & qualecunque illud sit : cum cognitio, quippe ex intrinsicis suis expressio sui objecti, adeoque relativa ad ipsum; per hoc præcise, quod existat in intellectu aliqui apto, intelligatur denominare objectum suum cognitum, expressum, representatum, existens pro statu objectivo: adeoque ens rationis actuale logicum, si objectum sit ens reale : si irrealis, cognitio erit in materia impossibili.

Jam deinceps sermo

erit



DE PROPOSITIONE IN MATERIA IMPOSSIBILI,  
ubi

De ente rationis metaphysico.

*Primo, quid sit propositio in materia impossibili, ubi quid sit ens rationis metaphysicum. Secundo, an detur defacto ens rationis metaphysicum. Tertio, quotuplex sit propositio in materia impossibili. Quarto, quinam intellectus possit chimerezare. Quinto, an voluntas possit suo modo attingere objectum impossibile, ab omni ente reali contradistinctum. Sexto, an id possit oculus, in sua linea.*

## A R T I C U L U S II.

*Quid sit propositio in materia impossibili,  
ubi  
quid sit ens rationis metaphysicum.*

VI. **D**ico. I. Proportionem servatam ad hactenus traditam de propositione in materia possibili, propositio in materia impossibili est propositio habens objectum irrealē: quod quidem propositio constituit cum huiusmodi suo objecto ens rationis metaphysicum, modo jam explicando. Definiri itaque poterit ens rationis metaphysicum: ens irrealē, habens capacitatem ad existendum objective in ratione seu brevius, irrealē intelligibile. Quod quidem ens rationis metaphysicum, actuale erit, si actu existat pro statu objetivo rationis, id est si actu intelligatur: potentiale vero, si non actu existat pro tali statu, id est si non actu intelligatur, ut notant recentiores quidam apud Oviędum *contr. 11. metaph. punct. 1. num. 3.* sicut ens reale, prout præscindens ab actuali, & potenciali, est intelligibile existibile: quod quidem ens reale, actuale est, si actu existat pro statu reali: potentiale vero, si non actu existat pro tali statu. Versatur autem propositio, circa objectum suum irrealē, denominative, quatenus illud denominat suo modo cognitum, & constituit cum eodem ens rationis metaphysicum, ut constat ex dictis art. superiore. Hinc

VII. Dico

VII. Dico 2. Facile colligi poterit sensus definitionis, seu descriptionis illius celeberrimæ, ex Averroe 6. *metaph. comment.* 3. juxta principia aristotelica, qua dicitur, ens rationis metaphysicum esse illud, quod habet esse objective tantum, in intellectu. Est enim sensus, ut notat Suarez *disp.* 14. *metaph. sect.* 1. *num.* 6. ens rationis metaphysicum, solum posse habere esse objective; idest esse tale objectum, ut præter hoc, quod est esse actu, vel potentia objective, idest præter hoc, quod possit terminare aliquem actum potentiæ intentionalis, ut objectum; nullum aliud habeat esse reale: & quidem nec actuale, nec potentiale, nec positivum, nec abusivum. Itaque definitum per dictam veterum definitionem est irreale intelligibile: sive de cætero actu intelligatur, sive non: quia per Tò, *id quod habet esse objective tantum*, significatur irreale: per Tò, *intelligibile*, significatur, in intellectu, seu actu, sive potentia, juxta superius tradita.

Dico 3. Particula illa, *tantum*, in prædicta definitione, cadit supra, *esse objectivum*, non vero supra, *intellectum*: idest excludit omne aliud esse, præter objectivum: non vero alias omnes potentias, præter intellectum. Nam, si aliquod impossibile cognoscatur simul ab intellectu, & ametur a voluntate, & nominetur a potentia locutiva, & videatur ab oculo; utique ens rationis metaphysicum dici poterit: sed non unice ens rationis metaphysicum, seu intellectus: erit enim etiam ens metaphysicum, voluntatis, potentiæ locutivæ, visivæ: ideoque sensus antiquæ definitionis est, quod habet esse objective tantum, non vero in intellectu tantum. Hinc

VIII. Dico 4. Ens metaphysicum voluntatis definiri suo modo poterit: irreale capax ad existendum objective in voluntate, idest irreale, volibile, nolibile. Ens rationis metaphysicum oculi: irreale capax ad existendum objective in oculo, idest irreale visibile: ita ut Tò, irreale, sit veluti genus; Tò, volibile, visibile &c. sit veluti differentia. Licet possit etiam sub alia consideratione concipi volibile, nolibile, visibile, ut genus; & irreale, ut differentia: si dicatur, irreale aliud est volibile, & nolibile, aliud non tale; aliud visibile, aliud invisibile.

Dico 5. Prædicta definitio verificatur indivisibiliter de toto concreto, scilicet de impossibili, & intellectu, seu cognitione, aut intelligibilitate, & cognoscibilitate: sed non eodem modo de utraque parte; competit enim impossibili, ut subjecto de.

denominato ; cognitioni, seu cognoscibilitati, ut formæ denominanti: adeoque de illo verificatur, veluti in recto; de hac, in obliquo, ut aliæ definitiones aliorum similium concretorum.

## A R T I C U L U S III.

Solvuntur objectiones.

IX. **O**bjicies 1. Si propositio, seu cognitio esset pars constitutiva alicujus entis rationis metaphysici, sequeretur, quod hoc non haberet esse objective tantum, in intellectu, sed etiam subjective. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur, quia cognitio habet esse subjective in intellectu.

Respondeo, nego sequelam majoris: quia totum quandoque recipit absolute denominationem unam, non aliam, ab aliqua sua parte: sic Petrus cognitus, sicut & Petrus visus, a forma hujus concreti, quæ est cognitio, & visio, denominatur existens objective in intellectu, & in oculo; non vero denominatur existens subjective. Et ratio est, quia cognitio, & visio sunt representatio objecti, non vero illius subjectatio; adeoque illud denominant representatum, non vero subjectatum.

Objicies 2. Si cognitio esset pars alicujus entis rationis metaphysici, hoc non posset dici ens fictum, irreale, chimericum, impossibile, repugnans, implicans contradictionem: sed tale communiter appellari solet: ergo propositio, seu cognitio nequit esse pars constitutiva entis rationis metaphysici.

Respondeo, nego majorem, quia quandoque totum recipit denominationem ab una parte: simili modo, quo, cum dicitur: pila tangit planum, quod quidem pila tangit secundum suam partem valde exiguum: & hoc concretum, album, dicitur esse dependenter ab albedine: quod quidem verificatur de concreto, sed ratione formæ, idest albedinis; non vero ratione subjecti, scilicet parietis, quod independenter ab albedine jam existeret.

Ita ens rationis metaphysicum, si dicatur quandoque, absolute loquendo, impossibile, irreale; hanc denominationem habet ratione subjecti: si dicatur fictum, chimericum; hanc denominationem recipit a forma, quæ esse potest cognitio fingens, & chimerizans: quæ sane cognitio, licet extrinseca sit impossibili, intrinseca tamen est enti rationis, idest, toti concreto, quippe ejus pars constitutiva.

X. Obj

X. **Objicies 3.** Quando dicitur quod cognitio sit pars entis rationis metaphysici, vel sensus est de ente rationis actuali, vel potentiali, vel de utroque: nullum dici potest: ergo cognitio non est pars entis rationis metaphysici.

Respondeo, nego minorem: & dico, de utroque, cum distributione accommodata: nam cognitio actualis est pars entis rationis metaphysici actualis; cum sit pars hujus concreti, quod est, irreale intellectum, seu cognitum: cognitio potentialis est pars entis rationis metaphysici potentialis, quia est pars hujus concreti, quod est irreale intelligibile, seu cognoscibile; quatenus reduplicat intelligibilitatem, seu cognoscibilitatem, ut quo, extrinsecam, quæ est intellectio, seu cognitio, potens illud repræsentare, juxta ea, quæ innuebam *art. 1. de ente rationis etiam logico.*

**Objicies 4.** Alius mundus, & tenebræ cognitæ nullum aliud habent esse, præter objectivum; & tamen non sunt entia rationis metaphysica: ergo tradita definitio entis rationis metaphysici competit alteri a definito.

Respondeo, nego primam partem antecedentis. Alius mundus, præter esse objectivum, habet esse reale potentiale: quod est, esse ens reale absolute, & simpliciter dictum, juxta ea, quæ dicuntur in metaphysicis: tenebræ habent esse reale abusivum: quod tale est, ut, licet tenebræ per ipsum non dicantur substantialiter, absolute, & simpliciter, & sine addito, ens, sed cum addito, ens abusivum; nihilominus dicantur absolute, & simpliciter, & sine addito, verbaliter, esse: ut constat ex illo *Gen. cap. 1. v. 2.* ubi dicitur: *& tenebræ erant super faciem abyssi.*

**Objicies 5.** Quando dicitur: quinque homines tantum sunt in hac aula, non excluduntur homines picti; sed veri homines: ergo, cum dicitur: ens rationis est illud, quod habet esse objective tantum; per particulam, tantum, non excluditur esse abusivum, & improprium, sed quodlibet aliud esse positivum, & proprium.

Respondeo, negando consequentiam: disparitas est, quia homines picti non dicuntur absolute, simpliciter, & sine addito, homines: at entia abusiva dicuntur absolute, simpliciter, & sine addito, esse: ut dictum est ad superiorem instantiam.

XI. **Objicies 6.** Si cognitio objecti impossibilis poneretur in lapide, utique haberetur ens rationis; & tamen non esset objective tantum, in intellectu; ergo falsa est tradita definitio entis rationis metaphysici.

Re.



Respondeo in primis, transmissa prima parte antecedentis, nego secundam ejus partem : vel, secundo, nego primam partem, antecedentis. In tali enim casu, vel dici pollet objective in intellectu, præcise per hoc, quod esset objectum intellectionis, sumpta causa pro effectu, & viceversa : vel, si hoc non sufficit, illud non esset ens rationis, a veteribus definitum, de quo præsens est controversia. Quæstio videtur esse de nomine.

Objicies 7. Sub prædicta definitione, vel includuntur entia realia cognita, seu secundæ intentiones objectivæ, ac denominationes cogniti, subiecti prædicati, vel non : neutrum dici potest : ergo definitio non est bona.

Respondeo, nego minorem, & eligo partem negativam, cum Hurtado, Arriaga, Suarez, & aliis, præsertim recentioribus, contra Durandum in 1. *distin.* 29. *quest.* 3. & alios Thomistas. Nam vel sermo est de eo, quod concreta prædicta important materialiter, & in recto : vel de eo, quod important formaliter, & in obliquo. Si primum, sunt ipsa entia realia : si secundum, sunt ipsæ cognitiones, ex supradictis *art.* 1.

Objicies 8. Hujusmodi definitio vel competit enti reali, cognito ad modum alterius, vel non : neutrum : ergo non est bona definitio entis rationis metaphysici.

Respondeo, negando minorem : & dico cum Suarez citato, & Oviedo, illam competere enti reali, cognito ad modum alterius identice, seu per identitatem ; non enti reali, cognito ad modum alterius suppositive, seu per suppositionem : siquidem ens reale identificatum cum altero, quod non est ipsum, est impossibile : non vero impossibile est ens reale, quando cognoscitur ad modum alterius, per meram suppositionem, v.g. angelus ad modum juvenis alati : cum inde in nobis mere excitetur species angeli, pro quo juvenis alatus substituitur ad modum signi.

XII. Objicies 9. Objectum reale non existens, cognitum ut existens, v. g. cursus Petri non currentis, vel comprehenditur prædicta veterum definitione, vel non : neutrum : ergo prædicta definitio est falsa.

Respondeo, nego minorem : & dico, vel sermo est de non existente, cognito ut existente in sensu diviso ; vel in sensu conjuncto. Si primum, responsio est negativa : si secundum, affirmativa.

*Ant. Forti.*

*mati.*

mativa: ratio est, quia implicat, idem simul existere, & non existere: non implicat vero, quod id, quod nunc non existit contingenter, existat contingenter in aliis circumstantiis.

Objicies 10. Negatio Dei v. g. est impossibile intelligibile cognitum, & tamen non habet esse objective tantum, in intellectu: ergo falsificatur tradita definitio entis rationis metaphysici. Antecedens probatur: nam negatio Dei non est, quia est non ens: ergo non habet esse objective tantum, in intellectu.

Respondeo, nego antecedens, quoad secundam partem: ad ejus probationem dico, hoc ipsum esse negativum chimericum intelligibile, dici posse esse objective tantum, id est impossibile cognoscibile: adeoque in forma, ad probationem antecedentis, concesso antecedente, nego consequentiam.

Objicies 11. irreale intelligibile, si actu non intelligatur, non est ens rationis metaphysicum, opus nimirum, seu partus, seu concretum rationis, sed potius potens esse opus rationis, id est potens esse tale ens: ergo conceptus entis rationis non competit, nisi actuali. Antecedens probatur: homo, præcise ut pingibilis, si actu non sit pictus, non potest dici suo modo ens pictoriæ: quia hoc debet esse opus, & partus pictoriæ: si actu non videatur, non potest dici, ens oculi: ergo impossibile, præcise ut cognoscibile, si actu non cognoscatur, non potest dici ens rationis.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego iterum antecedens: vel, ad æquivocationes tollendas, distinguo: non sunt talia in actu, concedo; in potentia, nego antecedens, & consequentiam. Si in ordine ad hæc velimus discurrere proportionem servata ad ens reale, quod est opus, seu partus omnipotentis; sicut hoc tale dicitur, sive de cætero actu existat a parte rei, sive solum in potentia, ut Antichristus, de quo dicitur cum veritate: Antichristus est ens: neque hæc reputatur propositio de subiecto non supponente, si proferatur in tali sensu: quia non supponit actualem existentiam Antichristi: cum non significet aliud, nisi, quod Antichristus sit capax ad existendum; seu quod, si existeret, non involveret duo contradictoria: aliter nec dici poterit cum veritate ab adversariis: Antichristus est potens esse ens; sic etiam in casu nostro, & in exemplis allatis absque ullo absurdo philosophandum.

Et sane, si ens reale in potentia, non posset absolute, & simpliciter dici ens, & habere, esse ens in potentia, nec posset dici ab-

*Phil. Neg. Log.*

K k

solu-

solute , & simpliciter habere esse reale ; sequeretur , quod possibile non existens cognitum , haberet esse objective tantum : quia præter hoc , quod est terminare cognitionem , nullum aliud haberet esse absolute , & simpliciter dictum & reale . Hæc autem sequela non conceditur ab adversariis , quorum est objectio præfens .

XIII. Objicies 12. Quod actu non terminat cognitionem , non potest dici , quod habeat esse objectivum : ergo . Antecedens probatur : quod actu non habet albedinem , non potest dici album : ergo .

Respondeo , nego antecedens ; vel distingo : non potest dici , quod habeat esse objectivum actuale , concedo ; potentiale , nego antecedens , & consequentiam . Ad probationem antecedentis , concesso antecedente , nego consequentiam . Disparitas desumitur ex vocum significatione : quia aliunde habemus , extra omnem controversiam , quod hæc vox , album , ex institutione auctorum linguæ , imposita sit ad significandum habens albedinem , non autem dealbabile præcise : hæc autem vox , esse objectivum , seu esse ens rationis , significat posse terminare cognitionem , si velimus discurrere , servata proportionem ad ens reale , ad cujus similitudinem dicitur ens rationis , cum sit ens quoddam falsum & apparens , adeoque veluti affectans similitudinem cum ente reali . Ceterum , si , juxta hanc eandem proportionem , philosophice loquendo , definire quis velit ens albedinis , seu ens albificationis , dicere utique poterit , hoc esse ens dealbabile , seu albificabile , idest , habens capacitatem ad unionem , & denominationem albedinis . Itaque ad summum argumentum probat , quod irrealis , nisi terminet cognitionem , non possit dici cognitum , sed solummodo cognoscibile .

Objicies 13. Ens rationis metaphysicum potest aliter melius definiri : ergo male a nobis explicatur modo prædicto .

Respondeo , nego antecedens ; ideoque sit , opportune digrediendo ,

A R-

A R T I C U L U S IV.

Varia entis rationis metaphysici definitiones referuntur,  
& impugnantur.

*Prima definitio entis rationis metaphysici.*

XIV. **D**ico 1. Alii aliter definiunt ens rationis metaphysicum, seu aliter explicant veterum definitionem, prædictam de ente rationis metaphysico. Jam prima definitio est: ens rationis metaphysicum esse impossibile cognitum. Ita communiter tum veteres, tum recentiores.

Contra hanc definitionem est, quia non competit omni definito: non enim competit enti rationis potentiali, ut constat ex supra dictis.

*Secunda definitio entis rationis metaphysici.*

Dico 2. Secunda definitio est: ens rationis metaphysicum esse illud, quod nequit aliquid efficere: neque inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentia, potentis aliquid considerare. Ita Pontius *disp. 1. quest. 1. num. 7.*

Contra hanc definitionem est, quia valde obscura, & nonnisi post varias ambages explicabilis. Cæterum, si recte explicetur, illud significare videtur, quod scilicet ens rationis metaphysicum sit impossibile cognoscibile; adeoque in nostram relabitur.

*Tertia definitio entis rationis metaphysici.*

Dico 3. Tertia definitio est: ens rationis metaphysicum esse, quod præcise habet esse in intellectu considerante. Ita Scotus apud Pontium.

Contra hanc definitionem est, quia vel sermo est de quocunque esse in intellectu, tum scilicet productive, tum subjective, tum objective: vel de esse objective tantum. Si primum; competit alteri a definito, scilicet cognitionibus, saltem aliquibus: si secundum; iterum peto: vel sermo est de esse objectivo actuali, vel etiam de esse potentiali: si de actuali tantum; ergo coincidit cum prima: si etiam de potentiali; coincidit cum nostra definitione.

*Quarta definitio entis rationis metaphysici.*

XV. Dico 4. Quarta definitio est: ens rationis metaphysicum esse illud, cui repugnat realis existètia. Ita quidam Scotistæ.

Contra hanc definitionem est, quia competit alteri a definito, scilicet enti impossibili secundum se, quod, præcise qua tale, non est ens rationis metaphysicum: sicut ens reale, præcise qua tale, non est ens rationis logicum.

*Quinta definitio entis rationis metaphysici.*

Dico 5. Quinta definitio est: ens rationis metaphysicum esse id, quod cogitatur, ut ens, cum in se entitatem non habeat. Ita illud describit Suarez, cui subscribit Averſa.

Contra hanc definitionem est, quia non competit omni definito: nam etiam est ens rationis metaphysicum impossibile, cognitum ut non ens, per cognitionem verissimam, qua dicitur v. g. quarta persona Sanctissimæ Trinitatis non est ens, repugnat, est impossibilis. Deinde contra est, quia per Tò, cogitatur, non videtur competere impossibili intelligibili, non actualiter cognito; adeoque quod non cogitatur, sed est cogitabile.

*Sexta definitio entis rationis metaphysici.*

Dico 6. Sexta definitio est: ens rationis metaphysicum est, quod ab intellectu nullum aliud esse habet, nisi objectivum, seu eidem objici. Ita quidam recentiores.

Contra hanc definitionem est, quia competit alteri a definito: quodlibet enim ens reale, quod physice non producitur ab intellectu, neque eidem inhæret, ut producitur, & inhæret intellectui; sed mere est objectum intellectus, cujusmodi est Deus, homo, equus cognitus; nullum aliud esse recipit ab intellectu, nisi esse objectivum extrinsecum, idest esse in cognitione, quæ est ejusdem imago intentionalis.

*Septima definitio entis rationis metaphysici.*

XVI. Dico 7. Septima definitio est: ens rationis metaphysicum esse id, quod solum habet illud esse, quod ab intellectu cognoscitur. Ita quidam apud Oviedum.

Contra hanc definitionem est, quia competit alteri a definito, nempe omnibus, & singulis entibus realibus perfecte cognitis: quia solum habent illud esse, quod ab intellectu, illa perfecte cognoscente, cognoscitur.

*Octava definitio entis rationis metaphysici.*

Dico 8. Octava definitio est: ens rationis est illud, quod existere nequit, nisi existat aliqua cognitio, illud repræsentans. Ita quidam innominati.

Con-

Contra hanc definitionem est, quia competit alteri a definitione. Nam, vel sermo est de cognitione increata, vel de creata; vel de utraque. Si primum; ergo quodlibet ens reale est ens rationis metaphysicum: implicat enim ens ullum reale existere, nisi cognoscatur a Deo. Si secundum; contra est, quia non videtur repugnare, quod aliquod ens reale existeret a parte rei, absque eo, quod ullus ei coexisteret intellectus creatus: præterea nec videtur repugnare ens reale omni prorsus intellectui creato sibi coexistenti, saltem divinitus, incognitum; & tamen hoc ens non esset ens rationis metaphysicum. Si tertium; contra est ex utroque capite prædicto: ergo aliter definienda est essentia entis rationis: cujus deinceps investigabimus existentiam.

## A R T I C U L U S V.

An detur defacto ens rationis metaphysicum.

XVII. **D**ico 1. Status quæstionis est, an detur aliqua propositio habens objectum irrealē, contradistinctum ab omni ente reali: quod sub aliis phrasibus idem est, ac querere: an detur ens rationis metaphysicum: an impossibile sit cognoscibile, seu intelligibile: an ens rationis metaphysicum fieri, vel produci possit ab intellectu, suo modo, idest complete: an scilicet possit ab intellectu fieri, seu produci propositio, quæ compleat ens rationis metaphysicum actuale, faciendo, ut resultet hoc concretum, quod est, impossibile cognitum ab intellectu; seu impossibile intellectum. Et quidem tam affirmativa, quam negativa sententia celeberrimos habet sectatores. Negare videntur Bernardus Mirandulanus, Vallesius, Maironius, Erice, Perez, Ribadeneira, Caramuel, Sfortia Pallavicinus, Spinola, Spino, alique recentiores, quorum sententiam Lynceus lib. 9. *metaph. tract.* 1. cap. 1. num. 4. a maiore, ac meliøre parte philosophorum defendi autumat. Affirmat Suarez, qui affirmativam sententiam vocat communem. Vasquez, Rubius, Comptonus, Hurtadus, Ripalda, Isquierdo, Arriaga, Oviedus, Giattinus, Maurus, Confalonierius, Polizzius, Semeri, alique tum veteres, tum recentiores innumeri, quæ Thomistæ, quæ Scotistæ, quæ Neutrales, cum quibus equidem gradatim procedendo,

Dico

Dico 2. Non est reputanda impossibilis propositio in materia impossibili modo explicato, quæ nimirum attingat objectum irreale contradistinctum ab omni reali, v. g. alterum Deum, quartam personam Trinitatis, hominem equum. Assertio probatur: non videtur repugnare propositio existibilis, attingens objectum non existibile: ergo non videtur repugnare propositio attingens objectum irreale contradistinctum ab omni reali. Antecedens probatur: non repugnat propositio hic præsens, attingens objectum absens: propositio nunc existens, attingens objectum nunc non existens: propositio materialis, attingens objectum spirituale: propositio creata, attingens objectum increatum: propositio finita, & limitata, attingens objectum infinitum, & illimitatum: ergo non videtur repugnare propositio existibilis, attingens objectum non existibile: vel assignetur specialis repugnantia, quæ probet, quod impossibile, quod ex ipsis terminis positive convincitur implicans existere, utpote conflatum, vel radix contradictoriorum; sit etiam implicans cognosci. Quin etiam ulterius

XVIII. Dico 3. Datur defacto propositio in materia impossibili modo explicato, habens nimirum objectum irreale contradistinctum ab omni reali, adeoque datur defacto ens rationis metaphysicum. Assertio probatur: defacto intellectus format has, & similes propositiones, vel oppositas; primam, alter Deus est impossibilis: secundam, Hircocervus repugnat: tertiam, identitas inter Verbum, & creaturam non existit, nec potest existere: sed hæ propositiones sunt in materia impossibili, & habent objectum irreale, non existibile, contradistinctum ab omni reali: ergo datur defacto hujusmodi propositio: adeoque datur defacto ens rationis metaphysicum.

Antecedens probatur: illæ propositiones, & similes, vel oppositæ, nimirum; prima, alter mundus est possibilis: secunda, mons aureus non repugnat: tertia, unio hypostatice inter Verbum, & naturam angelicam non existit, sed potest existere; habent objectum reale non existens: ergo hæ propositiones; prima, alter Deus est impossibilis; secunda, Hircocervus repugnat; tertia, identitas inter Verbum, & creaturam non existit, nec potest existere; habent objectum irreale non existibile. Antecedens non negatur ab adversariis. Consequentia probatur: si hæ propositiones non haberent objectum irreale non existibile, illæ non haberent

rent objectum reale non existens : ergo , si illæ habent objectum reale non existens , hæ habent objectum irrealē non existibile . Antecedens probatur : si hæ non haberent objectum irrealē non existibile , non posset ratione impugnari , qui assereret , illas propositiones non habere objectum reale non existens : sicut enim , hæ , & huiusmodi propositiones veræ , vel falsæ , quæ circa impossibile non existibile fieri possunt , resolvuntur , & explicantur ab adversariis per objectum reale , seu existibile ; ita illæ , quæ circa possibile non existens eliciuntur , resolvi etiam , & explicari poterunt per objectum reale actuale , seu existens . Si igitur modus procedendi , connaturalis intellectui , reputatur defacto esse , ut per illas propositiones attingat objectum reale non existens ; ita , a notis ad ignota procedendo , prudenter philosophari debemus , proportionē servata , quoad has propositiones : cum aliunde vel experientia , vel ratione , non constet oppositus modus tendendi in casu nostro , in quem unice refundatur denominatio propositionis , versantis in materia impossibili , ut dicitur a dialecticis communissime . Vel igitur neganda defacto propositio in materia reali nō existente , attingēs objectum non existens ; vel admittenda etiā propositio in materia irreali nō existibili , attingens objectum non existibile : adeoque , si datur illa , hæc non videtur neganda , cohærenter philosophando . Vel assignetur ratio implicantiæ specialis , quæ probet , quod impossibile , sicut ex ipsis terminis est implicans existere , idest inexistentem , ita sit etiam implicans cognosci , idest incognoscibile .

XIX. Dico 4. Si quis non vereatur concedere , probari non posse , quod defacto propositiones relatæ , in materia possibili non existente , attingant objectum reale non existens ; mirum non erit , si dicatur etiam , nec probari posse , quod propositiones allatæ in materia impossibili , attingant objectum irrealē non existibile , contradistinctum ab omni reali . Verum hoc ipsum erit ingens absurdum ; tollere nimirum de medio modum omnem probandi , quænam objecta defacto revera cognoscantur ab intellectu .

Dico 5. Communem , & nostram assertionem , quod nimirum intellectus defacto facere possit ens rationis metaphysicum , videlicet cognoscere objectum impossibile , ab omni reali contradistinctum , probare contendunt alii passim variis , & solemnibus argumentis , puta

Pri-



Primo, non implicat, quod intellectus defacto attingat chimeram : ergo potest.

Secundo, propositio in materia impossibili potest esse , & est defacto vera , vel falsa : vera , ut cum dicitur , alter Deus est impossibilis : falsa ejus contradictoria , qua dicitur , alter Deus non est impossibilis : atqui falsificativum primæ , & verificativum secundæ non potest esse , nisi chimera , scilicet alter Deus impossibilis , ab omni reali contradistinctus : ergo intellectus defacto attingit chimeram.

Tertio, propositiones in materia necessaria contradictoriæ inter se , debent habere objecta inter se contradictoria : ergo hæc duæ propositiones , Deus existit , Deus non existit , habent objecta inter se contradictoria ; puta , affirmativa , Deum , ens necessarium ; negativa , carentiam Dei , ens impossibile .

Quarto, Intellectus efformat varias propositiones in materia impossibili , falsas præsertim , ut cum dicitur , cum Ario blasphemando : Verbum est creatura : ergo debet habere motivum id asserendi : sed hoc motivum nequit esse , nisi objectum aliquod impossibile , ab omni reali contradistinctum , scilicet identitas chimera inter Verbum , & creaturam : ergo habet pro motivo chimeram : ergo illam cognoscit.

Quinto, homo , etiam adversarius , multoties loquitur de objecto impossibili : jam peto : vel scit , quid dicat , vel non : si primum ; ergo cognoscit impossibile ab omni reali contradistinctum : si secundum ; ergo loquitur de impossibili , & negat ens rationis metaphysicum , instar psittaci , qui profert voces , nec cognoscit , quid hæc denotent , ac significant.

Sexto, cognitio , attingens objecta impossibile ab omni reali contradistinctum , vel est possibilis , vel est impossibilis : si hæc est possibilis ; ergo cognosci potest objectum impossibile , ab omni reali contradistinctum : si ipsa est impossibilis ; ergo jam cognoscitur objectum aliquod re vera impossibile , & ab omni reali contradistinctum . Sed

XX. Dico 6. His , & similibus argumentis non videtur attendendum , nisi fortasse aliquando tandem reducantur ad nostrum , scilicet ad rationem nostram fundamentalem , qua probare conamur assertionem tertiam præsentis articuli . Enimvero posset ab adversariis responderi.

*Ant. Forti.*

Ad

Ad primum, nego antecedens. Implicat enim, quod intellectus, non habens virtutem attingendi chimeram, illam attingat: atqui noster intellectus defaëto non habet hanc virtutem: ergo implicat, quod defaëto intellectus attingat chimeram. Remanet igitur difficultas, an intellectus defaëto possit attingere chimeram: & aliunde, quam ex mera non apparentia repugantia, probandum est, quod habeat virtutem chimerizandi.

Ad secundum, nego minorem: & dico, hujusmodi falsificativum, & verificativum esse posse Deum verum, & realem: illę enim propositiones in alias resolvuntur, prima nimirum in illas: Deus est essentialiter unicus; seu, hæc propositio, Deus est unus, est essentialiter, & necessario vera. Secunda in illas: Deus non est essentialiter unicus; seu, hæc propositio, Deus non est unus, non est essentialiter, & necessario falsa. Jam idem Deus verificat primas, falsificat secundas: quia primæ Deo conformantur: secundæ non. Primæ conformantur Deo, cujus esse, & unitas, quippe identificata, exigunt, ut sibi conformem, modum tendendi identificativum, idest affirmativum identitatis: adeoque disformantur modo tendendi distinctivo, idest negativo ejusdem identitatis. Sic idem paries A, niger, conformatur parieti B, nigro, & disformatur parieti C, albo: idemque Deus amatus a Petro, bonificat, ut ita dicam, amorem Petri, estque bonificativum objectivum amoris: idemque odio habitus a Juda, malificat odium Judæ, estque malificativum objectivum ejusdem. Aliunde igitur, quam præcise ex hoc medio termino, assertio communis, & nostra probanda manet.

XXI. Ad tertium, nego assumptum antecedentis. Immo idem potius debet esse objectum propositionum contradictoriarum, præcise ut talium, per se, & directum: nisi enim illæ sint ejusdem, de eodem, secundum idem, non sunt rigorose contradictoriæ: sunt autem tales, quatenus, quod una affirmat, altera negat, quodque est, quasi terminus, ad quem, unius; est terminus, a quo, alterius: scilicet, quod una prosequitur affirmando, altera negando fugit. Sicut igitur quoad voluntatem, potest idem omnino objectum amari ab uno, odio haberi ab alio: & quoad motum localem, idem spatium potest esse terminus, a quo, respectu unius motus, puta recessus; & terminus, ad quem, respectu alterius motus, puta accessus; poterit quoad intellectum, idem omnino objectum esse terminus affirmationis, & negationis: ergo præci-

*Phil. Neg. Log.*

Ll

fo

se per hoc tertium argumentum nihil evincitur. Similem arguendi modum refutabimus in metaphysicis, ubi eo utuntur quidam ad probandū, dari defacto carentias, quæ sint quid abusivum, ab omni ente positivo contradistinctum.

Ad quartum, concesso enthymemate, nego minorem subsumptionem, & dico, huiusmodi motivum objectivum (sicut diximus ad secundum, de verificativo, & falsificativo propositionum) esse posse ipsum Deum verum, & realem, ipsamque creaturam, ipsamque identitatem realem in genere, alioqui cognitam, & nunc sub tali, vel tali apprehensione; in talibus, aut talibus circumstantiis. Nec novum est in philosophia, quod, sicut eadem causa varios, immo, & oppositos parit effectus, pro circumstantiarum varietate; ita eadem objecta, pro circumstantiarum varietate, determinare, ac movere possint intellectum hic & nunc, alioqui male, vel bene dispositum, ad hoc, vel illud iudicium; verum, aut falsum; pium, aut impium; religiosum, aut blasphemum.

XXII. Ad quintum, eligo primam partem: & nego consequentiam. Homo, etiam doctus, & eruditus, dum loquitur, bene cognoscit, quid dicat, sed terminis habilibus, in eo sensu nimirū, quo philosophice, & vere verba sonant. Jam dum dicitur impossibile, repugnans, chimera, huiusmodi terminos significare objecta realia cognita, hoc, vel illo modo tendendi: corunque sensum esse resolutorium, scilicet resolvendum eo, vel simili modo, quo videbitur articulo sequenti, in prima præsertim, secunda, & octava adversariorum responsione.

Ad sextum, eligo secundam partem: & nego deinde consequentiam. Dum enim dicitur: cognitio attingens objectum impossibile contradistinctum ab omni reali, est impossibilis; sensus est resolutorius, ut supra, scilicet: omnis cognitio possibilis habet objectum reale: nulla cognitio possibilis non habet objectum reale: seu, hæc propositio, intellectus cognoscit, & non objectum reale; est essentialiter falsa: juxta ea, quæ dicta sunt ad quintum. His igitur, & similibus argumentis præcise sumptis, probari non poterit efficaciter, quod intellectus defacto cognoscat chimeras, nisi tandem aliquando recursus fiat ad nostrum argumentum fundamentale.

Quæ omnia totius disputationis progressu lucem accipient, præsertim ex his, quæ habet sequens

AR-

ARTICULUS VI.

Adversariorum responsiones referuntur, & impugnantur.

Prima responsio adversarium.

XXIII. **D**ico 1. Ad nostrum argumentum prima adversariorum responsio est: propositiones omnes non attingere, nisi objecta realia: esse autem veras, vel falsas, non nisi per modum tendendi debitum, vel indebitum ipsis objectis: si nimirum objecta inter se sint realiter identificata, & propositio tendat circa illa modo compositivo, & quasi identificativo, idest affirmando; tunc esse essentialiter veram, quia est conformis objecto: secus, si tendat modo divisivo, & quasi distinctivo, idest negando. Si vero objecta inter se non sint realiter identificata, sed distincta, & propositio tendat circa illa modo compositivo, & veluti identificativo; tunc esse falsam: quia est difformis objecto: secus, si tendat modo divisivo, & quasi distinctivo.

Ajunt itaque, quando dicitur v. g. primo, impossibile non potest existere: secundo, alter Deus non est, nec esse potest: tertio, Hircocervus repugnat; has propositiones resolvendas esse, & explicandas hoc, vel simili modo: nempe primam, quidquid existit, vel potest existere, est reale: secundam, hæc propositio, Deus est unicus, est essentialiter vera: tertiam, hæc alia, hircus est cervus, est essentialiter falsa. Quare hos terminos, impossibile, repugnans, quod non est, nec esse potest, & similes; esse terminos secundæ intentionis: & significare objecta realia cognita per cognitionem essentialiter falsam: ergo ratio fundamentalis a nobis allata nulla est.

Sed contra: nego assumptum: & quidquid sit, an essentialis veritas, vel falsitas propositionum, ita salvari posset; contra sic argumentor: per hanc propositionem, & similes, vel oppositas: *mons aureus non existit, sed potest existere*; attingitur objectum possibile non existens, contradistinctum ab omni actuali: ergo per illas propositiones de altero Deo, de Hircocervo, attingitur objectum irrealis non existibile, contradistinctum ab omni possibili: sicut igitur non resolvuntur hæc propositiones per objecta actualia: nec salvatur veritas, vel falsitas ipsarum præcise per objecta actualia, perque modum tendendi ipsis debitum, vel indebitum; conformem, vel difformem; affirmativum, vel negativum; adeo ut quando dicitur v. g. *mons aureus non existit, sed potest existere*; sensus

sensus sit : hæc propositio , mons est aurum , est quidem falsa , sed contingenter , non essentialiter ; vel quid simile : & sensus illius propositionis , *pure possibile non existit* , sit : *omne , quod existit , est actuale* ; sed conceditur in his propositionibus , attingi objectum , aliquod possibile non existens , contradistinctum ab omni ente actuali ; ita & in propositionibus in materia impossibili discurrendum est ; adeo ut , sicuti non dicimus , terminos illos , *possibile , non repugnans , non existens , sed potens existere* , esse terminos secundæ intentionis , & nihil aliud importare , nisi objecta actualia , & talem , vel talem modum tendendi ; ita nec terminos illos , *impossibile , repugnans , non existens , nec potens existere* .

*Secunda responsio adversariorum .*

XXIV. Dico 2. Secunda adversariorum contra nostrum argumentum responsio est : per propositiones supra assignatas cognosci quidem entia possible non existentia ; per nullam vero propositionem attingi impossibile : ergo ratio a nobis allata nulla est. Antecedens probatur , quia , possibile , est terminus primæ intentionis : impossibile vero , non est terminus primæ intentionis : adeoque cognitio in objecto possibili , etiam non existente , invenit , quod exprimat præter se ipsam ; secus vero in objecto impossibili.

Sed contra : nego antecedens : ad ejus probationem , nego antecedens quoad utramque secundam partem : & primo dico : quavis ens rationis possit esse terminus secundæ intentionis , quando consideratur , ut impossibile cognitum ; ipsum tamen impossibile est suo modo terminus primæ intentionis : sicut enim Antichristus independentem ab intellectu est possibilis , idest de illo verificatur , quod possit existere , quod sit capax ad existendum ; ita nullo intellectu cogitante , alter Deus v. g. est impossibilis , idest de illo verificatur , quod non possit existere , quod non sit capax ad existendum ; quæ prædicata , & essentia entis impossibilis , seu inexistentis non est cur a cognitione existentis representari non possint , sicut prædicata objecti possibilis non existentis a cognitione existente representantur .

Secundo dico : si adversarii insistent : hic terminus , impossibile , est terminus primæ intentionis : ergo exprimit objectum secundum esse , quod habet independentem ab intellectu : ergo impossibile , præter esse objectivum , habet aliud esse : ergo falsa definitio entis rationis metaphysici , a veteribus tradita , de qua dictum est *art. 2. assert. 2.* contra est , quia distinguo primum consequens ,

se-

secundum esse irrealē, quod habet suo modo independentē ab intellectu, concedo : secundum esse reale, nego primam consequentiam : & distinguo secundum consequens : ergo impossibile, præter esse objectivum, habet aliud esse irrealē, concedo : reale, nego secundam, & tertiam consequentiam.

Tertio dico : veterum definitio excludit ab impossibili omne aliud esse absolute, & simpliciter dictum, quod quidem competit etiam enti possibili non existenti, quod dicitur nominaliter, seu substantive, absolute, & simpliciter ens; & enti reali abusivo, quod, licet non dicatur nominaliter, seu substantive, absolute, & simpliciter ens, sed cum addito, ens abusivum; dicitur tamen verbaliter, absolute, & simpliciter esse, ut supra innuebam *artic. 3. ad object. 4.*

Quarto dico : postrema hæc adversariorum instantia, etiam si vim haberet; proprie, non probaret, cognosci non posse impossibile, sed ad summum, veterum definitionem de ente rationis metaphysici falsam esse: & defecto simili argumento ad illam impugnandam utitur Augustinus Spinò.

Quinto dico : ad tollendas quæstiones de vocabulo; si velint adversarii, quod terminus primæ intentionis sit, qui rem explicat secundum esse, absolute, & simpliciter dictum, nominaliter, aut verbaliter, quod habet independentē ab intellectu; dicam, juxta hanc explicationem, quod impossibile, quæ tale, non sit terminus primæ intentionis, nec secundæ. Quid tum, si recte termini intelligantur?

*Tertia responsio adversariorum.*

XXV. Dico 3. Tertia adversariorum responsio est contra nostrum argumentum : per propositiones supra allatas cognosci possibile non existentia : nec circa illas recurrendum ad meros modos tendendi : quia nulla est hujus recursus necessitas: at haberi necessitatem recurrendi ad modos tendendi, salvandique per objecta realia propositiones circa impossibile : ergo ratio a nobis allata nulla est. Antecedens probatur, quia, si impossibile cognosceretur, verificarentur nunc duo contradictoria, scilicet, quod idem cognosceretur, & non cognosceretur. Id autem, aut simile non sequitur, si cognoscatur possibile non existens : ergo habetur specialis necessitas in materia impossibili. Sequela probatur, quia cognitio attingens, v. g. Petrum identificatum cum sui carentia, attingeret Petrum ex una parte, & ex altera parte non attingeret

ret Petrum : quia Petrus identificatus cum sui carentia non est Petrus, sed non Petrus: ergo cognitio attingeret Petrum, & non attingeret Petrum.

Sed contra : nego secundam partem antecedentis, & ad ejus probationē nego sequelam, & ad probationem sequelæ nego iterum antecedens : & ad hujus probationem distinguo antecedens : Petrus identificatus cum sui carentia, non est Petrus absolute, & simpliciter dictus, concedo ; non est Petrus simul non Petrus, nego antecedens, & consequentiam. Licet enim verum sit, quod cognitio illa attingeret Petrum identificatum cum sui carentia, adeoque attingeret Petrum non Petrum (hoc enim est attingere impossibile, objectum scilicet involuens, vel trahens contradictoria) falsum tamen est, quod attingeret Petrum, & non attingeret Petrum: attingeret enim objectū, quod simul est Petrus non Petrus. Contradictio igitur tota se tenet ex parte objecti, non ex parte actus: nimirum contradictio est in objecto repræsentato, non vero in cognitione repræsentante : quia hæc vere, & realiter repræsentat contradictoria in objecto, quorum contradictiorum oppositio facit, ut objectum non possit existere a parte rei, non vero facit, quod nequeat existere objective, idest per cognitionem repræsentari. Sic non existentia alterius mundi se tenet ex parte objecti ; non autem ex parte actus : quia facit quidem, ut alter mundus non sit existens, non autem facit, ut non sit existens cognitio repræsentans actu alterum mandum non existentem.

*Quarta responsio adversariorum.*

XXVI. Dico 4. Quarta adversariorum responsio est : haberi disparitatem, quare propositiones in materia impossibili resolvendæ sint per objecta possibilia ; non vero propositiones in materia possibili non existente, resolvendæ sint per objecta possibilia actu existentia : ergo nostrum argumentum esse nullum. Antecedens probatur, quia ex una parte habetur principium illud probabile philosophicum : defacto non sunt multiplicanda entia sine necessitate : ergo de nullo objecto existente pro statu intentionali, dicendum est, esse actu existens, pro statu reali : nisi efficaciter constet, quod actu pro statu reali existat : sique id non constet, præsumendum, quod actu non sit existens, licet possit existere : ergo de propositionibus in materia non existente, non est præsumendum,

dum, quod habeant objectum existens : ergo non sunt resolvendæ : ex altera parte habetur aliud principium probabile philosophicum, ut dictum est *disp. 2. præliminari* : nihil est dicendum repugnare, nisi probetur : ergo de nullo objecto existente pro statu intentionali, dicendum est, esse chimeram, idest non existibile pro statu reali, nisi efficaciter constet, quod tale sit : sique id non constet ; præsumendum, quod sit existibile : ergo de propositionibus in materia impossibili, præsumendum est, quod objectum habeant existibile : ergo sunt resolvendæ.

Sed contra: nego antecedens. Ad ejus probationem, quoad primam partem, concesso ratiocinio, nego ultimam consequentiam : & dico, nos arguentes contra adversarios, non præsumere, quod aliquod actu existat, de quo id non constat : sed dicere, quod propositiones in materia non existente, possent, adeoque deberent resolvi per objecta illa existentia, de quibus aliunde factis superque constaret, quod actu existerent jam pro statu reali : v. g. propositiones de alio mundo, per mundum defacto existentem ; ex suppositione, quod ipsi adversarii contendant, propositiones in materia non existibili, posse, & debere resolvi per objecta existibilia : cum in ordine ad necessitatem, aut non necessitatem resolvendi utrunque propositionum genus, militare videatur identitas rationis.

*Quinta responsio adversariorum.*

XXVII. Dico 5. Quinta adversariorum responsio est contra nostrum argumentum : per illas propositiones attingi objecta realia, quæ supponuntur, instar statuar, loco objectorum impossibilium : nullum autem cognosci impossibile ab omni reali contradistinctum : ergo.

Sed contra : nego antecedens : & sic argumentor (quidquid sit, an possit unum substitui loco alterius, quin hoc cognoscatur) per propositiones supra relatas in materia possibili, non attinguntur objecta existentia, quæ supponantur loco objectorum non existentium incognitorum, sed attinguntur objecta possibilia non existentia : ergo per propositiones in materia impossibili attinguntur objecta chimerica, non autem objecta realia, quæ supponantur loco impossibilium incognitorum.

*Sexta responsio adversariorum.*

Dico 6. Sexta adversariorum responsio est ad nostrum argumentum : per illas propositiones cognosci quidem objectum ; puta-



putative impossibile, non vero objectum vere impossibile: ergo.

Sed contra: nego antecedens, & sic argumentor: per propositiones relatas in materia possibili cognoscitur objectum, vere, & realiter non existens, non solum putative non existens: ergo per propositiones in materia impossibili cognoscitur objectum vere non existibile, non solum putative non existibile.

*Septima responsio adversariorum.*

Dico 7. Septima adversariorum responsio est contra nostrum argumentum: per illas propositiones affirmari, vel negari impossibile, non autem cognosci: ergo.

Sed contra: nego: siquidem affirmatio, & negatio sunt modi cognoscendi: ergo objectum impossibile, si affirmatur, vel negatur, cognoscitur. Redit deinde argumentum nostrum: per propositiones in materia possibili non solum negatur, aut affirmatur, sed & cognoscitur objectum non existens: ergo per propositiones in materia impossibili non solum negatur, aut affirmatur, sed & cognoscitur objectum non existibile.

*Octava responsio adversariorum.*

XXVIII. Dico 8. Octava adversariorum responsio est, contra nostrum argumentum: per propositiones illas solum affirmari, vel negari impossibile nominaliter tale, non autem objective, & in se impossibile: ergo.

Sed contra: nego antecedens, quia per propositiones in materia possibili, affirmatur, vel negatur objectum non existens, objective, & in se non existens, non vero solum nominaliter non existens: ergo per propositiones in materia impossibili affirmatur, aut negatur objectum in se non existibile, non solum nominaliter tale.

Quod si adversarii instent primo: cum dicitur, incognoscibile nullo modo potest cognosci, non cognoscitur objectum vere, & realiter omnino absolute, & simpliciter, & in omni sensu incognoscibile: ergo cum dicitur objectum impossibile non potest existere; tunc non affirmatur, vel negatur, vel cognoscitur objectum vere impossibile, sed solum nominaliter tale;

Contra, concesso antecedente, nego consequentiam: quia propositio illa, & similes resolvuntur in hanc, aut similes propositiones, nimirum: quidquid cognosci potest, est cognoscibile.

Retorqueo deinde argumentum contra adversarios: cum dicitur, incognoscibile non potest cognosci, non cognoscitur aliquod

*Ant. Forti,*

quod vere incognoscibile : ergo, cum dicitur: aliquid non existens potest existere ; non cognoscitur aliquid vere non existens ; si- que adversarii insistent secundo : ergo similiter propositiones de impossibili resolvendæ sunt per objecta realia ; ita ut cum dicitur , v. g. impossibile non potest existere , sensus sit , omne, quod potest existere , est possibile ;

Contra , nego consequentiam , & assigno disparitatem : quia habetur necessitas resolvendi propositiones de incognoscibili per objecta cognoscibilia : cum implicet manifeste, ex ipsis terminis , quod incognoscibile cognoscatur : at nulla afferri potest repugnātia in hoc , quod impossibile cognoscatur ; adeoque nulla est necessitas resolvendi propositiones de impossibili per objecta possibilia : sicuti non est necessitas , per adversarios , resolvendi propositiones de possibili non existente per objecta existentia .

XXIX. Dico 9. Simili modo , propter eandem necessitatem, discurrendum quoad similes aliquas propositiones , quæ passim, afferri solent ; cujusmodi sunt , v. g. prima : ens ignotum Deo est incognoscibile ; secunda : ens ignotum Deo repugnat ; tertia : ens vere , & absolute melius Deo est chimera ; quarta : ens medium inter possibile , & impossibile , quod nimirum neque sit possibile , neque impossibile, repugnat ; quinta : Deus verus intrinsece mutatus , est impossibilis ; & similes . Quandoquidem tales propositiones & sunt manifeste seipsas falsificantes , ut patet ex ipsis terminis ; & sunt de subjecto non supponente : vel , si in aliquo vero sensu accipi velint, ita, vel simili modo explicandæ erunt, & resolvendæ , nimirum prima : nihil est ulli excogitabile ignotum Deo ; secunda : quidquid cognosci potest , est notum Deo ; tertia : Deus est ens vere , absolute , & simpliciter optimum ; quarta : quidquid cognoscitur , vel est possibile , vel impossibile ; quinta : Deus est essentialiter immutabilis ; vel quidquid mutari potest nō est Deus : quæ necessitas non habetur , ut dicebam , in ordine ad propositiones a nobis allatas circa impossibile , seu non existibiles : sicut non habetur per adversarios in ordine ad propositiones circa possibile non existens.

Et sane quoad primam propositionem ; Deus est sapientissimus , & omniscius : talis autem non esset, si creatura aliquid excogitaret , sive possibile , sive impossibile , quod intellectum divinum lateret : ergo , dum dicitur : ens ignotum Deo est incognoscibile ; non est sensus , quod re vera detur aliquid ens ignotum.

*Phil. Neg. Log.*

*M m*

*Deo ;*

Deo ; aliter erit de subiecto non supponente : sed sensus est, nihil esse ulli excogitabile ignotum Deo . Quoad secundam propositionem ; Deus est sapientissimus , & omniscius : ergo nullum est ens seu reale , seu chimericum , idest repugnans , quod non cognoscatur a Deo : ergo, dum dicitur, ens ignotum Deo est repugnans , non est sensus , dari aliquod ens repugnans , idest chimericum , ignotum Deo ; aliter propositio erit de subiecto non supponente : sed sensus est , quidquid cognosci potest , esse notum Deo , idest a Deo cognosci quidquid cognoscibile est . Quoad tertiam propositionem ; Deus est ens vere , absolute , & simpliciter optimum : ergo , dum dicitur , ens vere , & absolute melius Deo , est chimera ; sensus non est , dari pro statu objectivo , & cognosci chimera , quæ vere , absolute sit melior Deo : nulla enim chimera est melior ullo ente creato , ne dum melior ipso Deo , qui est ens verissime optimum : ergo sensus est , unum Deum esse ens vere , absolute , & simpliciter optimum . Quoad quartam propositionem ; quidquid excogitari potest , vel potest existere , vel non : sicut vel existit , vel non existit : non enim datur medium inter esse , & non esse : ergo neque inter posse esse , & non posse esse : ergo quidquid excogitari potest , vel est possibile , vel impossibile : ergo dum dicitur , ens medium inter possibile , & impossibile , repugnat ; non est sensus , dari , & cognosci aliquod repugnans , idest impossibile , quod neque sit possibile , neque impossibile ; aliter propositio erit falsa , & ex ipsis terminis seipsam falsificans : si enim hoc ens est repugnans : ergo jam est impossibile : ergo quomodo cum veritate dici poterit , illud neque esse possibile , neque impossibile ? ergo verus sensus est , sensus resolutorius , scilicet : quidquid cognosci potest vel est possibile , vel impossibile . Quoad quintam propositionem ; Deus est ens reale , optimum , necessarium , essentialiter ab intrinseco immutabile : ergo dum dicitur , Deus verus intrinsece mutatus esse impossibilis ; non est sensus , dari , aut cognosci aliquod impossibile , quod re vera sit Deus verus intrinsece mutatus : ut enim patet , hi termini sunt involucrum contradictoriorum : & reddunt propositionem manifeste seipsam falsificantem ex multiplici capite : siquidem nec chimera est verus Deus ; nec est verus Deus quidquid intrinsece mutatur , aut mutari potest . Sensus igitur verus erit , sensus in hunc , aut similem modum , resolutorius : Deus est essentialiter intrinsece immutabilis : vel , quidquid intrinsece mutari potest , non est Deus .

Nona

*Nona responsio adversariorum.*

XXX. Dico 9. Nona adversariorum responsio est ad nostrū argumentum : non implicat ex una parte intellectus , qui non possit attingere impossibile : ex altera parte talis intellectus posset efformare propositiones a nobis allatas , quæ videntur in materia impossibili : ergo per hoc , quod noster intellectus formet propositiones supra relatas , non bene infertur attingi ab ipso obiectum impossibile : ergo nostrum argumentum pro ente rationis metaphysico vim non habet.

Contra , aliqui negant primam partem antecedentis : alii vero secundam : alii , concessio antecedente , negant consequentiam : quia , inquit , si ille intellectus formaret similes propositiones , & nobis aliunde efficaciter non constaret , non posse ab ipso attingi obiectum impossibile , utique deberemus , prudenter philosophando , prudenter errare , dicendo , quod ille intellectus attingeret obiectum impossibile : nec enim novum , aut mirum est , quod quandoque multa falsa sint probabiliora veris . Equidem

Contra , *distinguo antecedens* , si eodem modo philosophemur circa propositiones de possibili non existente , concedo : secus , nego antecedens : & eodem modo , distincto primo antecedente , nego primam , & secundam consequentiam . Deinde quoad primā partem antecedentis , peto ab adversariis : vel implicat intellectus , qui non possit attingere possibile non existens , vel non . Si primum , repugnabit etiam , identitate rationis , intellectus , qui non posset attingere impossibile , seu non existibile . Si secundū , nec repugnabit intellectus , qui non possit attingere impossibile , seu non existibile .

XXXI. Quod attinet ad secundam partem antecedentis prædicti , peto iterum ab adversariis : intellectus , qui non posset attingere possibile non existens , vel posset efformare propositiones allatas in materia possibili non existente ; vel non posset illas efformare . Si secundum ; dicam eodem modo , intellectus carens virtute attingendi impossibile , seu non existibile , nec efformare posset propositiones supra relatas in materia impossibili . Si primum ; eodem modo dicam in casu nostro , & negabo consequentiam : sicut etiam adversarii negabunt hanc consequentiam : ergo per hoc , quod noster intellectus eliciat propositiones de obiecto reali non existente , non bene infertur , quod attingat obiectum reale

reale non existens; quanvis id aliunde, probabiliter, & prudenter opinando, deduci defacto nequeat, nisi ex propositionibus supra relatis, quas de objecto possibili non existente, dubitando, affirmando, discurrendo, efformamus; cum non constet aliunde positive oppositum. Itaque tandem subsumo: sed defacto ex eo, quod intellectus efformet propositiones in materia possibili non existente, infertur sufficienter & probabiliter, habere vim cognoscendi objecta possible non existentia: ergo ex eo, quod efformet propositiones in materia impossibili, probabiliter, & sufficienter infertur, habere vim cognoscendi objecta irrealia: vel, si non hoc secundum; nec primum: atqui primum infertur, per adversarios, & per omnes: ergo quare non & secundum?

*Decima responsio adversariorum.*

Dico 10. Decima adversariorum responsio est ad nostrum argumentum: non implicat intellectus, qui possit attingere objectum reale non existens, puta illud, quod nullo modo est correlativum, aut connexum quoad cognosci, cum non existibili; non vero possit attingere objectum non existibile: sicut non implicat potentia, cujusmodi est visiva, quæ possit suo modo attingere colorem, non sonum: immo & oculus, qui possit attingere suo modo unam speciem coloris, non aliam: ergo per hoc, quod intellectus defacto per propositiones aliquas attingat objectum reale non existens, non infertur, quod per propositiones alias relatas attingat objectum non existibile.

XXXII. Contra, distinguo antecedens: si non implicat intellectus, qui possit attingere objectum reale existens, non vero non existens, concedo: secus, nego antecedens, & distinguo consequens: non infertur &c. infallibiliter, concedo: prudenter philosophando, sed fallibiliter, subdistinguo: in alia hypothesi, transeat: in ea, qua loquimur, nego antecedens, & consequentiam. Sicut enim, licet non implicet intellectus, qui possit attingere objectum reale existens, non autem objectum reale non existens; adhuc, per hoc, quod intellectus defacto elicit propositiones de objectis non existentibus, prudenter philosophando, inferimus, optimeq; inferunt adversarii, quod attingat objecta non existentia: sicut per hoc, quod eliciat similes propositiones de objectis existentibus, quod attingat objecta existentia; ita per hoc, quod eliciat propositiones supra relatas in materia impossibili, prudenter philosophando, inferendum est, quod attingat objecta

jecta non existibilia : si enim non hoc secundum ; nec primum : ergo, si infertur primum , quare non & secundum ?

Quod si negetur possibilis intellectus , qui habeat virtutem , & sphaeram cognoscendi, limitatam duntaxat ad objecta realia ; existentia ; negandus pariter erit possibilis intellectus, qui habeat virtutem , & sphaeram cognoscendi, limitatam duntaxat ad objecta realia : cum non appareat dispar ratio , quæ faciat ad rem.

XXXIII. Quod si adversarii instent primo, nullum esse argumentum nostrum , quia satis aliunde constat , utpote ex fide , quod intellectus per aliquas propositiones attingat objectum reale non existens , non vero aliunde constat , quod idem attingat objecta irrealia ;

Contra , nego antecedens , ejusque probationem . Nam , licet sit de fide , quod plura non existentia sint possibilia ; non tamen de fide est , quod intellectus noster , saltem semper , & omnino , dum id enunciat , attingat objectum reale non existens contradistinctum ab omni actuali : sicut, licet sit de fide , quod plura non existentia sint impossibilia , cujusmodi est : alter Deus ; quarta persona Trinitatis ; non tamen de fide est , quod intellectus id enuncians , attingat objectum impossibile contradistinctum ab omni reali , ipsis fatentibus adversariis.

Sique instent secundo , constare ex communi sensu, quod intellectus per dictas propositiones attingat objectum reale non existens ;

Contra , distinguo antecedens , constare ex communi sensu , facta suppositione , quod id satis deducatur ex propositionibus prædictis , concedo : secus , nego antecedens , & consequentiam . Si igitur id satis deducitur ex propositionibus in materia possibili, cur ex propositionibus in materia impossibili non deducatur ; quod intellectus defacto attingat impossibile ? Quod si non satis illud deducitur ex propositionibus ; dicā , non haberi sensum communem in hac hypothese , in qua quidquid assereretur , irrationabiliter quidem, & absque fundamento sufficienti assereretur.

*Undecima responsio adversariorum.*

XXXIV. Dico 11. Undecima adversariorum responsio est ; ex Pallavicino *lib. 5. theol. cap. 1. num. 4. & sequent.* exprimi , seu representari quidem potest per aliquas propositiones objectum reale non existens , non vero objectum irrealia, seu non existibilia : ergo ratio a nobis allata nulla est. Antecedens probatur , quia ha-

habetur quoad objectum inexistentibile specialis difficultas: ergo &c. Antecedens probatur etiam, quia nequit explicari, quid sit hoc impossibile, quod exprimit cognitio, prout contradistinctum ab omni reali.

Contra, nego antecedens, & ejus probationem, ad cujus probationem, nego iterum antecedens, & dico: impossibile absolute, & simpliciter cum veritate dici id, quod esse nequit, quod non est capax ad existendum, quodque, si existeret, involveret, vel traheret contradictoria; adeoque existeret simul, & non existeret.

XXXV. Quod si adversarii insistent primo: non posse nunc cum veritate dici de impossibili, quod si existeret, existerent duo contradictoria: ergo. Antecedens probatur: si duo contradictoria existerent, non existerent: ergo falsum est quod, si impossibile existeret, existerent duo contradictoria. Antecedens probatur iterum, quia esse, seu existere duorum contradictoriorum, est formale non esse, seu non existere utriusque: ergo. Antecedens probatur, quia v. g. Petrus solus est formale exclusivum, seu non esse suæ carentiæ, seu non Petri: carentia sola est formale exclusivum, seu non esse Petri: ergo utrumque est formale exclusivum, seu non esse, seu non existere utriusque: ergo existere utrumque est formaliter neutrum existere, seu existere utriusque est formale non existere utriusque; erit sane argumentum ingeniosum: sed

Contra, nego antecedens, & ad ejus probationem, distinguo antecedens: si duo contradictoria existerent; non existerent, non existentia chimerica, concedo: non existentia reali absolute, & simpliciter dicta, nego antecedens, & in eodem sensu consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo iterum antecedens: esse, seu existere duorum contradictoriorum est formale non esse, seu non existere utriusque chimericum, concedo: reale, absolute, & simpliciter dictum, nego antecedens, & in eodem sensu consequentiam.

XXXVI. Ad probationem antecedentis, concesso antecedente, distinguo consequens: ergo utrumque est utriusque formale exclusivum, seu non esse, seu non existere utriusque chimericum, concedo: reale absolute, & simpliciter dictum, nego consequentiam, & dico: hæc adversariorum instantia, si funditus introspectiatur, probat, quod binarium contradictoriorum non possit existere;

stare ; non autem , quod non possit cognosci : contradictio enim , quæcunque afferatur , directa , seu reflexa , pullulans ex primo binario duorum contradictoriorum , tota se tenet ex parte objecti repræsentati , quod esset simul , & non esset : & ideo dicimus esse chimericum , impossibile , non existibile ; non autem se tenet ex parte cognitionis repræsentantis , quæ cognitio , sicut non obstante , quod ipsa sit existens , potest per adversarios repræsentare , objectum reale non existens ; quare , non obstante , quod ipsa sit existibilis , non poterit repræsentare objectum absolute , & simpliciter non existibile , quod sane objectum , si existeret , esset simul existens , & non existens ?

Neque enim obstat ex una parte , quod objectum illud chimericum , si existeret , esset existens : quia jam cognitio existens potest repræsentare objectum existens : neque obstat ex altera parte , quod objectum illud chimericum , si existeret , esset etiam non existens : quia jam per adversarios cognitio existens potest repræsentare objectum non existens : neque aliud assignari potest obstatulum speciale sine petitione principii , quod faciat ad rem , quin cognitio existens repræsentare possit objectum , quod existeret simul , & non existeret : ergo potest . Sique insistent secundo : ergo a primo ad ultimum , si existeret impossibile , verificatur , quod existeret , & non existerent duo contradictoria : ergo absolute , & simpliciter nunc falsum est dicere , quod impossibile est illud , quod si existeret , involveret , vel traheret duo contradictoria ;

XXXVII. Contra : distinguo primum consequens : existerent , & non existerent duo contradictoria , ex vi prædicati hypothesis , nego : realiter , & ex vi totius hypothesis , subdistinguo : & hoc ipsum esset dari duo contradictoria , concedo : & hoc non esset dari duo contradictoria , nego consequentiam . Ratio est , quia esse contradictoriorum simul est ; esse chimericum , nimirum esse identificatum cum non esse : & ideo dicitur esse impossibile destructivum , & falsificativum sui ipsius chimericum , puta pro statu reali ; non autem destructivum , & exclusivum sui ipsius pro statu objectivo , idest non destructivum cognitionis , se ipsum repræsentantis : sicut carentia alterius mundi est destructivum , idest falsificativum , & exclusivum alterius mundi pro statu reali , non autem pro statu objectivo : facit enim , quod alter mundus non existat , non autem , quod actu non cognoscatur . Ad quorum meliorem intelligentiam ,

Dico



XXXVIII. Dico 12. Quavis ex suppositione impossibili, utpote dicente duo contradictoria, sequatur utraque pars contradictionis realiter loquendo; valet nihilominus apud philosophos argumentari a suppositione impossibili, & aliquid inde asserere, inferendo cum veritate: quatenus, licet sequatur utrumque realiter, & ex integra hypothese, non autem sequitur utrumque formaliter, idest logice, ex vi solius prædicati, aut solius subjecti ejusdem hypothesis: sic v. g. si homo esset equus, realiter sequeretur quidem, quod esset hinnibilis, & non esset hinnibilis: esset enim homo ex una parte, adeoque habens carentiam hinnibilitatis: esset equus ex altera parte, adeoque habens hinnibilitatem: at non ita formaliter, seu logice, & per intellectum, ex vi solius prædicati, aut solius subjecti immediate: nam ex vi prædicati præcise considerati, nimirum ex eo præcise, quod cognoscitur, quod esset equus, sequitur solum, quod esset hinnibilis: ex vi solius subjecti, præcise considerati, nimirum ex eo præcise, quod cognoscitur, quod esset homo, sequitur solum, quod non esset hinnibilis. Ita in casu nostro, si impossibile, seu binarium contradictorium existeret, sequitur quidem realiter, quod existeret, & non existeret ( hoc enim est esse impossibile, scilicet esse, & non esse, si esset ) at logice, ex vi solius prædicati, scilicet ex eo præcise, quod cognoscitur sub hoc termino, *existeret*, absque eo, quod eluceat ipsum subjectum hypothesis, nempe ipsum impossibile, seu binarium contradictorium, qua tale, sequitur formaliter una pars contradictionis, nempe, *existeret*: ex eo, quod eluceat subjectum hypothesis, nempe binarium contradictorium; sequitur, *non existeret*: ex eo, quod eluceat utrumque, adeoque integra hypothesis, sequitur, *existeret simul, & non existeret, si existeret*. Et hoc ipsum esset, dari impossibile, seu binarium contradictorium, conflatum ex esse, & non esse. Unde constat, quod etiam propositio chimerizans possit esse vera, & recta rectitudine logica passiva, & instrumentum sciendi; adeoque objectum logicæ immediatum.

A R T I C U L U S VII.

Solvuntur objectiones.

XXXIX. **O**bjicies 1. Impossibile nullam habet cognoscibilitatem : ergo non potest cognosci . Antecedens probatur : cognoscibilitas est proprietas solius entis realis : sed impossibile non est ens reale : ergo impossibile nullam habet cognoscibilitatem .

Respondeo, nego, vel, claritatis gratia, distinguo antecedens: impossibile nullam habet cognoscibilitatem extrinsecam, nego : intrinsecam, subdistinguo : existibilem, concedo : non existibilem, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo majorem : cognoscibilitas extrinseca est proprietas entis realis, nego : intrinseca, subdistinguo : cognoscibilitas intrinseca existibilis, concedo; non existibilis, nego majorem, & concessa minore, nego consequentiam; vel distinguo consequens : ergo impossibile nullam habet cognoscibilitatem extrinsecam, nego : intrinsecam, subdistinguo : existibilem, concedo : non existibilem, nego consequentiam, & explico distinctionem.

Duplex considerari potest objecti cognoscibilitas: extrinseca scilicet, & intrinseca . Cognoscibilitas extrinseca, ut quod, est potentia, potens cognoscere objectum : cognoscibilitas extrinseca, ut quo, est cognitio dictæ potentie, potens representare objectum . Intrinseca cognoscibilitas est ipsummet objectum, seu prædicata intrinseca ipsius, apta terminare cognitionem . Itaque objectum impossibile habet cognoscibilitatem extrinsecam realem : realis enim est intellectus, & cognitio potens illud exprimere : cognoscibilitatem intrinsecam, existentem, aut existibilem in se non agnoscit, quia non habet esse, & prædicata realia . Dicitur tamen habere cognoscibilitatem intrinsecam, at non existibilem, suo modo identificatam cum suis prædicatis chimericis, quæ vere sunt apta terminare cognitionem : quando autem dicitur cognoscibilitas, seu veritas objectiva intrinseca, esse proprietas entis, sensus est de cognoscibilitate intrinseca, seu veritate objectiva reali, & existibili; non autem de chimerica irreali non existibili .

Jam ad hoc, ut impossibile denominetur absolute, & simpliciter, vere, & realiter cognoscibile, sufficit, quod cognoscibilitas extrinseca sit realis : sicut ad hoc, ut objectum reale non exi-

*Phil. Neg. Log.*

N n

stens,

flens, dicatur actu cognitum, sufficit, quod ejus cognoscibilitas extrinseca, sit actu existens; licet ejusdem cognoscibilitas intrinseca actu non existat.

Adeoque impossibilitas in casu nostro appellat objectum, non autem modum illud cognoscendi: sicut, in objecto reali non existente, non existentia appellat objectum ipsum, non autem modum ipsum cognoscendi, seu cognitionem, quæ est existens actu, licet de objecto non existente; & in casu nostro est realis, seu existibilis, licet de objecto irreali, & non existibili.

Enimvero, sicut Antichristus est, cognoscibile non existens, sed actu cognitum, & actu cognoscibile; ita impossibile est, cognoscibile non existibile, seu impossibile, sed cognitum existibiliter, seu possibiliter, scilicet per cognitionem realem, possibilem, existibilem, quin & existentem.

XL. Objicies 2. Objectum, ut cognoscatur, debet immittere potentia speciem sui: sed objectum impossibile non potest immittere potentia speciem sui: cum non possit aliquid producere: ergo objectum impossibile non potest cognosci.

Respondeo, nego majorem in universum: licet enim objecta, quæ dicuntur motiva, immittant potentia speciem sui; non tamen objecta pure terminativa, quæ nimirum non habent movere potentiam, sed duntaxat terminare actum potentia intentionalis: aliter nec ens possibile non existens cognosci posset, quia, quod non est, nequit aliquid producere, dum non existit; nec carentia cognosci possent, quia non habent virtutem productivam.

Objicies 3. Ens possibile non existens, & carentia, licet non producant species, possunt tamen cognosci per species alienas rerum existentium, seu positivarum; secus vero impossibile: ergo non valet argumentum ab objecto non existibili ad non existens. Minor probatur, quia inter ens reale, & irreali nulla est proportio, aut similitudo.

Respondeo, nego secundam partem antecedentis: ad ejus probationem, distinguo antecedens: inter ens reale, & irreali nulla est proportio, aut similitudo entitativa, transeat: repræsentativa, nego antecedens, & consequentiam. Sicuti, quanvis inter ens, & non ens, seu existens, & non exiens; finitum, & infinitum; creatum, & increatum, non sit proportio, aut similitudo

litudo entitativa, seu in ordine ad essendum, & existendum, seu taliter existendum; est tamen proportio, aut similitudo repræsentativa.

XLI. Obicies 4. Species est realis: ergo non potest repræsentare, seu movere intellectum ad eliciendam cognitionem, seu repræsentationem alicujus irrealis, licet possit ad cognitionem, realis non existentis.

Respondeo, nego consequentiam: sicut enim cognitio, & species existens potest repræsentare, per adversarios, objectum non existens; creata, increatum; finita, infinitum: ita quare non, etiam species realis, & existibilis, objectum irreale, & inexistibile?

Obicies 5. Gratis asseritur, quod inter reale, & irreale habetur defecto proportio in repræsentando: ergo nostrum argumentum est nullum.

Respondeo, nego antecedens: & dico, id colligi ex eodem capite, ex quo adversarii deducunt, quod defecto species existens habeat proportionem repræsentative, quoad objectum reale non actu existens. Quoad species autem, primo dico: concedi communiter, cognosci posse objecta per species alienas, & sane concedi debet; cum non videatur implicare: ab aliquibus vero id negari, volentibus, non posse rem cognosci, nisi per species proprias. Secundo dico: juxta primam sententiam poterit impossibile, cognosci, saltem prima vice, per species entium realium v. g. hircocervus per species hirci, & cervi, & alicujus identitatis realis, tali, & tali modo confusas, & combinatas. Juxta secundam sententiam, dicendum, quod, vel ipse intellectus, determinatus a speciebus objectorum realium, producat sibi species proprias objecti impossibilis, nimirum ex natura sua ordinatas ad cognitionem objecti impossibilis: vel, si id placeat, dici poterit, quod hujusmodi species, ita propriæ objecti impossibilis, infundantur a Deo, tanquam ab auctore naturæ. Tertio dico: in utraque sententia discurrendum eodem modo, quoad objecta realia non existentia: cum militet eadem ratio.

XLII. Obicies 6. Objectum debet specificare cognitionem, sui: sed impossibile non potest specifica recognitionem sui: ergo non potest esse objectum cognitionis.

Respondeo, distingo majorem: debet specificare extrinsece, & a posteriori, concedo: intrinsece, & a priori, nego majorem,

jorem, & distingo minorem: in sensu negato, concedo: in sensu concesso, nego minorem, & consequentiam. Specificare cognitionem intrinsece, & veluti a priori, importat, objectum esse causam, & dare esse cognitioni, vel per se, vel per species a se productas, & ad potentiam transmissas: quod quidem præstari nequit ab impossibili. Specificare cognitionem extrinsece, & veluti a posteriori, est suo modo esse id, cui tanquam mensuræ, & prototypo commensurari, conformarique debeat cognitio in præsentando, ut talis, vel talis sit; vera, vel falsa: in quo sensu non est, cur objectum impossibile specificare non possit cognitionem realem: sicuti objectum non existens specificare potest cognitionem existentem; objectum increatum, & infinitum, cognitionem creatam, & finitam.

Objicies 7. Intellectus, cognoscens chimeram, vel dicitur facere chimeram, vel non: neutrum dici potest: ergo illam non cognoscit.

Respondeo, nego minorem, & eligo, proprie, & absolute loquendo, secundam partem: quod si velis, dici posse, facere chimeram improprie, & extrinsece, nempe quoad ejus imaginem, in quo sensu pictor, & statuarius faciens picturam, vel statuam Divi Petri, dicitur facere Divum Petrum; id non contendo, dummodo cum grano salis accipiatur.

XLIII. Objicies 8. Commune proloquium: nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus: sed impossibile non potest esse in sensibus: ergo neque in intellectu.

Respondeo, distingo majorem: quod prius non fuerit in sensibus, sive immediate, & secundum se; sive mediate, & occasionaliter, concedo: immediate, & secundum se tantum, nego majorem: & distingo minorem: impossibile non potest esse in sensibus mediate, & occasionaliter, nego; immediate, & secundum se, transeat minor: namque illam examinabimus infra: nego deinde consequentiam. Impossibile percipitur sensibus mediate, & occasionaliter, quatenus sensibus percipiuntur objecta realia, quorum species præbeant intellectui occasionem, saltem remotam, concipiendi impossibile: quod dicendum etiam de objectis realibus non existentibus, qua talibus, proportionem servata.

Objicies 9. Aliud philosophicum axioma: res ita se habent  
ad

ad esse, sicut ad cognosci : sed objectum impossibile est implicans existere : ergo est implicans cognosci.

Respondeo , distinguo majorem : entitative, nego; repræsentative , subdistinguo : per cognitionem veram , concedo : falsam, nego majorem , & concessa minore , nego consequentiam . Sensus axiomatis est , quod objectum , ut cognoscatur per cognitionem veram , repræsentari debet , ut suo modo est in se . Quod quidem axioma etiā est explicandū ab adversariis, in ordine ad objectum reale non existens, quod, licet actu non existat , actu cognoscitur.

XLIV. Objicies 10. Aristotelem dicentem: *impossibile est, ut id, quod non est, sciatur* : & rursus : *non ens nullus novit* , quid est : ergo nequit ulla cognitio chimeram repræsentare , ab omni reali contradistinctam.

Respondeo , quoad primum Aristotelis locum, distinguo antecedens : per actum scientiæ affirmantis, quod sit , concedo : negantis , nego antecedens , & consequentiam . Actus enim scientiæ , cum sit infallibiliter verus, non potest affirmare esse id, quod non est . Quoad secundum vero Philosophi locum, iterum distinguo antecedens : quid est proprie , concedo : quid est improprie , & abusive , subdistinguo : per actum scientiæ principalioris, concedo : scientiæ minus principalis , nego antecedens , & consequentiam . Nam, juxta principia Aristotelis, scientia principalior nequit esse , nisi de ente : ipse enim *sext. topic. cap. 5.* docet , entia per accidens neque definiri , neque sciri posse rigoroſe . Cæterum primo dico : hæc Aristotelis loca militare etiam contra cognitionem rerum non existentium . Secundo dico : Philosophum ipsum pluries alibi docere , posse rem concipi aliter , ac est in se , & ut non potest existere ; quod est concipi impossibile ; & præsertim *quinto metaph. text. 34.* tradens , quot modis falsum dicatur , hæc habet : *uno modo , ut res falsa , & hujus hæc quidem , eo quod non componitur , aut quod impossibile sit componi* . Et paulo post : *oratio vero falsa , prout falsa , est , quæ non entium : unde omnis oratio falsa alterius est , quam ejus , cujus est vera , utpote quæ circuli , falsa trianguli*.

XLV. Objicies 11. Supra illud angeli ad Mariam *Luc. cap. 1. v. 37.* *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* ; Div. Thom. discurret hoc pacto : impossibile non potest esse verbum apud Deum , quia verbum est id, quod mente concipitur : im-

possibile autem non potest concipi mente : ergo Divus Thomas negare videtur , quod impossibile cognosci possit.

Respondeo , nego consequentiam . D. Thomas locum Lucæ citatum intelligendus est explicare in eo sensu , quo passim explicant sacri interpretes , hoc videlicet pacto ratiocinans circa illum textum : cum Angelus v. 31. Mariæ dixisset : *ecce concipies in utero , & paries filium* , v. 34. dixit Maria ad Angelum : *quomodo fiet istud , quoniam virum non cognosco ?* & v. 35. 36. 37. Angelus , ut ostenderet Mariæ , Deum id facere posse miraculose , absque ullo suæ virginitatis detrimento , respondens , dixit ei : *Spiritus Sanctus superveniet in te , & virtus Altissimi obumbrabit tibi . Ideoque , & quod nascetur ex te sanctum , vocabitur Filius Dei . Et ecce Elisabeth cognata tua , & ipsa concepit filium : in senectute sua : & hic mensis sextus est illi , quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* . Verbum est id , quod mente concipitur , & quidem diversimode sumi potest . Primo Verbum est , quod mente concipitur essentialiter , quippe generatione increata , necessario producendum ad intra : & hoc est Deus filius , secunda persona Trinitatis , quod sane Verbum nequit esse impossibile , cum sit ipse Deus , ens absolute , & simpliciter necessarium : verum hæc acceptio non facit ad rem præsentem . Secundo verbum est , quod mente concipitur identice , contingenter , ineffabiliter ; idest actus divinæ scientiæ contingentium ; juxta ea , quæ dicuntur in theologia lib. 1. de Deo . In quo sensu etiam patet , nullum Dei verbum , immo nec hominis , posse esse impossibile ; cum nulla cognitio divinæ , immo & humanæ mentis possit esse chimera . Sed neque hæc acceptio facit ad rem præsentem . Tertio verbum est , quod mente concipitur practice ; contingenter a Deo faciendum ad extra . Et in hoc sensu verbum significat intentionem , seu intentum Dei , seu quidquid Deus contingenter libere ab æterno decrevit producere in tempore ad extra . In hoc sensu nullum verbum Dei potest esse impossibile : hæc enim propositio , *non est impossibile apud Deum omne verbum* , idem sonat , ut syrus habet apud Cornel. a Lapide , *nullum verbum est impossibile apud Deum* : cum Deus , sapientissimus artifex , nequeat intendere , & decernere , ut a se faciendum , ullum impossibile : quia Deus , vel prævideret , tale opus esse chimeram , vel non prævideret . Si non prævideret ; ergo Deus non esset sapientissimus , & omniscius : si prævideret , & nihil-

nihilominus, illud, ut a se faciendum, absolute decerneret; Deus esset imprudentissimus, & infelix, utpote absolute decernens, assequi opus essentialiter inassequibile.

Dicitur autem verbum, quod Deus producere decernit ad extra, quia, in ordine ad ejus omnipotentiam, adeo facile est ponere quodlibet factibile, ut idem esse videatur dicere, ac facere; juxta illud Ps. 148. v. 5. *Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Unde D. Bernardus ser. 4. *Apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est: nec factum a verbo, quia virtus est: nec modus a facto, quia sapientia est.* Hinc patet, D. Thomam non asserere, quod Deus nequeat speculative cognoscere aliquod impossibile; licet nequeat illud primo aut concipere necessario ad intra, ut suum Verbum divinum; aut secundo concipere contingenter, ut actum scientiæ suæ sibi intrinsecum, adeoque identificatum ineffabiliter, juxta ea, quæ dicuntur in theologia lib. 1. de Deo; aut tertio ad extra decernere, vel intendere; aut quarto promittere, vel ut futurum prædicere. Immo D. Th. pluribus in locis explicans Aristotelem, expresse docet: propositiones formari tum de re, quæ non existit; tum de re, quæ non potest existere. Quarto verbum est, quod mente concipitur promissorie, vel socialiter communicandum ad extra; idest, quod Deus promittit, aut loquitur creaturis: in quo sensu, etiam vulgo, promissa dicuntur verba. Unde tritum illud:

*Verba ligant homines, taurorum cornua funes.*

Immo & in sacris paginis ut Matth. 24. v. 35. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Deus autem nequit impossibilia promittere, vel, ut futura prædicere: aliter vel esset infidelis, vel mendax, vel falsiloquus, & ignorans: juxta ea, quæ dicuntur in theologia lib. 3. de Fide.

XLVI. Objicies 12. Si intellectus creatus posset attingere, objectum aliquod impossibile, magis latepateret ejus sphaera, quam sphaera divini omnipotentia: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela majoris probatur, quia intellectus creatus posset se extendere ad impossibile, illud cognoscendo: omnipotentia vero divina non potest se extendere ad impossibile, illud producendo.

Respondeo, distinguo sequelam majoris: magis latepateret materialiter, transeat: formaliter, nego sequelam majoris: &



*distinguo minorem* : absurdum est, quod sphaera intellectus creati magis latepateat formaliter, quam sphaera divinae omnipotentiae, concedo; quod magis latepateat materialiter, nego minorem, & consequentiam. Sphaera divinae omnipotentiae est omne factibile: sicut sphaera divinae scientiae est omne scibile. Sphaera intellectus creati, omne cognoscibile. Jam omne scibile, & omne cognoscibile magis latepatet, quam omne factibile: cum evidens sit, quaedam objecta esse scibilia, & cognoscibilia, nec tamen esse factibilia. Enimvero ipse Deus est objectum maxime scibile, & cognoscibile, nec tamen est factibile, etiam per suam divinam omnipotentiam: carentiae sunt objectum scibile, & cognoscibile: nec tamen sunt vere, & proprie, rigoroſe factibiles, etiam ab ipso Deo. Immo peccatum est scibile, & cognoscibile a Deo, sed non factibile ab ipso: quia peccatum non habet causam efficientem, nisi deficientem. Deus autem incapax est metaphysice cujusque defectus, atque imperfectionis: cum sit ens undequaque optimum, & perfectissimum. Non igitur est absurdum, quod, in hoc sensu, magis latepateat sphaera intellectus, nedum increati, verum etiam creati; quam sphaera divinae omnipotentiae: quod est magis latepatere materialiter. Unde, quantum est praecise ex hoc capite, non est absurdum, quod creatus intellectus possit se extendere, puta cognoscitive, ad chimeras, ad quas non potest se extendere productivè divina omnipotentia; licet ad eas se extendat divina scientia cognoscitive, in quantum, se extendere cognoscitive ad illas, non est imperfectio, immo perfectio debita Deo, perfectissime omniscio: se autem extendere productivè ad chimeras, esset imperfectio, indigna Deo, ut alibi dicitur loco suo. Absurdum esset, si aliquod cognoscibile, sine defectu, cognosci posset ab intellectu creato, ad quod non posset divinus intellectus se extendere cognoscendo: hoc enim esset sphaeram creati intellectus formaliter magis latepatere, quam sphaeram intellectus divini. Et in casu nostro, absurdum esset, si creatus intellectus posset, cognoscendo, se extendere, ad omne citra defectum cognoscibile; nec tamen divina omnipotentia se extendere posset ad aliquod factibile citra defectum: hoc enim esset, sphaeram creati intellectus magis latepatere formaliter, quam sphaeram divinae omnipotentiae.

XLVII. Objicies 13. Si dari posset propositio in materia impossibili, attingens re vera chimeram, idest objectum impossibile  
*Ant. Forti.* ab

ab omni reali contradistinctum ; posset etiam dari apprehensio in materia impossibili , attingens re vera chimeram . Consequens est falsum : ergo & antecedens .

Respondeo in primis , distinguo majorem , nisi in hujusmodi apprehensione appareat repugnantia specialis concedo , secus nego majorem : & distinguo minorem , in sensu negato concedo , in sensu concesso , nego minorem , & consequentiam . Nostra assertio est de propositione , adeoque de judicio , & de secunda operatione intellectus : quidquid esset de prima .

Secundo , concessa majore , nego minorem , & primo dico : non est , cur impossibile , seu non existibile , tum per primam , tum per tertiam , ut per secundam , intellectus operationem attingi nequeat : sicut per easdem attingitur objectum reale non existens : & quare idem omnino objectum , de quo intellectus format judicium , non possit apprehendere , deque eodem argumentari , ac discurrere . Immo id passim in nobis contingit : cum regulariter judicium præcedat apprehensio .

Secundo dico : corrui sententia illorum , qui putant , non posse fieri ens rationis metaphysicum , nisi per actum affirmativum , aut negativum ; verum , aut falsum : quandoquidem id non nisi gratis assumitur : cur enimvero impossibile , seu inexistentibile , non poterit pure apprehendi ? & cur impossibile , seu inexistentibile cognitum per puram apprehensionem , dici non poterit impossibile cognoscibile , seu intelligibile ; immo impossibile actu cognitum , actu intellectum ; adeoque habens esse objective tantum , in intellectu , & ens rationis metaphysicum ; sicut reale non existens , cognitum etiam per puram apprehensionem , ipsis fatentibus adversariis , ens rationis logicum dici potest ?

Objicies 14. Si posset intellectus , & quidem per triplicem suam operationem , chimeras repræsentare ; posset , & suo modo voluntas , quin & oculus modo suo attingere objectum impossibile , ab omni reali contradistinctum . Consequens est falsum : immo & videtur inexplicabile : ergo & id , unde sequitur .

Respondeo in primis , ut ad superiorem instantiam , posset voluntas , & oculus , nisi de his afferatur repugnantia specialis , concedo ; secus nego majorem : & distinguo minorem , in sensu negato concedo , in sensu concesso nego minorem , & consequentiam .

*Phil. Neg. Log.*

O o

Secun-

Secundo, concessa majore, nego minorem. Rationem negationis dabunt articuli 11. & 12.

Objicies 15. Nequit assignari, quænam sint species chimerarum diversæ, quæ ab intellectu, maxime per varias propositiones, attingi possunt: ergo, &c. Responsionem habet

## A R T I C U L U S VIII.

Quotuplex sit propositio in materia  
impossibili.

*Prima divisio propositionis in materia impossibili.*

XLVIII. **D**ico 1. Propositio in materia impossibili multifariam dividitur: & quidem, ratione materiæ, dividitur primo in positivam, negativam, mistam, & relativam. Positiva est, quæ repræsentat impossibile positivum, suo modo, puta v. g. identitatem chimericam inter Verbum, & creaturam: cum qua dicitur cognitio constituere ens rationis metaphysicum positivum. Negativa est, quæ repræsentat impossibile negativum, puta v. g. carentiam aliquam impossibilem, cujusmodi est carentia Dei: cum qua dicitur cognitio constituere ens rationis metaphysicum negativum. Mistæ est, quæ repræsentat impossibile partim positivum, partim negativum, puta v. g. identitatem inter ens, & non ens; inter lucem, & tenebras: cum qua dicitur cognitio constituere ens rationis metaphysicum mistum. Relativa est, quæ repræsentat impossibile relativum, seu relationem impossibilem, indebitam alicui subjecto, cognitam, ut eidem convenientem, puta v. g. albedinem, ut debitam angelo: cum quâ cognitio dicitur constituere ens rationis metaphysicum relativum.

*Secunda divisio propositionis in materia impossibili.*

Dico 2. Dividitur secundo, ratione materiæ, propositio in materia impossibili in fundatam, & non fundatam. Fundata est, quæ repræsentat impossibile fundatum, idest quod concipitur, ut forma debita subjecto, cui est essentialiter indebita, ut albedo in angelo: cum quo propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum fundatum. Non fundata est, quæ repræsentat impossibile non fundatum, idest quod concipitur extra subjectum, ut  
alter

alter Deus : cum quo propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum non fundatum .

*Tertia divisio propositionis in materia impossibili.*

XLIX. Dico 3. Dividitur tertio, ratione materiæ, propositio in materia impossibili in ratiocinantem, & ratiocinatam. Ratiocinans est, quæ repræsentat impossibile, sine ullo fundamento in re v. g. hominem equum; aut alterum Deum : cum quo propositio dicitur constituere ens metaphysicum rationis ratiocinantis. Ratiocinata est, quæ repræsentat impossibile, cum aliquo fundamento in re, v. g. tenebras, ut identice ens positivum, identificatum cum nigredine : cum quo propositio dicitur constituere ens metaphysicum rationis ratiocinatæ.

*Quarta divisio propositionis in materia impossibili.*

Dico 4. Dividitur quarto propositio in materia impossibili, ratione materiæ, in formalem, & radicalem. Formalis est, quæ repræsentat impossibile formaliter, seu, ex suo primario conceptu, involuens duo contradictoria, puta v. g. hominem non hominem : cum quo propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum formale. Radicalis est, quæ repræsentat impossibile, non formaliter, & ex suo primario conceptu, involuens duo contradictoria, puta v. g. alterum Deum : cum quo propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum radicale.

*Quinta divisio propositionis in materia impossibili.*

L. Dico 5. Dividitur quinto, ratione materiæ, propositio in materia impossibili in simplicem, & compositam. Simplex est, quæ repræsentat impossibile physice simplex, quod scilicet non dicit in suo conceptu partes physicas, puta v. g. alterum Deum : cum quo propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum simplex. Composita est, quæ repræsentat impossibile physice compositum, quod scilicet dicit in suo conceptu partes physicas, puta v. g. hominem equum, qui importat, ex suo conceptu, physicam compositionem ex homine, & equo, adeoque ex materia, & forma : cum quo impossibili propositio dicitur constituere ens rationis metaphysicum compositum.

Dico 6. Dixi, *physice*, quia, si loquamur *quasi physice*; omne impossibile est quasi compositum : cum vel formaliter, & immediate; vel radicaliter, & mediate involuat duo contradictoria. Si vero loquamur metaphysice, omne impossibile est compositum : quatenus constat, suo modo, ex genere, & differentia;

tia ; adeoque, a fortiore, omne ens rationis metaphysicum : quod quidem , si concipiatur in actu ; erit etiam semper physice suo modo compositum : cum enim, in hoc sensu, sit impossibile cognitum ; dicit compositionem physicam , licet extrinsecam , ex impossibili , & cognitione ; ex quibus, veluti ex subjecto, & forma, constari intelligitur .

*Sexta divisio propositionis in materia impossibili.*

II. Dico 7. Dividitur sexto, ratione formæ , propositio in materia impossibili in affirmativam , & negativam . Affirmativa est, quæ repræsentat impossibile, de eodem aliquid affirmando : v. g. alter Deus est cognoscibilis . Negativa , quæ repræsentat impossibile , de ipso negando aliquid : v. g. alter Deus non est, nec esse potest.

*Septima divisio propositionis in materia impossibili.*

Dico 8. Dividitur septimo, ratione qualitatis, propositio in materia impossibili in veram , & falsam . Vera est , quæ conformatur suo objecto impossibili , sive de cætero sit affirmativa , cujusmodi est, v. g. alter Deus est chimera : sive negativa , cujusmodi est v. g. alter Deus non est possibilis . Falsa est , quæ difformatur suo objecto impossibili , sive de cætero illa sit affirmativa , cujusmodi est v. g. alter Deus est possibilis ; sive negativa , cujusmodi est v. g. alter Deus non est chimera . In quonam autem intellectu inveniri possint quædam saltem ex propositionibus in materia impossibili, quarum hactenus divisionem tradidimus ; examinabit

## A R T I C U L U S IX.

Quinam intellectus possit chimerizare.

LII. **D**ico 1. Quoniam quæri potest de intellectu , primo hominis : secundo animæ separatæ : tertio angeli : quarto Dei ; distincte , ac gradatim procedendo ; intellectus humanus potest chimerizare . Assertio satis constat ex dictis *art. 5. & seq.* Nam chimerizare est attingere chimeram , idest objectum aliquod impossibile , contradistinctum ab omni reali : atqui potest intellectus humanus , ex dictis *loco cit.* attingere chimeram : ergo potest chimerizare.

¶ Dico 2. Intellectus animæ separatæ potest chimerizare . Assertio probatur . Anima rationalis, dum est unita corpori, potest chi-

chimerizare : atqui non est, quare, post separationem a corpore, amittere dicatur hanc vim cognoscitivam, aut ejus usum, alioqui non repugnantem intellectui animæ rationalis, præcise, ut humano : neque enim assignatur specialis oppositio hujus usus cognoscitivi cum statu separationis a corpore : ergo, si potuit unita corpori, poterit etiam ab eodem separata chimerizare.

LIII. Dico 3. Intellectus angelicus potest chimerizare. Assertio probatur. Potest anima separata chimerizare: ergo & angelus: non enim est ratio specialis, quare repugnet intellectui angelico attingere chimeram. Enimvero, vel obstat primo præcise hoc, quod est, angelum esse substantiam completam: vel secundo præcise hoc, quod est, angelum esse spiritum: vel tertio hæc duo indivisibiliter, scilicet esse substantiam completam, & esse adæquate spiritualem: vel quarto aliquid aliud. Non primum, quia homo est substantia completa; & tamen potest chimeram attingere. Non secundum, quia anima rationalis separata est spiritus; & tamen potest attingere chimeram. Non tertium, quia est petitio principii. Non quartum, quia non est assignabile.

Dico 4. Intellectus divinus potest chimerizare, puta in sano sensu, seclusaque omni prorsus imperfectione. Est sententia communis (dummodo hic terminus, chimerizare, recte accipiat) ex Vasquez, Alarcon, Turriano, Isquierdo, Quiros, *disp.* 107. *sect.* 4. n. 36. & aliis, præsertim recentioribus.

LIV. Probatur. Potest angelus chimerizare: ergo & Deus, puta in sano sensu, seclusaque omni prorsus imperfectione. Antecedens constat ex præcedente assertionem. Consequentia probatur, quia non est assignabilis specialis repugnantia, & oppositio, quam habeat intellectus divinus cum cognitione chimæræ. Enimvero chimerizare, seclusa omni imperfectione, est chimeram, cognoscere, modo perfectissimo, quo chimera cognosci potest, puta absque ulla fictione, aut errore, aut deceptione, aut obscuritate, aut vitio simili, ex parte intellectus cognoscentis : atqui id potest intellectus divinus: ergo potest, in sano sensu, citraque omnem imperfectionem chimerizare. Major est explicatio terminorum, & si negetur, fiet quæstio de pura voce. Minor probatur, quia vel obstat primo præcise hoc, quod est, esse intellectivum pure spirituale: vel secundo, esse intellectivum pure spirituale, & adæquatum: vel tertio, esse intellectivum pure spirituale adæquatum, & præterea divinum, adeoque perfectissimum.

ctissimum: vel quarto aliquid aliud. Atqui non primum, ut constat ex dictis *assert.* 2. pro anima separata. Non secundum, ut constat ex dictis *assert.* 3. pro intellectu angelico. Non tertium, quia est petitio principii: immo potius ex hoc deducitur oppositum: siquidem intellectui divino, utpote perfectissimo in linea sua, tribui debet posse cognoscere, quovis modo, non importante imperfectionē ex parte cognoscentis, quodlibet objectū, alioqui cognoscibile: sed chimera est alioqui cognoscibilis: ergo, ipsam cognoscere, demptis imperfectionibus ex parte intellectus cognoscentis, eo meliori modo, quo ipsa cognoscibilis est, non videtur divino intellectui denegandum. Et sane Deus omniscius cognoscit omnia, deque ipsis perfectissime enunciat juxta meritum: ergo sunt in Deo hæ, & similes propositiones, idest intellectiones tum affirmativæ, tum negativæ: v. g. quarta persona Trinitatis est chimera. Non est alter Deus, præter me. Nullum impossibile dari potest.

## A R T I C U L U S X.

Solvuntur Objectiones.

LV. **O**bjicies 1. Contra quartam assertionem: Deus non facit ens rationis metaphysicum: ergo in nullo sensu potest chimerizare.

Respondeo, nego antecedens. Quia, facere ens rationis metaphysicum, nihil aliud sonat, apud philosophos, quam cognoscere objectum aliquod impossibile: & hoc ipsum sonat hoc, quod est præcise chimerizare.

Objicies 2. Contra eandem assertionem: Deus vel cognoscit impossibile directe, seu immediate; vel reflexe, seu mediate: neutrum dici potest: ergo illud non cognoscit: ergo non chimerizat, etiam in sensu traditionis.

Respondeo, nego majorem, quoad disjunctum: quia Deus cognoscit omne cognoscibile, ut cognoscibile est, demptis imperfectionibus: adeoque utroque modo cognoscit objecta impossibilia, tum scilicet directe, seu immediate; tum reflexe, & mediate, quatenus Deus cognoscit nostras cognitiones, quibus cognoscimus impossibilia: quia cognitiones sunt veluti speculum, representans objecta: & qui videt speculum, representans objectum aliquod; videt consequenter rem representatam in ipso speculo.

Quod

Quod si nostræ cognitiones quandoque falsæ sint , & erroneæ ; id non officit : neque enim est imperfectio, aut ignorantia in Deo , sed summa perfectio , & scientia , cognoscere , imperfectiones , & errores nostri intellectus : sicuti non est peccatum in Deo, cognoscere nostra peccata.

LVI. Objicies 3. Contra eandem assertionem : Deus vel cognoscit impossibile intuitive , nimirum ut est in se , vel abstractively : neutrum dici potest : ergo &c. Minor probatur : nam primum est de subiecto non supponente : quia impossibile non est , adeoque non est in se , nec cognosci potest , ut est in se . Secundum, arguit defectum in Deo, cum sit modus cognoscendi imperfectus : ergo Deus non cognoscit impossibilia , seu chimeras.

Respondeo , nego minorem , & eligo primam partem . Ad probationem minoris , nego primam partem antecedentis : ad cujus probationem distinguo antecedens : impossibile non est absolute , & simpliciter, realiter loquendo , concedo : non est, suo modo id , quod est , nego antecedens , & consequentiam . Impossibile habet suum esse , & prædicata impossibilia , quatenus scilicet non est capax ad existendum realiter : quod sufficit , ut a Deo cognoscatur , ut cognoscibile est, demptis imperfectionibus, intuitive , & in se modo suo ; sicut cognoscuntur ab eodem Deo objecta realia non existentia : quæ, licet non actu existant, cognoscuntur tamen a Deo perfectissime , quoad id , quod suo modo sunt : scilicet prout entia realia quidem, actu tamen non existentia . Utrum autem eadem possint esse terminus voluntatis , est

## ARTICULUS XI.

An voluntas possit attingere objectum impossibile,  
ab omni reali contradistinctum.

LVII. **D**ico 1. Potest . Assertio est communis cum Arriaga , Polizzio , & aliis complurimis , præsertim recentioribus .

Probatur : Voluntas suo modo attingit id , quod vult , aut positive non vult , scilicet quod ipsa amat , aut odio habet : atqui potest voluntas velle , aut nolle ; amare , aut odio habere aliquod objectum impossibile : ergo potest illud attingere , modo suo . Major est innegabilis . Minor probatur , quia non est ulla ratio spe-



specialis, cur nequeat voluntas, aliquo modo, conditionate nimirum, vel etiam absolute; prudenter, aut saltem imprudenter; velle, aut nolle; amare, vel odio habere aliquod objectum inexistentibile, quod ipsi voluntati ab intellectu, vere, vel falso, repræsentetur, ut bonum, aut malum: cum possit eadem voluntas prosequi amore, vel odio objectum aliquod, licet reale, & existentibile, actu tamen non existens. Et sane damnati reputantur, in sententia theologorum communi, desiderare, saltem conditionate, & imprudenter, carentiam Dei (quæ est maxima chimera) & quidem moti, vel ab odio formali in ipsum Deum, cujus illa carentia concipitur fore formale exclusivum: vel ab amore, & desiderio finis suarum poenarum, ne scilicet in æternum punirentur. Hæc quoad voluntatem creatam, sive hominis, sive animæ separatæ, sive etiam angeli: quoad voluntatem increatam,

LVIII. Dico 2. Voluntas divina attingit defecto, immo & necessario, atque essentialiter, omnes chimeras. Assertio probatur, & explicatur. Voluntas divina est perfectissima: ergo necessario, & essentialiter amat omne id, quod necessario est: puta quod vel proprie, & simpliciter est necessario, cujusmodi est ipse Deus: vel quod abusive, & secundum quid est, cujusmodi sunt carentiæ necessariæ. Sicut enim non esset perfectissima voluntas divina, nisi necessario amaret, immo ipsa esset identice amor sui; ita nec esset perfectissima, nisi esset amor omnium illorum objectorum, quæ cum ipsa necessario, & essentialiter metaphysice, connectuntur: cujusmodi sunt carentiæ chimerarum, ut dicitur in metaphysica. Hinc tandem infero: ergo voluntas divina necessario, & essentialiter odio habet omnes chimeras: si enim necessario, & essentialiter amat unum contradictorium: ergo alterum contradictorium, perfectissime cognitum, ut tale, necessario essentialiter odio habet divina voluntas, utpote cui ab intellectu divino, essentialiter indistrahibili a quavis cognoscibili veritate, semper, necessario, essentialiter, perfectissime repræsentatur oppositio essentialis formalis inter carentias chimerarum, ipsasque chimeras; adeoque connexio essentialis ipsius Dei cum carentiis chimerarum, & oppositio essentialis consecutiva inter ipsum Deum, ipsasque chimeras. Verum

LIX. Dico 3. Utrum voluntas, attingens suo modo objectum inexistentibile, dicatur facere ens rationis metaphysicum; quæstio est de nomine. Negatur passim, quia non voluntas, sed intellectus

*Ant. Forti.*

dici-

dicatur ratio a verbo reor: sicut negatur communiter, quod voluntas, attingens suo modo reale non existens, dicatur facere ens rationis logicum. Et in hoc sensu assertionem negare videtur Suarez *disp. 14. metaph. sect. 2. num. 17.* Oviedus *contr. 12. metaph. puncto 6. num. 7.* Comptonus in *logica disp. 26. sect. 1. num. 2. & 3.* Hurtadus *disp. 19. metaph. sect. 1. num. 18.* in fine. Cæterum impossibile a voluntate amari, vel odio haberi aliquo modo posse, mihi videtur ab his doctoribus non negari.

Poterit igitur dici voluntas, attingens objectum impossibile, facere ens metaphysicum voluntatis, nimirum quid simile enti metaphysico rationis: sicut dicitur in hoc sensu, quod voluntas, attingens objectum reale non existens, faciat quid simile enti logico rationis: nisi velit controverti de pura voce. Neque obstat, quod, cum nil volitum, quin præcognitum, ens metaphysicum voluntatis præsupponat semper, saltem regulariter, & connaturaliter, ens metaphysicum rationis: quia id etiam militat in ordine ad ens logicum voluntatis, scilicet in ordine ad ens reale existens, vel non existens; amatum, vel odio habitum: quandoquidem voluntas nostra non fertur in incognitum: cum enim sit cæca, ipsam præcedit, ut director, & objectorum explorator, intellectus maxime oculatus. Quid autem, quoad chimeras percipiendas, dicendum de ipsomet oculo materiali, profert,

## A R T I C U L U S XII.

An oculus possit chimeram attingere.

LX. **D**ico 1. Potest oculus attingere, modo suo, objectum aliquod impossibile, ab omni reali contradistinctum. Est sententia plurium recentiorum cum Arriaga *disp. 7. metaph. sect. 3. subsect. 13.* & pro eadem posset citari Spinula, qui, licet neget, intellectum posse attingere objectum impossibile; *disp. tamen logicæ quarta sect. 3. num. 62.* contendit, quod, qui sustinent, intellectum attingere posse impossibile, teneantur etiam id concedere, non solum voluntati, sed & sensibus externis. Quæ quidē sententia, quanvis, prima fronte, appareat nimis ardua, & fere incredibilis; si tamen bene consideretur, suam habet probabilitatem. Probatur. Possibilis est visio, habens objectum impossibile, seu non existibile: ergo potest oculus chimeram attingere. Antecedens probatur: potest aliquis oculus videre objectum

*Phil. Neg. Log.*

P p

ali-

aliquid non existibile : ergo possibilis est visio habens objectum impossibile, seu non existibile. Antecedens probatur : potest oculus videre objectum aliquod non existens : ergo & objectum aliquod non existibile. Antecedens probatur : potest Deus, destructo colore, quem videt oculus, conservare species coloris destructi, & illas adhuc satis immittere in oculum. Potest pariter Deus producere species alicujus coloris præteriti, aut futuri, aut pure possibilis ; & illas satis immittere in oculum, de quo loquimur : sed in his casibus posset hujusmodi oculus videre aliquod non existens : ergo potest aliquis oculus videre objectum, aliquod non existens. Utraque præmissa hujus syllogismi probatur : quia nulla in hoc est assignabilis repugnantia. Et quidem antecedenti prædicti enthymematis hætenus probato, favere videtur primo Divus Thomas 3. *par. quest.* 76. *art.* 8. docens, apparere quâdoque in Eucharistia puerum, aut carnem ; & tunc solummodo visionem dari illius pueri, non vero puerum. Secundo quotquot sustinent, quod in alia providentia potuisset Christus instituere Eucharistiam cum solis accidentibus intentionalibus panis, & vini, quin haberentur physica accidentia, quæ viderentur : quibus subscribit Polizzius *tract. unic. metaph. dis.* 57. *sect.* 2. contra Sfortiam Pallavicinum. Immo non desunt, qui id fortasse contendunt defacto ; merito, aut immerito ipsi viderint : non est hic locus examinandi. Tertio Enao in empyreologia, ubi *lib.* 8. *exercit.* 32. *n.* 37. sustinet, videnda oculo materiali a corporibus beatis plura etiam objecta non existentia, seu per species miraculose productas a Deo, infusasque in oculis eorundem beatorum : seu per elevationem pure extrinsecam : cum possit Deus supplere defectum speciei impressæ, juxta ea, quæ dicuntur in *theol. lib.* 1. *de Deo*. Quod si quis, concessio prædicto antecedente, negaverit consequentiam ; illa probatur hoc pacto : potest Deus immittere in aliquem oculum species objecti non existentis ; & tunc oculus videre objectum aliquod non existens : ergo potest Deus immittere in oculum aliquem species objecti non existibilis ; & tunc oculus videre objectum aliquod non existibile, v. g. albedinem identificatam cum nigredine secundum essentialiter incompossibili, seu, ut aliqui recentiores, species coloris purpurei indivisibilis, ex suppositione, quod repugnarent puncta indivisibilia : aut species infinitorum colorum, aut coloris infinite intensi, ex suppositione, quod hujusmodi infinita repugnarent.

Con-

Consequentia probatur: nequit enim assignari disparitas, quæ faciat ad rem, specialis videlicet repugnantia in hoc, quod oculus aliquis videat objectum aliquod non existibile. Quandoquidem tota difficultas in eo sita est, meo iudicio, quod oculus videat aliquod non existens: cæterum si illud existere possit, siue non, materialiter se habet, in ordine ad præsentem difficultatem, ni fallor: vel assignetur specialis repugnantia, orta præcise ex inexistibilitate objecti, quoad oculum, quæ non oriatur ex eadem inexistibilitate objecti, quoad intellectum, aut voluntatem.

LXI. Dico 2. Ufus sum prædicto argumento, non recurrendo ad species alienas, ne illam subire cogerer controversiam, an scilicet oculus videre possit objecta per species alienas v. g. albedinem identificatam cum nigredine impossibili, per species reales utriusque confusas, & combinatas inter se, ut multi sustinent: ad eum modum, quo ex commistione canis & lupæ generatur lycisca: & ex insitione duarum arborum diversarum oriri potest quid tertium diversum. Cæterum qui concedunt, posse oculum, etiam nostratem, per species alienas objecti existentis, videre objectum aliquod non existens; non est, quare negent eidem oculo, per species objecti non existibilis posse videre objectum non existibile, juxta ea quæ diximus de intellectu.

Dico 3. Alii, præsertim recentiores, probare conantur traditam assertionem variis argumentis: nimirum, Primo, oculus videt defacto objectum non existens: ergo potest videre objectum non existens: ergo & potest videre objectum non existibile. Antecedens probatur: oculo defacto remus, alioquin in se rectus, curvus apparet: ergo oculus videt curvitatē remi: sed hæc revera non existit: ergo oculus videt objectum non existens. Secundo, oculus videt defacto colorem non existentem: ergo potest videre objectum non existens: ergo quare non etiam objectum, puta colorem, non existibilem? Antecedens probatur, quia oculo apparent in iride, & in collo columbæ, & in pennis pavonis varii colores, qui revera ibi non existunt, ut patet experientia, si homo accedat, & ea propinquius intueatur. Tertio, non implicat aliquis color essentialiter ex intrinsecis suis affixus uni tantum loco A, determinato. Jam si tali colori procul a fronte speculum opponatur in loco B, speculum colorem illum repræsentabit in loco B, puta in suo crystallo, ubi revera color

non est, nec esse potest, quippe essentialiter affixus loco A: ergo tunc oculus, aspiciens in speculo colorem illum, videret illum, ubicatum in in loco, in quo revera non est, nec esse potest ubicatus: ergo videret ubicationem impossibilem.

LXII. Dico 4. His, & similibus argumentis non videtur utendum, quia posset ab adversariis responderi,

Ad primum, nego antecedens. Ad ejus probationem, nego iterum antecedens. Ratio est, quia oculus non videt, nisi colorem, & lucem: gratis enim ultra extenditur sphaera oculi, ut dicitur loco suo: ergo oculus non videt curvitatē, sicut nec videt rectitudinem remi, aut baculi: ergo hæc non apparent oculo, sed homini, vel bruto: sive de cætero curvitas, & rectitudo physice sita sint in ubicationibus, sive in carentiis, sive etiam in quantitate, quæ non sunt objecta pertinentia ad oculum. Cum igitur in hoc, & simili casu remus, aut virga homini, vel bruto apparent curva, vel recta, adeo ut sæpe fallantur pueri, rudes, & imperiti; formaliter, & proprie fallitur humanus intellectus, aut minus proprie imaginatio, & phantasia: quod, occasione desumpta ab visione talium colorum, & lucis, curvitatē in illo remo, vel baculo, affirmat homo judicando: aut saltem imaginatur: quam & sibi suo modo confingunt bruta per phantasiam. Quando autem vulgo dicuntur falli, & errare oculi, sensus est metonymicus, puta occasionaliter, non formaliter: quatenus nimirum visio sæpe causa est, seu occasio erroris, licet ipsa non sit error, proprie dictus. Quod si petatur, unde proveniat, ut in hujusmodi casibus visio eliciatur minus clara, minus perfecta, adeoque occasionaliter, modo prædicto, erronea; dico id procedere, quia species visuales perveniunt ad oculum tali, & tali modo refractæ per aquas: eadem autem species, pro circumstantiarum varietate, aptæ sunt determinare oculum ad talem, aut talem visionem magis, vel minus claram; magis, vel minus perfectam.

Ad secundum, nego antecedens. Ad ejus probationem nego iterum antecedens: quia oculus in iride, in collo columbæ, in pennis pavonis non videt colorem ullum non existentem, sed colorem illum, qui revera adest (si quis adest) & præterea lucem reflexam: quorum speciebus immixtis determinatur oculus ad talem, & talem visionem magis, vel minus claram, & perfectam eliciendam; quæ possit esse occasio intellectui putandi, quod for-

fortasse ibi revera existant varii colores , qui revera non existunt , ut dictum est ad primum.

LXIII. Ad tertium , nego antecedens : primo , quia oculus non videt , nisi colorem , & lucem : ergo non videt ubicationē coloris , & lucis ab his distinctam : secundo , quia , in casu posito , oculus videt colorem ubi est : quatenus species immissa a colore in speculum , inde reflectitur ad oculum : & hunc determinat ad visionem coloris eliciendam , quam elicere non posset , si species coloris a tergo collocati , non reflecteretur per speculum ad iter peragendum directa ad oculum . Cæterum tertio : si per speculum illud , in casu , videndus esset color ille alibi collocatus , non autem ad summum ejus figura , quæ non esset essentialiter affixa loco A . & revera color existeret , ac repræsentaretur in speculo , in quo prospiceretur ; adeoque si videndum esset aliquod impossibile , aliqua nimirum impossibilis ubicatio : non posset oculus hujusmodi objectum , quantunvis intra suam sphæram collocatum , videre : quia implicat objectum videri a potentia non habente capacitatem , & virtutem illud videndi : atqui oculus non habet virtutem videndi chimeram : ergo non posset oculus tale objectum videre : ergo aliquando tandem assertio probanda erit : quia ex una parte non repugnat , ab aliquo possibili oculo videri chimeram aliquam : ex altera parte potest excogitari modus , quo oculus noster obedientialiter elevetur ad hujusmodi visionem : cum detur defacto potentia obedientialis ad quodlibet , alioqui non repugnans , in creaturis : quod sane est reduci ad nostram rationem fundamentalem .

### A R T I C U L U S XIII.

#### Solvuntur objectiones .

LXIV. **O**BJECIES 1. Impossibile est extra sphæram potentiæ visivæ : objectum reale , quantunvis non existens , est intra sphæram ejusdem potentiæ : ergo nostrum argumentum ab objecto reali non existente , ad objectum non existibile , non evincit intentum .

Respondeo , nego antecedens , quoad primam partem : color est objectum potentiæ visivæ : jam assignetur , cur solū color realis , & existibilis ; non etiam color chimericus , non existibilis sit objectum , & intra sphæram potentiæ visivæ : sicut non solum ens , & verum

verum existens, seu non existens reale, sed etiam chimericum, seu non existibile, est intra sphaeram potentiae cognoscitivae: non solum bonum, & malum reale existens, seu reale non existens, sed etiam chimericum, seu non existibile, est intra sphaeram potentiae volitivae.

Objicies 2. Repugnat species realis ex se ordinata ad visionem objecti impossibilis: ergo corrumpit ratio nostra fundamentalis.

Respondeo, nego antecedens, quod gratis omnino assumitur: si enim non repugnat species existens ex se ordinata ad perceptionem objecti non existentis, quin & non existibilis, quoad intellectum; quare, quoad oculum, repugnabit?

Objicies 3. Oculus non videt identitates rerum: ergo non potest videre identitatem impossibilem inter nigredinem v. g. & albedinem.

Resp. nego antecedens. Identitates rerum sunt ipsamet res: si ergo oculus videt colorem, videt omne id, quod est cum colore identificatum, & ipsam identitatem, quae non est quid distinctum realiter ab ipso colore. Itaque nunc oculus, videns albedinem realem, videt praedicatum qualitatis, videt praedicatum disgregativi visus, videt identitatem realem inter hujusmodi praedicata: & tunc, videns albedinem impossibilem, videret identitatem irream albedinis cum nigredine, quae esset identitas chimerica, identificata cum albedine nigredine chimerica: esto non possit oculus ferre judicium de identitate, sicut nec potest ferre judicium de possibilitate, aut impossibilitate: hoc enim spectat ad intellectum: estque difficultas, quae militat contra oculum, etiam in ordine ad objecta realia, quae videt, de quibus ipse oculus nequit, & nescit profecto ferre judicium. Eadem difficultas fieri posset contra voluntatem, & potentiam apprehensivam, praecise ut talem: immo, & contra intellectum rusticorum: hi enim nesciunt ferre judicium, quod existant plura praedicata, quae tamen ipsi realiter cognoscunt ex parte objecti.

LXV. Objicies 4. Objectum, ut videatur, debet immittere potentiae speciem sui: sed impossibile non potest immittere potentiae visivae speciem sui: ergo non potest videri.

Resp. nego majorem in universum: vel enim haec necessitas oritur praecise ex praedicato perceptivi: vel praecise ex praedicato taliter perceptivi, idest visivi: vel aliunde. Non primum, ut patet in intellectu, ex superius dictis, non secundum, quia est petitio

tio principii, & gratis assumitur: non tertium, quia non est as-  
signabile. Deinde hoc argumentum retorqueri potest contra vi-  
sionem objecti realis non existentis. Unde redit ratio nostra  
fundamentalis pro assertione.

Objices 5. Stante hac sententia, confunduntur sensus: ergo  
non est admittenda. Antecedens probatur, quia posset oculus per-  
cipere sonum, odorem, saporem.

Respondeo, nego antecedens: ad cuius probationē distinguo, nisi  
id repugnaret ex alio capite, nimirum ex conceptu oculi, visionis,  
soni, odoris, saporis concedo; secus, nego antecedens, & con-  
sequentiam. Et sane non valet per adversarios: intellectus potest amare; vo-  
luntas potest amare: ergo potest cognoscere; oculus potest vide-  
re colorem realem: ergo & sonum. Igitur nec valet argumen-  
tum adversariorum ad inferenda alia, quæ aliunde aut proban-  
tur, aut supponuntur, ex ipsis terminis, repugnare: cujusmodi  
sunt, oculum, qua talem audire: sonum, qua talem videri: & si-  
milia.

Objices 6. Oculus defacto existens vel potest elevari ad  
videndum objectum aliquid impossibile, vel non. Neutrum:  
ergo falsa conclusio.

Respondeo, nego minorem, & eligo primam partem: si-  
cut etiam in ordine ad videndum objectum reale non existens,  
absens, non debite applicatum: suppono enim, dari defacto poten-  
tiam obedientialem in quolibet creato ad quodlibet, quod aliunde  
non probatur, aut supponitur, simpliciter, vel secundum quid re-  
pugnans, juxta ea, quæ dicta sunt in theologia lib. 6. de Sacram.

Objices 7. Vel sermo est de oculo humano tantum, vel  
etiam de oculo brutorum. Neutrum: ergo nequit oculus videre  
objectum impossibile.

Respondeo, nego minorem: & dico de utroque, cum mili-  
tet eadem ratio pro non repugnantia: sicut etiam in ordine ad  
objectum reale non existens.

LXVI. Objices 8. Ex Sfortia Pallavicino: non potest oculus  
videre objectum non existens: ergo neque non existibile. Ante-  
cedens probatur: esto possit Deus, ad breve tempus, permittere,  
quod sensus fallantur, videndo id, quod non existit; non tamen  
potest permittere in univrsū, & ad longum tempus: ergo &c.

Re-



Respondeo; nego antecedens: ad cuius probationem, nego iterum antecedens, tanquam de subiecto non supponente: quia, quando oculus, & sensus alii perciperent suo modo objectum, non existens, proprie, & formaliter non fallerentur ipsi, sed intellectus, si asseveranter iudicaret, esse existens id, quod videretur in tali casu. Deinde, etiam dato hoc antecedente, neganda esset consequentia: quia ad veritatem nostrę assertionis sat esset, si posset oculus, vel ad brevissimum tempus, videre objectum non existens: & consequenter etiam, ad brevissimum tempus, objectum non existibile.

Objicies 9. ex eodem Pallavicino: si oculus posset videre objectum non existens; non essemus certi, quod existant revera, quę nos videmus: consequens est absurdum, immo & origo plurium absurdorum: ergo & id, unde sequitur:

Respondeo, distingo sequelam maioris: si dubitemus de miraculo, transeat; secus nego sequelam maioris: & distingo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Experientia sensuum est experientia physica, quę, suo modo, idest occasionaliter, nos fallere quidem potest, si Deus velit miraculose operari: quoniam vero nunquā sunt pręsumenda miracula, nisi efficaciter constet, quod illa dentur; quando aliquid videmus, dicimus prudenter illud existere, nisi aliunde constet ejusdem, quod videmus, non existentia. Sic accidentia sunt a natura taliter instituta, ut, visa ab oculo, vel percepta a sensibus, ducant nos in cognitionem existentia substantia, cui adherent: & tamen potest Deus miraculose conservare accidentia sine substantia: in quo casu, visis accidentibus, possumus occasionaliter falli sensibus, modo suo, iudicando, quod existat substantia sub illis accidentibus, sub quibus re vera tunc non existit. Si autem Deus velit, nos nihilominus inde, sensuum occasiones, neutiquam falli; patefacit, aut revelat tale miraculum: ut revelavit defacto in mysterio Eucharistia, in qua certum est, existere accidentia panis, & vini sine substantia panis, & vini. De miraculis nec dubitandum sine prudenti motivo.

LXVII. Objicies 10. Sequeretur, quod alii sensus possent, suo modo, percipere objectum impossibile.

Respondeo, distingo sequelam: si id non repugnet aliunde, ob aliquam specialem repugnantiam, concedo; secus nego sequelam. Jam non defuere recentiores, qui sequelam absolute

*Ant. Forti.*

con-

concefferint . Illud adverto , quod , qui negant , tenentur assignare disparitatem , & specialem repugnantiam , deductam ex conceptu aliorum sensuum : vel quia nimirum probetur aliunde , aut supponatur , quod exigant suum objectum per se , & immediate præsens , & applicatum , non vero per species ; adeoque existens : vel ex alio capite . Cæterum non video difficultatem , cur Deus non possit , destructo , v. g. objecto sonoro , ipsoque sono , conservare divinitus eandem numero sensationem , quam prius percipiebatur sonus ; destructo objecto sapido , ipsoque sapore ; destructo objecto tangibili , & ejus quantitate ; destructo objecto odorifero , ipsoque odore , conservare sensationes , quibus talia objecta percipiebantur : in quibus casibus percipi quidem posset objectum non existens . An autem posset dici , illud tangi , deglutiri &c. quæstio est de nomine : & negant , qui probant , ad hujusmodi denominationes requiri præterea objectum ipsum , secundum se applicatum potentia immediate .

Objicies 11. Sensus externi , nec divinitus ferri possunt in objecta non existentia : ergo , a fortiori , neque in objecta non existibilia .

Respondeo , nego antecedens , ex Divo Thoma , Scoto Durando , Ledesma , Victoria , Molina , Suarez , Conimbricensibus , Arriaga , & aliis , præsertim recentioribus . Immo , id defacto accidisse putant nonnulli ex Divo Thoma , & ex Aristotele de somniis cap. 2. ubi sic habet : *manifestum autem cum continue aliquod sentimus : nam , licet sensum transferamus , eum nihilominus comitatur passio , ut de sole ad umbram : contingit enim nihil tunc cernere , ob motiunculam , a lumine adhuc in oculis restantem .* Idem initio capitis : *sensibilia enim , secundum singulum sensorium , in nobis efficiunt sensum : & quæ sit ab eis passio , non solum inest in sensoriis , dum sensus agunt , sed etiam dum abiciunt .*

LXVIII. Objicies 12. Si posset oculus videre objectum impossibile ; posset , & quidem a fortiori , divinitus elevari ad videntia objecta spiritualia & ipsum Deum .

Respondeo , distinguo sequelam , si non assignetur specialis repugnantia , concedo ; secus nego sequelam . Porro illam plures recentiores absolute concedunt , & hujusmodi visionem theomater inspectionem appellant : nonnulli id negant oculo actuali , concedunt oculo possibili : communis tamen sententia absolute negat : cum Deus non sit color , aut lux , quæ unice supponuntur objectum visus . Verum hæc in theol. lib. 1.

Phil. Neg. Log.

Q9

Ob.

Objicies 13. Sequeretur, quod imaginatio, saltem humana, se extendere possit ad impossibile.

Respondeo, concedo sequelam, ex Suarez *disp.* 14. *metaph. sect.* 2. n. 18. quanvis ille id neget sensibus externis. Quod profecto videtur multo magis potentiae imaginativæ concedendum, ex suppositione, quod oculo permittatur: cum præterea faveat commune axioma, quod scilicet ens imaginabile magis late pateat, quam ens possibile: nec in contrarium ulla specialis repugnantia afferri possit.

Objicies 14. Si posset oculus videre objectum impossibile, itaque chimerizare, & facere ens rationis modo suo; posset etiam oculus universalizare, suoque modo facere universale. Consequens est absurdum, & prorsus inexplicabile: ergo & antecedens.

Respondeo, in præsentī: distingo sequelam majoris, nisi assignetur specialis aliqua repugnantia, concedo; secus, nego sequelam majoris: & distingo minorem, consequens est absurdum, & prorsus inexplicabile, si contra oculum afferatur aliqua specialis ratio, in ordine ad universalizandum, concedo; secus, nego minorem, & consequentiam. Dixi, in præsentī, utrum enim, oculus, suo modo, possit facere universale, breviter innuet subsequens disputatio. Sit interim

#### A R T I C U L U S XIV.

Analysis prædictorum in argumenta  
negativa.

LXIX. **D**ico 1. Omīssis quibusdem minutioribus, de quibus consideranti constare facile poterit, tum a nobis, tum ab adversariis in hac *disp.* 6. tandem negative probari; quoad præcipuum punctum difficultatis, quod est, an detur ens rationis metaphysicum, scilicet, an intellectus attingat defacto objectum aliquod impossibile, ab omni ente reali contradistinctum; diximus, intellectum hominis, animæ separatæ, angeli, quin & ipsius Dei, se extendere ad impossibile. Addidimus, id, modo suo, posse etiam præstare voluntatem; quin & imaginativam, ipsumque oculum, etiam defacto existentem. Primo probavimus de intellectu creato præsentis seriei: quia ex una parte, cum

cum intellectus hic sit aliunde potentia universalis intellectiva: & eliciat propositiones in materia impossibili: ex altera parte, cum non sit assignabilis ulla repugnantia in hoc, quod objectum aliquod impossibile cognoscatur; non est, quare ejus vis intellectiva limitetur, dicendo, quod propositiones illæ, quæ prima fronte videntur esse de objecto impossibili, resolvendæ sint per objecta duntaxat realia; quanvis dicto modo resolvi possent. Sic, propter similem rationem, ipsi adversarii concedunt, intellectum defacto cognoscere objecta realia, non solum actualia, verum etiam non existentia: non obstante, quod propositiones in materia actu non existente, resolvi possent per objecta existentia: ut propositiones in materia impossibili, resolvi possunt per objecta possibilea: non enim est assignabilis ratio, quare non, vel utrumque possit, vel neutrum.

LXX. Secundo, de intellectu divino: quia in ordine ad ipsū, ex una parte, non apparet repugnantia specialis: ex altera parte intellectui divino concedenda est omnis vis intellectiva, alioqui non repugnans: cum non possit intelligi, quomodo salvari possit divina omniscientia, si ei denegetur cognitio alicujus objecti, de quo aliunde non constat, esse implicans cognosci, demptis imperfectionibus in divina potentia cognoscente.

Tertio de aliis potentiis: quia non est assignabilis ulla repugnantia specialis, cur illæ, modo suo, nequeant tendere in chimeram, ipsis quoad cognosci proportionatam; si potest intellectus, modo suo, versari circa chimeras. Nihilominus

Quarto non negavimus, possibile esse intellectum alicujus seriei, limitatum quoad objecta solummodo possibilea: qui consequenter nequeat, etiam divinitus, elevari ad ullum objectum irrealis cognoscendum. Eodem modo possibilem esse voluntatem, imaginationem, oculum ad sola objecta realia limitatum: quia in hujusmodi potentiis, quarum sphaera cognoscitiva sit essentialiter ex suis intrinsicis minus ampla; non potest afferri implicitantia contradictionis.

LXXI. Dico 2. Adversarii contra nos arguunt: primo, pro parte negativa talis virtutis defacto in intellectu creato: quia defacto non sunt ponendæ virtutes, seu perfectiones in creaturis, nisi efficaciter (ipsi ajunt, nisi positive probentur) atqui non probatur efficaciter (positive, ut ipsi loquuntur) talis virtus in potentiis creatis cognoscitivis defacto: ergo non est. Minorem

Qq 2

rem probant, quia non est assignabilis, idest non apparet hujusmodi ratio : quin & modus, quo intellectus, & a fortiori voluntas, & oculus præsertim, versari possint circa impossibile.

Secundo, quoad Deum : tum quia ex genere suo cognosci chimeram repugnat : ut repugnat ipsam produci : neque enim, est assignabilis potior ratio, quare, si chimera existeret ; existeret, & non existeret : si autem cognosceretur ; cognosceretur, & non cognosceretur. Tum quia, etiam dato, quod possit intellectus creatus, utpote imperfectus ; nequit tamen intellectus divinus : quia chimera nequit cognosci, nisi abstractive : cum non appareat, quomodo possit intuitive, & in se : sed modus cognoscendi abstractive dicit imperfectionē, nec apparet, quomodo cū summa perfectione intellectus divini componi possit : ergo Deus nequit chimeram cognoscere.

Tertio, alii adversarii, contra possibilitatem intellectus, limitati duntaxat ad objecta realia : tum quia non implicat, idest non apparet repugnantia, quod omnis intellectus possibilis habeat virtutem cognoscitivam illimitatam : tum quia aliter dari posset voluntas, imaginativa, oculus, limitatus ad unum genus colorum, immo ad unam speciem, immo ad unum individuum tantum : cum non appareat dispar ratio : ergo defacto dicendum, ita se habere potentias omnes, de quibus non aliunde innoteſcit, quod non ita limitate se habeant, in sua linea.

LXXII Dico 3. In hac disputatione, ut constat ex dictis, quoad punctum principale ( quod est, meo iudicio, valde profundum, & difficile ) pugnant tandem aliquando inter se quædam principia opposita, quæ sub diversis phrasibus proponuntur, aliqua contra ens rationis metaphysicum, alia in ejus favorem.

*Contra ens rationis metaphysicum.*

Assumunt adversarii principium illud, primo, tali pacto : *non sunt ponendæ virtutes, sine necessitate* : unde arguunt : sed nulla est necessitas ponendi in intellectu virtutem attingendi impossibile : cum propositiones omnes possint resolvi per objecta possible : ergo intellectus non habet virtutem attingendi impossibile.

Vel secundo sic : *non sunt ponenda objecta diversa, sine necessitate* : unde arguunt : atqui nulla est necessitas ponendi objecta diversa in propositionibus de possibili, & de impossibili : cum propositiones omnes resolvi possint per objecta possible, perque modum tendendi diversum : ergo propositionibus de possibili, & pro-

propositionibus de impossibili, non correspondet objectum diversum a possibili.

Vel tertio sic: *nihil est dicendum esse impossibile, nisi probetur esse implicans existere*: unde arguunt: atqui de nullius propositionis objecto probatur, esse implicans existere: cum quævis propositio assignabilis resolvi possit per objectum non implicans existere: ergo nullius propositionis objectum est impossibile.

Vel quarto sic: *aut semper, aut nunquam recurrendum est ad objecta diversa, pro salvanda propositionum diversitate*: cum nequeat assignari disparitas: unde arguunt: atqui non semper, cum non adsit talis necessitas: ergo nunquam.

Vel quinto sic: *admisso objecto impossibili, tollitur de medio omnis diversitas propositionum, per solum modum tendendi*: neque enim poterit impugnari, qui asserat: propositionem copulativam, & disjunctivam, habere objecta diversa; sicut etiam propositionem interrogativam, & admirativam; immo cognitionem mere apprehensivam, & judicativam, & illativam non esse de eodem objecto: quanvis hujusmodi multiplex diversum objectum sit a nobis certo, ac determinato vocabulo innominabile. Et sane non apparet ratio, quare per eos, qui admittunt ens rationis metaphysicū, negato objecto impossibili, adeoque improducibili, etiā ab ipso Deo, tollatur de medio omnis diversitas objectorum: nec possit ratione impugnari, qui asserat: propositionem de existente, & non existente, idem habere objectum, puta existens; & diversitatem totam se tenere penes modum tendendi, alioqui diversum: sicut etiam idem habere objectum omnem propositionem affirmativam, & negativam: totamque diversitatem se duntaxat tenere ex parte modi tendendi, alioqui diversi, quin etiam oppositi; admisso tamen objecto impossibili, adeoque improducibili, etiam per divinam omnipotentiam; non sequatur, quod debeat pariter admitti objectum, nobis certo, ac determinato vocabulo innominabile: per quod tollatur de medio omnis diversitas illarum omnium propositionum, quas ipsi entis rationis fautores dicunt, duntaxat discriminari inter se per modum tendendi, cujusmodi sunt interrogativa, & admirativa; copulativa, & disjunctiva, & similes.

*In favorem entis rationis metaphysici.*

LXXIII. Dico 4. Nos principiū nostrum assumimus, quod primo proponi potest tali modo: *non est recurrendum, quasi ad asylum,*  
ad

*ad solos modos tendendi diversos, sine necessitate, pro salvanda propositionum diversitate*: unde arguimus: atqui nulla est hujusmodi necessitas, pro salvanda diversitate propositionum de possibili, & de impossibili: nam salvari commode potest per objecta diversa: cum ex una parte objectum, implicans existere, non sit implicans cognosci: ex altera parte intellectus sit potentia simpliciter cognoscitiva: nec appareat ratio specialis, quare sit cognoscitiva tantum realium, & non etiam irrealium objectorum: ergo, pro hac salvanda, non est recurrendum ad solos modos tendendi.

Vel secundo sic: *propositiones, quæ a summulistis vocantur, in materia diversa, non sunt dicendæ, differre inter se solum formaliter, ex parte actus; & non materialiter, ex parte objecti; sine necessitate*: unde arguimus: atqui ex una parte, propositiones de possibili, & propositiones de impossibili, vocantur a summulistis, in materia diversa: ex altera vero parte nulla est necessitas dicendi, quod differant solum ex parte actus: cum possit commode diversitas salvari etiam per objecta diversa, puta per objectum possibile, & per objectum impossibile, ab omni reali contradistinctum: ergo non sunt dicendæ, differre solum formaliter, ex parte actus, puta ex mero modo tendendi.

Vel tertio sic: *non est, sine necessitate, diversimode discurrendum de propositionibus de possibili, & de impossibili, proportionem servata*: unde arguimus: atqui ex una parte salvantur propositiones de possibili non actuali, per objectum non existens: ex altera parte non est necessitas, quoad hoc, proportionem servata, diversimode discurrendi quoad propositiones de impossibili: ergo propositiones de impossibili salvandæ sunt per objectum non existibile.

Vel quarto sic: *nec semper, nec nunquam recurrendum est ad solos modos tendendi, pro salvanda propositionum diversitate: sed aliquando; ubi scilicet ex una parte experimur diversitatem modi tendendi, ut inter propositionem admirativam, & interrogativam; copulativam, & disjunctivam: & inter cognitionem pure apprehensivam, & pure judicativam, & illativam: & ubi ex altera parte non est commode assignabile objectum diversum*: unde arguimus: atqui non ita res habet in propositionibus de possibili, & de impossibili: quia, esto modum tendendi diversum experiamur: commode tamen assignari potest diversitas objecti, puta objecti  
exi-

existibilis, & objecti non existibilis: ergo, in subjecta materia, non est recurrendum ad solos modos tendendi diversos.

Vel quinto sic: *negato objecto impossibili, tollitur de medio omnis propositionum, immo & cognitionum omnium diversitas objectiva*: siquidem non est, quare non omnis diversitas tandem aliquando refundi possit in solos modos tendendi.

LXXIV. Dico 5. Per nos ex hactenus relatis præponderant illa, quæ favent: per adversarios prævalent, quæ enti rationis metaphisico officiant. Si nos, quæ in favorem afferimus, supponamus, ut primum principium speculative probabile: sique pariter adversarii, quæ ipsi contra; non poterimus aliquando tandem ultro citroque impugnari, juxta ea, quæ dicta sunt in Clavi *disp. 1. log.* Ideo, ut detur disputationi locus, equidem, ut *conclusionem* defendo hoc præcisè, quod est: adversarii, qui ut *conclusionem* propugnant: propositionem *de possibili non existente*, ut de altero mundo, differre a propositione de possibili existente, ut de mundo nostrate, non ex mero modo tendendi, sed & per objecta diversa; non possunt, ut *conclusionem*, cohærenter discurrendo, negare hoc, quod est: propositionem *de impossibili, seu non existibili*, ut de altero Deo, differre a propositione de possibili, seu existibili, ut de Deo, non ex mero modo tendendi, sed & per objecta diversa: cum, quæcunque ratio afferatur, vel utranque, vel neutram efficaciter probet *conclusionem*.

#### Corollarium.

Sed hæc, & similia argumenta, tam ex parte nostra, quam ex parte adversariorum, sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp. 1.* ergo tam nos, quam adversarii in hac *disp. 6.* de ente rationis, procedimus Negative.



## DE PROPOSITIONE UNIVERSALI, & Particulari, seu Singulari.

*Primo, de Unitate, Pluralitate, Identitate, Distinctione.*

*Secundo, de Universalis in communi. Tertio, de  
Universalibus in particulari. Quarto,  
de Individuo.*

### DISPUTATIO SEPTIMA

De Unitate, Pluralitate, Identitate,  
Distinctione.

#### ARTICULUS I.

De Unitate, & Pluralitate.

I. **D**ico 1. Quoniam propositio universalis est, quæ sub-  
jectum habet universale: nec intelligi potest, quid sit  
subjectum universale, nisi intelligatur prius, quid sit unitas, & e  
converso, quid sit pluralitas, unitati opposita; quid sit identitas,  
quid distinctio, opposita identitati; gradatim, ac distincte pro-  
cedendo, de unitate videbimus primo, quid sit metaphysice. Se-  
cundo, quid sit physice. Tertio, quotuplex sit. Igitur, quoad  
primum punctum: unitas, ex Aristotele, dicitur: *indivisio rei in  
plura se*: & colligitur deinde ex verbis philosophi, ubi ait: *qua-  
cunque divisionem non habent, quatenus non habent, eatenus unum  
dicuntur: ut puta, si prout homo non habet divisionem, unus est ho-  
mo: quod si, prout animal, unum animal: si, prout magnitudo, una  
magnitudo.*

II. Dico 2. Ad prædictum Aristotelis locum clarius explican-  
dum: unitas est indivisibilitas rei in aliud, quod sit adæquate, &  
rigorose ipsa res. Dicitur primo: *indivisibilitas*, claritatis gra-  
tia, idest indivisio in actu primo, seu, ut alii loquuntur, essentia-  
lis: si enim aliquod esset divisibile in aliud se, modo prædicto,  
quanvis actu divisum non esset; unum non esset. Dicitur secun-  
do: *in aliud, quod sit adæquate ipsa res*, ut clarius procedatur:  
nam si res aliqua esset divisibilis in aliam tantum rem, quæ esset  
adæquate ipsa res; utique non esset una: sicuti neque esset una,  
si esset divisibilis in plura, quorum non singula, sed unum, vel  
*Ant. Forti* alte-

alterum tantum esset adæquate ipsa res . Dicitur tertio : *rigorose* ; quia, ut suo loco dicemus, potest quis esse unum, v.g. Petrus unus homo : licet minus *rigorose*, idest per similitudinem dici possit adæquate plura, quin omnis homo, ut infra videbitur.

Dico 3. Unitas non excludit multiplicitem partium quomodocunque : sed multiplicitem partium, quarum saltem aliqua sit ipsum totum, modo præexplicato ; hoc enim ex ipsis terminis videtur implicare : nam, si Petrus divideretur in alium Petrum, hic alius vel esset adæquate ipse Petrus, vel non ; si primum ; ergo Petrus non potest hoc modo dividi : quia dividi est separari in eo sensu, in quo fit divisio ; Petrus autem nequit separari a seipso . Si secundum ; ergo Petrus non divideretur in aliud, quod esset adæquate ipse Petrus : itaque

Dico 4. Juxta traditam explicationem Petrus v. g. est unus homo, quia, licet dividi possit in partes, materiam scilicet & formam ; non tamen dividi potest in alium Petrum . Corpus Petri est unum, quia, licet dividi possit in partes, nempe in caput, brachia, &c. non tamen dividi potest in aliud corpus Petri adæquatum . Urbs est una, quia licet dividi possit in vicos, aut domos, & familias plures ; non tamen dividi potest in aliam urbem, quæ sit adæquate, & *rigorose* ipsa urbs . Magnitudo quadripalmaris est una, quia, licet dividi possit in partes ; non tamen dividi potest in aliam magnitudinem quadripalmarem, ut antea . Numerus binarius est unus, quia, licet dividi possit in duas unitates ; non tamen dividi potest in alium numerum binarium . Et sic de cæteris : ideoque

III. Dico 5. Unum remanet unum in suo genere, etiam dum est unitum alteri . v. g. corpus, etiam dum unitur animæ : & numerus binarius, etiam dum unitur quaternario, cum quo constituit senarium ; remanent unum corpus, & unus binarius : quia, sicut verum est, quod unus Deus non sit divisibilis in alium Deum ; ita verum est, quod unum corpus non sit divisibile in aliud corpus, quod sit adæquate ipsum : nec numerus binarius in alium binarium, sicuti nec quaternarius in alium quaternarium, aut senarius in alium senarium . Hinc

Dico 6. Non videtur requiri ad definitionem unius, quod sit divisum a quocunque alio : nam, sicut materia, etiam quando est unita formæ, licet sit pars compositi, remanet tamen una, & adæquata materia ; ita numerus binarius, & magnitudo bipal-

*Phil. Neg. Log.*

R r

maris,

maris, etiam quando uniuntur alteri numero, aut alteri magnitudini, semper remanent unus binarius, & una magnitudo bipalmaris. Utrum autem retineant suam unitatem actu, vel in potentia; completam, aut incompletam, spectat ad quæstionem de continuo. Quod si passim addi soleat, unum esse divisum a quocunque alio; id additur majoris claritatis gratia: si enim res est indivisa in se, consequenter quodcunque aliud non est adæquate ipsa; adeoque divisa est a quocunque alio, ut notat Giattinus. Hæc quoad primum punctum. Quoad secundum,

IV. Dico 7. Ad tollendas quæstiones de nomine, unitas physice sumi potest positive, & negative: jam procedendo cum distinctione; unitas, si positive sumatur, physice consistit in ipsa entitate rei, quæ identificat sibi suum esse, & est id, quod est, & non aliud, independentur ab omni alio superaddito. Nam, per suum esse, positive adæquate constituitur id, quod est: atqui est una & non aliud: ergo una constituitur per suum esse, positive loquendo; quodcunque enim aliud gratis omnino requiritur: sicut enim risibilitas, quæ est proprietas metaphysica hominis, identificatur cum homine; ita unitas positiva, quæ est proprietas entis, identificatur cum ente. Unitas negative accepta physice consistit in carentia necessaria multipliciter chimericæ. Probatur, quia nomine unitatis negativæ non intelligimus ipsam entitatem specificative, quæ sit indivisibilis, modo prædicto, & implicans multiplicari; sed intelligimus ipsam non divisibilitatem, seu non multipliciter formaliter, seu ipsum non esse prædictæ multipliciter chimericæ, nempe non esse chimeræ: sed formale non esse chimeræ est carentia necessaria, ut videbitur in metaphysica: ergo unitas negative accepta consistit in prædicta carentia necessaria. Hinc, non existente Antichristo, existit ejus unitas negativa, idest carentia chimeræ, modo præexplicato; licet non existat ejusdem Antichristi unitas positiva, quæ est realiter ipsum esse Antichristi. Ex dictis satis constat, quid sit pluralitas opposita unitati præexplicatæ. Sed de pluralitate infra erit sermo, ubi de universali. Hæc quoad secundum punctum: quoad tertium.

V. Dico 8. Unitas dividitur in singularem, & universalem. Unitas singularis est, quæ nullam patitur, in eodem genere, divisionem unius in aliud, quod sit adæquate ipsa res. Unitas universalis est, per quam res ita est una, ut etiam sit in pluribus,  
per

per multiplicationem sui : quæ unitas universalis utrum , & in quo sensu dari possit independenter, aut dependenter ab intellectu, infra videbitur , ubi de universali . Unitas primi generis dicitur unitas absolute, simpliciter, & rigorose : estque proprietas entis , quæ appellari etiam solet singularitas, hæcceitas, individuatio, individualitas, unitas numerica, differentia numerica ; quatenus denominat subjectum singulare, demonstrabile per pronomen, hoc, & non aliud, indivisum, indivisibile, modo explicato, & principium numeri . Unitas secundi generis subdividitur in genericam, & specificam . Generica est, quæ, licet sit divisibilis in naturas, habentes unitatem specificam ; dividi tamen non potest in naturas, habentes unitatem genericam : sic animal v. g. est unum genericæ : quia, licet non sit divisibile in aliud adæquatū genus animalium ; est tamen divisibile in hominem, leonem, equum &c. quorum singula dicuntur una species animalis. Harum duarum unitatum universalium perfectior censenda specifica, utpote magis accedens ad unitatem magis perfectam, quæ est unitas singularis . Unitas pure specifica est, quæ est tantum divisibilis in individua solo numero diversa inter se . Quid sit autem differre solo numero, videbitur loco suo in metaphysica .

## ARTICULUS II.

### Solvuntur Objectiones.

VI. **O**bjicies 1. Contra septimam assertionem: prædicta carentia vel est una per se ipsam, vel per aliud superadditum . Si primam : ergo & potest ens positivum esse unum, per se ipsum, independenter ab hac carentia . Si secundum ; datur processus in infinitum : nam iterum queri potest , an hoc superadditum sit unum per se ipsum , an per aliquid aliud , & sic de reliquis sine fine .

Respondeo, nego minorem : & dico cum distinctione, esse unam positivæ, seu infinitanter, per se ipsam, seu per esse abusive, quod habet : esse unam negativæ, per carentiam suæ multiplicitatis chimericæ . Deinde, concessa prima consequentia, juxta sensum explicatum ; distinguo secundum consequens : ergo defecto datur processus in infinitum carentiarum, concedo ; rerum positivarum, nego consequentiam . Cum infinitæ sint chimeræ excogitabiles, quæ non existunt, nec possunt existere ; infinitæ sint

sint oportet defacto carentiæ necessariæ, quibus excludantur : cum chimæræ excludi non possint formaliter per aliquod positivum, aut omnes per unicam carentiam, ut videbitur in metaphysicis. Infinite etiam sunt defacto carentiæ contingentes rerum possibilium, non existentium, quæ sunt possibiles infinitæ.

Objices 2. Contra eandem assertionem : Petrus, independentem ab hac carentia superaddita, non est adæquate, & rigoro- se plures Petri : ergo, independentem a prædicta carentia, est unus : ergo unitas explicata non importat carentiam necessariam.

Respondeo, distinguo antecedens, positive, seu infinitanter, concedo; negative, nego antecedens: & distinguo primum consequens: positive, concedo; negative, nego primam, & secundam consequentiam. Petrus non est Paulus, positive independentem a carentia, seu est non Paulus infinitanter, & specificative; idest independentem a carentia habet proprium esse, quod non est multiplex. Non tamen Petrus est formale non esse suæ pluralitatis; cum non sit exclusivum formale chimæræ: licet ipse Petrus hoc formale exclusivum exigat necessario, adeoque sit ejus radix, activum, & fundamentum.

VII. Objicies 3. Contra octavam assertionem: Natura divina est una unitate singulari, & perfectissima, & tamen dividitur in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum : ergo falsa est tradita explicatio unitatis singularis. Antecedens probatur : Natura divina tota, & adæquate est in Patre, tota, & adæquate in Filio, tota, & adæquate in Spiritu sancto : ergo dividitur in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Respondeo, nego secundam partem antecedentis, ob vocem illam, *dividitur* : ad probationem antecedentis, vel, concessio antecedente, nego consequentiam; vel, claritatis gratia, distinguo antecedens: Natura divina tota, & adæquate est in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto, absque sui multiplicatione, cōcedo; cū sui multiplicatione, nego antecedens, & consequentiam. Eadem numero Natura, quæ est in Patre, est in Filio, est in Spiritu sancto, nec ullo modo multiplicatur; si enim multiplicaretur, cresceret numerus, adeout, unus Deus esset Pater, alius Deus esset Filius, & alius Deus esset Spiritus sanctus; sicut unus homo est Petrus, alius homo est Paulus, & alius Alexander : adeoque esset primus, secundus, & tertius Deus; sicuti est primus, se-  
cun-

cundus, & tertius homo in ternario Petri, & Pauli, & Alexandri. Ubi autem multiplicitas non est; indivisionem, seu indivisibilitatem, atque unitatem haberi, necesse est.

VIII. Objicies 4. Contra eandem assertionem: si idem numero calor poneretur miraculose in pluribus subjectis, ut in homine, in saxo, in ligno, hic calor vel esset unus, vel non. Neutrum dici potest: ergo falsa explicatio tradita prædictæ divisionis unitatum.

Respondeo, nego minorem: & dico, quod esset unus: quia idem omnino esset, miraculose replicatus in pluribus subjectis: unde haberetur unus omnino calor, licet non una calefactio, nec unum calefactum.

Objicies 5. Contra eandem assertionem: anima nostra, quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte totius corporis: ut etiam Christus, qui est totus in pluribus hostiis consecratis, & totus in singulis, quin totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ consecratæ; vel dici potest unum, vel non. Neutrum dici potest: ergo.

Respondeo, nego minorem, & dico, esse unum: nam eadem omnino anima, tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis: & idem omnino Christus totus est in omnibus hostiis, & totus in qualibet; totus in una, & totus in qualibet illius parte, quippe existens definitive. Hactenus de unitate, adeoque & de pluralitate, illi e diametro opposita. Deinceps

### A R T I C U L U S III.

#### De Identitate, & Distinctione.

IX. **D**ico. I. De Identitate, & Distinctione videndum primo, quid sit metaphysice. Secundo, quid sit physice. Tertio, aliorum explicationes referendæ, & impugnandæ. Quoad primum punctum: identitas metaphysice est fundamentum dicendi, hoc est hoc: qui conceptus videtur per se notus, nec ulterius explicabilis. Sicut enim non potest clarius explicari hoc, quod est, esse; ita nec videtur, posse ulterius explicari hoc, quod est, hoc esse hoc: licet alii id explicare conentur aliis terminis, dicendo: identitas est ratio, qua res est id, quod est. At idem omnino dicunt. Alii conceptum identitatis aliter explicare, atque illustrare contendunt, ut videbitur art. seq. Verum

rum, ni fallor, potius rem implicant, & obscurant: conceptus enim per se noti, quo magis explicari volunt, eo magis implicantur.

X. Dico 2. Distinctio, quippe identitati opposita, metaphysice considerata, est, fundamentum dicendi; hoc non est hoc. Utrobis terminis, hoc non est hoc: quia, si dicerem, hoc non est aliud; non præcinderem ab uno, & alio, adeoque explicarem conceptum distinctionis per conceptum dualitatis, scilicet per hoc, & aliud: atque idem per idem. Dum autem dico: hoc non est hoc; eo ipso deducitur, illa esse duo distincta: quia, si unum absolute & simpliciter negatur de aliquo, non est idem cum illo; adeoque est unum, & aliud; hoc, & illud. Hæc quoad primum punctum. Quoad secundum,

XI. Dico 3. Identitas physice, proportionem servata ad ea, quæ diximus de unitate, sumi potest positive, & negative: si positive sumatur; consistit in ipsa entitate rei, cuius esse est fundamentum dicendi: hoc est hoc; nimirum, hoc est id, quod est. Et sane, ad identitatem physice constituendam, quodcumque aliud omnino gratis requireretur. Si vero identitas negative sumatur; consistit physice in carentia. Probatur, quia nomine identitatis negative acceptæ venit, indistinctio, id est non distinctio rei a seipsa; seu carentia distinctionis rei a seipsa: sed hæc indistinctio, seu non distinctio, est carentia, & quidem necessaria; utro pote formale exclusivum chimeræ: ergo identitas, negative accepta, physice consistit in carentia. Itaque

Dico 4. Non existente Antichristo, non datur identitas positiva Antichristi, absolute, & simpliciter loquendo: quia non datur absolute, & simpliciter entitas Antichristi; datur tamen ejus identitas negativa, id est carentia necessaria distinctionis chimericæ Antichristi a seipso, præexplicata: cum enim hujusmodi distinctio, utpote chimæra, non sit, nec esse possit; ejus contradictorium semper est; nec potest non esse.

XII. Dico 5. Distinctio, physice considerata, sumi potest positive, vel negative. Primo modo importat entitates ipsas, quæ dicuntur distinctæ. Enimvero sufficienter intelligitur constituta ipsismet entitatibus extremorum: & quidquid aliud ulterius requiratur, gratis requiritur. Sic positiva dissimilitudo albedinis, & nigredinis, constituitur per ipsammet albedinem, & nigre-

gredinem, ut videbitur loco suo. Secundo modo accepta distinctio, physice consistit in carentia identitatis chimericæ. Assertio satis constat ex dictis de unitate, & pluralitate. Hæc quoad secundum punctum: quoad tertium, erit

# ARTICULUS IV.

Aliorum explicationes, quoad conceptum identitatis, referuntur, & impugnantur.

*Prima explicatio aliorum, quoad conceptum identitatis.*

XIII. **D**ico 1. Prima explicatio aliorum est: conceptum identitatis consistere in mutua inseparabilitate duorum conceptuum objectivorum, ex primaria sui ratione, seu ex genere suo. Ita quidam ex Scoto. Quod si adversariis opponas, personalitates divinas esse mutuo inseparabiles, & tamen realiter inter se distinctas; respondent, id non habere ex primaria sui ratione, v. g. Patris, & Filii, seu ex genere suo, sed ex speciali ratione: non enim paternitas est inseparabilis a filiatione &c. præcise, quia paternitas, & filiatione est; sed quia talis, scilicet ex summa perfectione in Natura divina, sibi communi.

Contra hanc primam adversariorum explicationem est, quia possunt inveniri prædicatum albedinis, & prædicatum dulcedinis in uno, eodemque subjecto, identificata: sicut, in sententia probabili, ut videbitur loco suo, prædicatum opinionis, prædicatum scientiæ, & prædicatum fidei in uno, eodemque actu; & tamen hujusmodi prædicata non sunt inseparabilia ex primaria sui ratione, seu ex genere suo, sed hic, & nunc, ex speciali ratione: nam possunt inveniri dulcedo, & albedo distincta, & realiter separabilia: ut etiam scientia, opinio, & fides: ergo falsum est, quod conceptus identitatis importet mutuam inseparabilitatem prædictam, ex primaria sui ratione.

Dico 2. Aliqui conceptum identitatis prædictum impugnant præcise, quia actio productiva, & ejus terminus sunt, ex primaria ratione, & ex genere suo inseparabilia; & tamen realiter distinguuntur. Sed responderi posset ab adversariis, hæc non esse mutuo inseparabilia: quia, licet nequeat actio existere sine suo



suo hoc termino ; non tamen e converso : potest enim terminus existere per aliam actionem similem : vel, si non est ad hoc indifferens, ullo modo ; non procedere per actionem distinctam . Si dicas , non repugnare , quod etiam terminus essentialiter non indifferens, ut per hanc, vel illam actionem producat, adhuc procedat per actionem distinctam; cohærenter ad sua principia respondebunt , id repugnare ex hoc ipso capite : cum aliunde innotescat, ut ipsi contendunt , hunc esse conceptum identitatis. Verum quidquid sit de his . Siquidem ex hoc ipso impugnari poterit hic conceptus, alioqui controversus, quod nimirum negari cogat, posse effectum aliquem, alioquin essentialiter addictum, procedere nihilominus a causa sua per actionem distinctam . Quod esse possibile dicemus in physicis.

*Secunda explicatio aliorum, quoad conceptum identitatis.*

XIV. Dico 3. Secunda aliorum explicatio est : conceptum identitatis consistere in negatione distinctionis realis, vel in tractivo talis negationis : itaque realiter identificari, quæ realiter non distinguuntur : distinguui autem realiter, quæ sunt separabilia : vel, etiamsi inseparabilia; quorum unum est causa ; aut principium alterius, saltem de possibili : vel quæ subjunguntur immediate in rebus separabilibus, ut modi correlativi, in sententiis, probabili : & non quatenus faciunt unum per se : cum tamen ipsamet sint inseparabilia. Ita Pontius *disp. 4. metaph. quest. 1. conc. unica num. 2.*

Contra hanc adversariorum explicationem argui communiter solet, quia potest, in sententia probabili, idem producere seipsum secundo . Præterea, quia non videtur repugnare, quod duo sint inseparabilia, tum quoad tempus, tum quoad locum, & existentiam, nec productive, aut unitive opposita ; & tamen unum non sit realiter alterum . Respondetur ab adversariis, ut supra, dicendo, hæc repugnare ex eodem capite . Sed ex hoc ipso poterunt impugnari, ut dictum est ad primam explicationem : & præterea, ut in fine hujus articuli, impugnatione fere cõmuni contra omnes aliorum explicationes, quoad conceptum identitatis. Itaque aliunde hæc explicatio impugnanda erit, ut in fine hujus articuli significabimus.

*Tertia explicatio aliorum, quoad conceptum identitatis.*

XV. Dico 4. Tertia aliorum explicatio est : conceptum realis identitatis consistere in vera, & absoluta affirmabilitate in recto  
*Ant. Forti.* unius

unius de alio, intentionaliter distincto, secundum ea, quæ habet a parte rei: distinctionis vero realis; in absoluta negabilitate in recto unius de alio, intentionaliter distincto, secundum ea, quæ habet a parte rei: seu, quod in idem recidit: identitatem realem esse, summam communicationem duorum, productivæ non oppositorum: ratione cujus unum tantum se communicet alteri, intentionaliter distincto, quantum sibi ipsi, seu tantum perficiat, vel imperficiat alterum; quantum perficit, vel imperficit semetipsum. Distinctionem vero realem esse, talem non communicationem. Ita Antonius Perez *disp. 1. de Deo Trino cap. 2. num. 58.* & Silvester Maurus, *hic quest. 3.* Quod si contra opponas: hanc non semper esse summam communicationem: cum magis se communicare videatur Natura divina sibi metipsi, a se nullo modo distinctæ; quam Personalitatibus, a quibus illa virtualiter, vel formaliter ex natura rei, vel simili modo, vel ineffabiliter distinguitur, independentem ab intellectu; respondent adversarii, communicationem illam esse majorem non intensivæ, sed duntaxat extensivæ: quia nimirum Natura, & Personalitas simul non constituunt quid intensivæ perfectius, quam sola Natura divina, aut sola Personalitas; quanvis multa prædicari possint de Natura divina, quæ non prædicantur de Personalitatibus, aut viceversa: sed nihilominus

Dico 5. Contra hanc tertiam aliorum explicationem est, quia, si stare potest summa communicatio, sufficiens ad realem identitatem, cum hoc, quod unum alteri communicet omnem perfectionem, quanvis non communicet eidem omnia reliqua prædicata, si qua sunt, quæ nec perfectionem, neque imperfectionem importent; stare etiam poterit summa communicatio, sufficiens ad realem identitatem, cum hoc, quod unum communicet alteri reliqua omnia prædicata, non tamen omnem perfectionem, aut imperfectionem. Sicut enim non sunt contradictoria, habere, & non habere prædicatum, alioqui non importans perfectionem, aut imperfectionem; ita neque erunt contradictoria, habere, & non habere perfectionem, aut imperfectionem aliquam; cum ex genere suo eque pugnare, aut non pugnare debeant quæ sicut perfectio excludit carentiam perfectionis, & imperfectio carentiam imperfectionis; ita prædicatum excludit carentiam prædicati, & carentia prædicati excludit prædicatum, cujus est carentia. Unde procedit, ut sicut de eadem conceptibilitate

Phil. Neg. Log.

Ss

ne-

nequeunt verificari simul perfectio, & carentia perfectionis; im- perfectio, & carentia imperfectiois: ita nec poterunt verificari prædicatum, & carentia prædicati, etiam non importantis perfectionem; aut imperfectioem.

*Quarta explicatio aliorum, quoad conceptum identitatis.*

XVI. Dico 6. Quarta aliorum explicatio est: identitatem esse fundamētum mutux affirmabilitatis duorum in recto, quod scilicet duo adinvicem affirmari possint in recto v. g. in homine, dicendo: animal est rationale: rationale est animal. Dicunt, in recto, quia, si unum de altero affirmetur in obliquo; hoc non est signum identitatis, ut si dicatur: paries est habens albedinem; neque enim identificatur cum pariete albedo, sed subjectum albedinis: & hunc sensum faciunt propositiones illæ: homo est iustus: homo est dives, & similes: in quibus verbum, *est*, sumitur adjective, quatenus significat adjacentiam formæ in subjecto; non autem substantive, quatenus denotat identitatem. Idem, consequenter asserunt, distinctionem esse fundamentum mutux negabilitatis duorum in recto. Quid contra hanc explicationem, alioqui communem, militet, videbimus infra. Interim

*Quinta explicatio aliorum, quoad conceptum identitatis.*

Dico 7. Quinta aliorum explicatio est: identitatem esse summam duorum communicationem in prædicatis: ita nimirum, ut quidquid prædicatur de uno, prædicari etiam debeat de alio v. g. in homine, quidquid prædicatur de animalitate, prædicari etiam debeat realiter de rationalitate. Quod si contra hanc explicationem opponas, quod in divinis dicitur quidem cum veritate: Natura est Paternitas, Natura est Filiatio: Natura est Spiratio; non autē dicitur Paternitas est Filiatio: una Personalitas est alia Personalitas: præterea dicitur, Natura communicatur, Paternitas non communicatur: Pater generat, Natura non generat: Filius generatur, Natura non generatur: Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio; Natura non procedit a Patre & Filio: Pater, & Filius spirant Spiritum Sanctum; Natura non spirat; & tamen Natura divina identificatur tum cum Paternitate, tum cū Filiatione, tum cum Spiratione; tum cum Patre, tum cum Filio, tum cū Spiritu Sancto; primo respondent adversarii: Naturam, licet realiter identificetur cum singulis Personalitatibus, & Personis; ab illis tamen virtualiter, aut formaliter, aut simili modo distingui, ut infra videbitur. Prædictum vero conceptum identitatis habere locum,

cum, ubi habetur indentitas, expers omnis distinctionis independentis ab intellectu. Secundo respondent alii ex adversariis, indentitatem esse summam communicationem, idest maximam omnium possibilium. Implicat autem, quod Natura communicet Personalitatibus, & Personis prædicata illa, quorum communicatio repugnat. Jam implicat communicatio Personalitatum, & Personarum ad invicem, cum sint relative oppositæ; adeoque Natura non communicat uni Personalitati, & Personæ, esse aliam Personalitatem, & Personam. Tertio respondent alii ex adversariis, quidquid verificatur de Natura divina, eodem prorsus modo, verificari etiam de Personalitatibus & Personis, & viceversa; adeoque dicendum esse: Natura est communicata Natura: Personalitas, & Persona est communicata Natura: Personalitas, & Persona est non cōmunicata Personalitas, & Persona: Natura est Personalitas, & Persona nō communicata: Natura est Paternitas, & Pater, indentitate essentiali, idest constituyente unam essentiam: Filiatio est Paternitas, Filius est Pater, indentitate essentiali, idest constituyente unam Essentiam: Natura non est Paternitas, non est Pater, indentitate personali, idest constituyente in divinis unam Personam. Filiatio non est Paternitas, Filius non est Pater, eadem indentitate personali: & hanc vocant distinctionem eminentialem: sed de hac, aut simili distinctione videndum infra, & ex professo in Theologia lib. 1. de Deo. In præfenti hæc quinta explicatio indentitatis mox impugnabitur argumento fere communi contra omnes alias adversariorum explicationes.

*Sexta explicatio aliorum, quoad conceptum indentitatis.*

XVII. Dico 8. Sexta aliorum explicatio est: indentitatem, esse consensum, seu communicationem in omni omnino perfectione. Quod si opponas: Natura divina communicatur, Paternitas non communicatur, & tamen identificantur; respondent adversarii, Personalitates, præcisas a Natura divina, neque esse perfectiones, neque imperfectiones: non perfectiones, quia Natura divina est formaliter ex se omnis perfectio, cui repugnat accedere aliunde perfectionem: multo minus imperfectiones, quia repugnat, cum Natura divina ullā identificari imperfectionem.

*Quid de his explicationibus.*

Dico 9. Prædictæ explicationes, meo iudicio, fere omnes in idem recidunt, si recte accipiantur. Jam præter ea, quæ ha-

atenus intuebamur, contra eas est: quia in illis, *Tò* duorum, *Tò* unum, & alterum, vel significat rem ipsam a parte rei speculative, nemine cogitante: vel rem ipsam per intellectum, & reduplicative. Si primum, non dantur duo: non datur unum, & alterum; cum objectum sit realiter, independentem ab intellectu, omnino indivisibile: adeoque nulla datur duorum convenientia, idest conformitas, nulla affirmabilitas unius de altero, nulla duorum communicatio. Ubi enim plura non sunt, non habetur communitas, seu communicatio: idem enim proprie nihil communicat sibi: quia communicare, ut patet ex ipso vocabulo, est reddere aliquod commune, seu derivare in aliud, quod in se est: quandoquidem terminus communis non est, ubi plura non sunt. Si secundum, nulla est identitas inter duo; & unum, & alterum, qua talia, scilicet qua duo; qua unum, & alterum: quia, ut talia, realiter distinguuntur; reduplicant enim cognitiones diversas, quibus substat una eadenque prorsus indivisibilis entitas: atqui huiusmodi cognitiones inter se realiter distinguuntur: ergo objectum ipsum, prout reduplicat illas, distinctum est reali distinctione. Majoris claritatis gratia

XVIII. Dico 10. Equidem hoc loco non nego, quod in communi loquendi modo, dicantur sæpe duo objecta identificata inter se, immo duæ res identificatæ inter se, duæ conceptibiles, duæ formalitates, duæ virtualitates, duo conceptus inter se identificati, inter se communicantes, inter se conformes; quoad omnia prædicata: adeoque dicantur esse duo, unum identificatum cum altero: immo his etiam terminis, ab omnibus usitatis, passim utor: nec sane potest huiusmodi terminis abstinere, qui scholastice scribit, aut loquitur. Quod contendo est, in præsentis quæstione, ubi controvertitur, an & quomodo explicari possit conceptus identitatis, & consequenter conceptus distinctionis; nihil explicare adversarios, dum utuntur illis terminis, unum, & alterum; duo, & unum. Siquidem esse unum, est esse idem, idest identificari. Esse alterum, est non esse idem, idest non identificari, sed distingui. Esse duo, est non esse unum: sicut esse unum, est non esse duo. Igitur, si ad hæc nihil additur, non additur novum lumen: sed explicatur prorsus idem per idem, quod est revera conceptum identitatis nullatenus explicari. Ideo explico identitatem dicendo: *est fundamentum dicendi, hoc est hoc*, quia præscindo ab uno, & altero; ab uno, aut duobus. Sed solum

lum dico, identitatem esse fundamentum dicendi, hoc est hoc; qui sunt termini per se noti: nec sunt ipsimet formaliter termini, quorum explicationem inquirimus, dum inquirimus conceptum identitatis, id est dum inquirimus, quid sit, hoc esse unum, hoc esse alterum; hoc esse unum tantum, hoc esse duo.

XIX. Dico 11. Quod si velint adversarii supponere, independenter ab intellectu, conceptus objectivos, ut vocant, seu formalitates, ex natura rei distinctas, aut virtualitates, pro opinionum varietate; contra est ex hoc ipso capite: quod nimirum ipsi conceptum identitatis, assignandum, si potest, in omnium principiis; alligant opinionibus particularibus: quas insuper refutabimus infra.

Dico 12. Haftenus de identitate, ac distinctione in genere. Sed, quoniam celeberrima est distinctionis divisio bifariam in duas classes, quarum prima independens, secunda dependens ab intellectu; de his deinceps gradatim agendum erit ordine suo.

## A R T I C U L U S V.

De distinctione independente ab intellectu.

XX. Dico 1. Distinctio independens ab intellectu, est, quæ habetur in rebus, nemine cogitante: quippe, illam intellectus invenit, non facit in rebus ipsis. Hujusmodi est v. g. distinctio, quæ intercedit inter Petrum, & Paulum.

Dico 2. Distinctio independens ab intellectu dividitur primo, in realem absolute, & simpliciter dictam, & in virtuales. Realis est, per quam absolute, & simpliciter dicitur: hoc non est hoc. Virtualis est, per quam una, eadenque omnino res æquivalet pluribus v. g. homo cogitat, ut angelus; sentit, ut bruta; vegetat, ut arbores; gravitat, ut saxum. Hæc secunda distinctio vocatur virtualis, primo: quia per illam res est, veluti virtute, multiplex. Secundo, vocatur virtualis extrinseca, ob terminos extrinsecos, quibus unam, eandemque reddit entitatem æquivalentem. Tertio vocatur ab aliquibus, minor, ob diversitatem alterius distinctionis virtualis majoris, de qua infra.

XXI. Dico 3. Distinctio realis absolute, & simpliciter dicta, subdividitur primo: in distinctionem rei a re; & rei a modo: quæ vocari etiam solet modalis. Primi generis est, quæ intercedit

perdit inter duo extrema, quorum neutrum est modus alterius: v. g. inter Petrum, & Paulum. Secundi generis est, quæ intercedit inter duo, quorum unum est modus alterius: v. g. inter materiam, & ejus unionem, seu productionem de possibili, quæ essent modi, seu formalia exercitia, & ultima determinativa, quibus uniretur, produceretur. Dixi, de possibili, quia defacto hujusmodi modos negabimus in physica.

Subdividitur secundo distinctio realis absolute, & simpliciter dicta, in positivam, negativam, & mixtam. Prima, intercedit inter duo extrema positiva, ut inter hominem, & equum. Secunda, inter duo extrema negativa, ut inter carentiam alterius Dei, & inter carentiam Antichristi. Tertia, inter duo extrema, quorum unum sit positivum, alterum negativum, ut inter solem, & carentiam alterius solis.

Subdividitur tertio distinctio realis absolute, & simpliciter dicta, in actualem, potentialem, & mediam. Prima, intercedit inter duo extrema actu existentia: v. g. inter cælum, & terram. Secunda, inter duo extrema, non existentia, sed possibilia: v. g. inter alium solem, & aliam lunam. Tertia, inter duo extrema, quorum unum sit existens, alterum non existens, sed possibile: v. g. inter Petrum, & Antichristum.

Subdividitur quarto distinctio realis absolute, & simpliciter dicta, in adæquatam, & inadæquatam. Adæquata dicitur, quæ intercedit inter duo, quorum neutrum est pars, seu quasi pars alterius: hujusmodi est distinctio inter Petrum, & Paulum; inter materiam, & formam. Inadæquata, quæ intercedit inter totum, & suam partem, seu quasi partem: hujusmodi est inter hominem, & ejus animam, vel ejus corpus; quæ dicuntur etiam distinguui, tanquam includens, & inclusum: quoniam totum includere dicitur partes singulas.

XXII. Dico. Constat ex dictis, quatuor esse signa præcipua distinctionis realis absolute, & simpliciter dictæ, quæ sunt primo, separabilitas: licet enim, quæ realiter distinguuntur possint esse inseparabilia; implicat tamen, idem separabile esse a seipso: unde, in communi modo loquendi, utentes plurali numero dicimus, quæ realiter identificantur, sunt omnino inseparabilia, quod idem est ac dicere: nequit idē a seipso separari, seu quæ separabilia sunt, realiter distinguuntur. Secundo, distincta productio, aut destructio: implicat enim, quod duo, quorum unum producatur, aut

aut destruat per diversam, seu distinctam productionem ab ea, qua alterum, nihilominus realiter identificentur absolute, & simpliciter. Tertio, origo unius ab alio, quoad primum esse: communiter enim certum supponitur, quod nequeat idem producere seipsum primo. Quarto, addunt aliqui distinctionem loci, vel subjecti adæquati. Verum hoc signum distinctionis est, ad summum, naturaliter loquendo: quia potest divinitus eadem, omnino res esse in multiplici loco adæquato, & in multiplici subiecto, etiam adæquato: v. g. una eadenque anima in duobus corporibus adæquatis, quorum unum sit in Europa, alterum extra Europam.

Scotistæ, præter distinctionem realem absolute, & simpliciter dictam, aliam agnoscunt speciem distinctionis, independentem ab intellectu. Pro cuius discussione sit

## A R T I C U L U S VI.

An detur distinctio formalis ex natura rei.

XXIII. **D**ico 1. Scotus in *primum dist. 2. quest. 7. & alibi*, distinctionem independentem ab intellectu dividere putatur in realem, ita absolute, & simpliciter dictam; & in formalem, seu ex natura rei; utranque, nemine cogitante. Primam tamen, quæ sit fundamentum dicendi absolute, & simpliciter: hoc non est hoc: hoc est aliud, quam illud, v. g. Petrus non est Paulus: Petrus est aliud, quam Paulus; & hanc distinctionem, vult intercedere inter rem, & rem; seu inter ens, & ens; inter entitatem, & entitatem. Vocat enim rem, ens, entitatem; rem absolute, simpliciter, & adæquatæ completam. Secundam vero distinctionem, quæ appellanda sit formalis, ex natura rei: quæque intercedat inter duas formalitates, quæ sunt, duæ, quasi realitates, seu quidditates, seu conceptus objectivi, seu conceptibiles; quæque distinctio sit fundamentum, unde, in ordine ad aliquod, formalitates illæ æquivalent intrinsece pluribus rebus realiter distinctis; non tamen sit fundamentum dicendi absolute, & simpliciter: hoc non est hoc. Itaque per Scotum, & suos, Natura divina v. g. & Paternitas, seu Filiatio, seu Spiratio, quanvis realiter identificentur; formaliter tamen ex natura rei distinguuntur: quia, licet una de alia sit absolute, & simpliciter.



simpliciter affirmabilis in recto, dicendo v.g. Natura est Paternitas : Paternitas est Natura ; adhuc tamen, independenter ab intellectu, in ordine ad aliqua prædicata, æquivalent rebus realiter distinctis : quatenus Natura divina est communicabilis, & defacto communicatur ; Paternitas vero non est communicabilis, & non communicatur : adeoque in Patre, aliquid est independenter ab intellectu, quod communicetur, scilicet Natura; aliquid, quod non communicetur, scilicet Paternitas. Neq; enim Pater, & Natura divina sunt mera synonyma: neque veritas illarum propositionum de fide, videlicet : Natura communicatur, Personalitas non communicatur, salvanda est beneficio intellectus ; quia hoc esset labefactare, & evertere mysterium Trinitatis. Et sane, non videtur idem omnino objectum, seu conceptum objectivum correspondere huic termino, Natura divina, atque huic termino, Pater. Pater enim dicit Naturam, & Paternitatem : & hæ sunt per Scotum duæ, quasi realitates, & conceptibilitates, quas ipse formalitates appellat, quæ sint independenter ab intellectu, formaliter ex natura rei, distinctæ ; realiter, tamen absolute, & simpliciter identificatæ.

XXIV. Eodem modo, proportionem servata, philosophantur scotistæ in rebus creatis, ubi volunt, gradus metaphysicos in singulis individuis, prædicto modo, inter se distingui. Prius autem, quam nos de hac distinctione scotica, seu, ut contendunt aliqui, non scotica, sed scotistica, quod nimirum putent, non ab Scoto vere traditam, sed ab illis, qui se scotistas profitentur, excogitatam ; proferamus nostram sententiam ; ad meliorem terminorum intelligentiam, inferitur

Arbor Porphyrii.

*Genus generalissimum.*

SUBSTANTIA

<i>Differentia divisiva ge- nerum su- periorum, &amp; constitu- tiva inferiorum.</i>	Corporea	CORPUS	Incorporea	<i>Differen- tiæ divi- sivæ tan- tum.</i>
	Animatum	VIVENS	Inanime	
	Sensibile	ANIMAL	Insensibile	
	Rationale	HOMO	Irrationale	
		Petrus		
<i>Ant. Forti.</i>				<i>Dico</i>

Dico 2. Gradus omnes rectæ lineæ, quos videtis in hac figura, duplicis sunt generis, aliqui universales, aliqui particulares. Universales dicuntur superiores, particulares vero inferiores: qui omnes, petreitate seclusa, dicuntur constituere animal rationale, seu hominem; quæ dicitur natura, seu essentia, id scilicet, per quod Petrus convenit cum aliis individuis ejusdem speciei: petreitas vero dicitur hæcceitas, per quam constituitur Petrus, idest tale individuum, demonstrabile per pronomen, hoc: & per hanc Petrus differt ab aliis individuis ejusdem speciei: & dicitur, hic homo, non ille, aut alius. Gradus collaterales dicuntur gradus differentiales, quorum triplex est munus: primum, dividere; secundum, contrahere; tertium, constituere: quia, nimirum dividunt, & contrahunt gradum superiorem; constituunt vero inferiorem.

Dico 3. In Petro v. g. primus gradus, seu genus generalissimum communiter dici solet esse substantia, quia non habet aliud genus supra se, in prædicamento substantiæ, unde incipitur hic & nunc. Quoniam vero substantia dividitur, & contrahitur in corpoream, & in incorpoream; substantia corporea constituit corpus: & quia corpus dividitur, & contrahitur in animatum, & inanime; corpus animatum constituit vivens: & quia vivens dividitur, & contrahitur in sensibile, & in insensibile; vivens sensibile constituit animal: & quia animal dividitur, & contrahitur in rationale, & in irrationale; animal rationale constituit hominem: & quia homo dividitur, & contrahitur in hunc, vel illum hominem; in hanc, vel illam hæcceitatem, seu differentiam numericam, seu singularitatem; homo, cum hac hæcceitate, seu differentia numerica, seu singularitate, nempe petreitate, constituit hoc singulare individuum, scilicet Petrum; cum illa, Paulum; cum alia, aliud.

Eodem modo ordinanda est, proportionem servata, linea, in sensu accommodo, prædicamentalis, seu arbor cujusque alterius individui.

XXV. Dico 4. Notandum tamen, quod in differentiis illis, incorporeum, inanime, insensibile, irrationale, quamvis, ob vocabulorum inopiam, vocibus utamur negativis, adhibita particula, *non*, seu *in*; volumus tamen significare differentiam aliquam positivam, connexam essentialiter cum negatione differentiæ oppositæ.

Phil. Neg. Log.

T t

Dico



Dico 5. Hæcceitatem, v. g. petreitatem, vocant nonnulli, differentiam accidentalem, seu materiale[m] respectu Petri, specificative sumpti, scilicet præcise quatenus homo est: quia petreitas, seu hæcceitas intelligitur accidere naturæ humanæ, jam constitutæ; cui accedendo, cum ea constituit non hominem quomodocunque, sed hunc numero hominem, nempe Petram. Reliqui vero gradus superiores vocantur essentialis, seu formales respectu Petri, sumpti modo prædicto. Verum, respectu Petri, reduplicative accepti, scilicet ut Petrus est, seu ut hoc individuum; etiam hæcceitas reputatur essentialis, nimirum de essentia: sicuti color, licet non sit de essentia parietis, specificative accepti; est tamen de essentia parietis, reduplicative sumpti, scilicet, ut colorati.

Dico 6. Ex his gradibus, qui inveniuntur in recta linea; vocantur completi: qui vero in linea collateralis; incompleti: ab aliis vocari solent quidditates, seu prædicata quidditativa, & essentialia; quia constituunt essentiam, quæ vocatur etiam quid rei.

Dico 7. Hæc omnia intelligenda formaliter ex parte actus, idest ex parte modi concipiendi: realiter enim natura, & hæcceitas, juxta nostra principia, ut infra videbimus, idem sunt omnino, & de essentia, & ipsamet essentia, & penitus identificata cum Petro, quem constituere dicuntur: sunt enim ipse Petrus, diversimode cognoscibilis, idest considerabilis diversimode. Quibus explicatis,

*Nostra sententia de distinctione formali, ex natura rei.*

XXVI. Dico 8. Implicat distinctio formalis ex natura rei præexplicata: si ve de cætero reputetur scotica, seu scotistica, quod controversare non est nostrum, & nihil, aut parum juvat. Assertio probatur. Distinctio hæc importat, quod duobus formalitatibus identificatis, v. g. animalitati, & rationalitati hominis, competant ex natura rei, seu independenter ab intellectu, & nemine cogitante, prædicata, alioqui contradictoria, cujusmodi sunt, per adversarios, v. g. animalitas est principium sentiendi: rationalitas non est principium sentiendi; animalitas est similis animalitati equi, rationalitas non est similis animalitati equi. Sed implicat, quod duobus identificatis competant hæc, & similia prædicata, alioqui contradictoria: ergo implicat distinctio formalis ex natura rei. Major est explicatio terminorum. Minor

non probatur : si possent, absque contradictione, duobus identificatis competere hæc, & similia prædicata, alioqui contradictoria; tolleretur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem, unde dicatur : hoc non est illud. Consequens est absurdum : ergo & antecedens.

Probatur sequela majoris : si possent duobus identificatis competere aliqua prædicata, alioqui contradictoria; possent aliis saltem duobus identificatis competere alia prædicata, alioqui contradictoria : & aliis alia, & alia : & sic de omnibus, ac singulis prædicatis, alioqui contradictoriis : ergo tolleretur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem : neque enim amplius, vel ipsa separabilitas quo ad locum, & tempus, & absolutam, ac simplicem existentiam, esset signum realis distinctionis : nec posset ratione impugnari, si quis, ne multiplicaret per distinctionem realem entia sine necessitate; sustineret, omnia esse formalitates inter se realiter identificatas, & solum formaliter ex natura rei distinctas.

Quandoquidem sicut per scotistas separabilitas, ut ita dicam, quo ad munus aliquod, non est signum realis distinctionis; ita nec erit, separabilitas quo ad locum, tempus, & existentiam : quia, sicut per ipsos non sunt contradictoria, quod animalitas in homine sit principium sentiendi : rationalitas in homine non sit principium sentiendi (quam voco separabilitatem secundum quid, & quoad munus) licet animalitas, & rationalitas sint realiter identificata; ita separabilitas secundum quid, quoad locum, & tempus; quin & absoluta, quoad simpliciter existendum, non erit signum realis distinctionis : neque erit chimera, quod, ex duobus realiter identificatis, unum sit hic, aliud non sit hic; unum sit nunc, alterum non sit nunc; unum sit simpliciter existens, alterum non existens; & a fortiori, quod unum sit causa, aut principium, alterum vero non. Ergo, posita, possibilitate distinctionis scotisticæ, tolleretur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem.

XXVII. Antecedens, ex dictis, satis constat : nam, si beneficio distinctionis formalis possunt, per scotistas, contradictionem amittere aliqua prædicata, alioqui contradictoria; quare non omnia, beneficio alicujus similis distinctionis, quæ excogitari posset inter omnia? cum contradictoria æque opponantur inter se : nec minus pugnent contradictoria aliqua, quoad essendum secundum

quid, quam reliqua item quoad essendum secundum quid; & omnia, quoad simpliciter essendum: sicut enim esse principium, & non esse principium, ex genere suo, mutuo destruuntur; ita esse in hoc loco, & non esse in hoc loco; esse hoc tempore, & non esse hoc tempore; absolute, ac simpliciter existere; & absolute, ac simpliciter non existere. Et si, ne sequantur contradictoria, sufficit per scotistas, ut cadant supra conceptus objectivos, formaliter ex natura rei distinctos; ita id sufficiet per illum, qui, quoad omnia contradictoria, simili modo philosophando, discurreret: neque enim essent ejusdem, de eodem, secundum idem. Ex dictis

XXVIII. Hoc loco monendum, censeo (in quo nonnunquam viros, alioqui doctos, hæere vidi) me hoc argumento contra distinctionem formalem ex natura rei, & contra distinctionem virtuale, aut similem excogitabilem (de qua infra) non contendere, quod, si de duobus verificentur duo prædicata, alioqui contradictoria, debeant eo ipso de iisdem verificari, aut posse verificari cætera omnia contradictoria: id enim est manifeste falsum: cum possint duo realiter distingui inter se, & tamen, vel quo ad existendum simpliciter, vel quo ad existendum secundum quid, scilicet in loco, aut tempore; vel quo ad aliquod munus peragendum, essentialiter ita connecti, ut nequeat unum ab altero, quoad hæc, simpliciter, aut secundum quid separari. Quod contendo illud est: si videlicet possunt duobus realiter identificatis competere duo prædicata, alioqui contradictoria, quin chimeram constituent; posse excogitari, alia saltem duo identificata, quibus competant alia duo prædicata, alioqui contradictoria; & alia, quibus competant alia; & sic de omnibus, aut fere omnibus, quod profecto pernegant adversarii. Enim vero, per adversarios; si non sunt ejusdem, de eodem, secundum idem, jam vere contradictoria non sunt: erga, si conciliari possunt aliqua; quare non omnia, quantum est præcisè ex vi contradictionis? Ex dictis

XXIX. Dico 9. Nec in divinis dari potest talis distinctio formalis ex natura rei: cum sit chimera; ut assertionem præcedente probatum est. Et quidem tum inter attributa divina absoluta, cujusmodi sunt omnipotentia, misericordia, justitia: tum inter absolutum, & relativum, puta inter Naturam, & Personalitates. Quomodo autem, absque tali distinctione, myste-

sterium Trinitatis, libertatis, scientiæ, contingentium in Deo salvetur, dictum est in theologia *lib. 1. de Deo*. Hic tamen

XXX. Dico 10. Illud minime prætereundum, quod scilicet, si daretur prædicta distinctio, ut adversarii contendunt; deberent in quolibet individuo, immo in qualibet formalitate, admittere defacto infinitas formalitates, aut semiformalitates inclusæ. Probatur: quia, per scotistas, sufficit ad multiplicationem formalitatum diversitas connotatorum, seu terminorum: atqui hæc diversitas est infinita: ergo infinitæ essent defacto formalitates. Major non videtur posse negari: ideo enim animalitas, & rationalitas, per scotistas, sunt duæ formalitates diversæ, quia diversa respiciunt connotata, nempe sensationes, & intellectiones. Minor etiam probatur: ipsa enim rationalitas Petri conceptibilis est, ut similis cognoscibilitatibus hominum infinitorum possibile: præterea, ut potens elicere, saltem disjunctive, aut miraculose, operationes intellectus, saltem syncategorematicæ, infinitas. Præterea conceptibilis est, ut cognoscibilis a Deo, ut cognoscibilis a singulis angelis, ut cognoscibilis a singulis hominibus possibile: item, ut principium cognoscitivum Dei, ut principium cognoscitivum omnium, & singulorum angelorum, & hominum possibile: atqui hæc omnia sunt termini infiniti: ergo rationalitas hominis constaret ex infinitis formalitatibus, nempe ex infinitis cognoscibilitatibus, & cognoscitivitatibus, quippe dicentibus ordinem ad infinitas potentias cognoscitivas, & ad infinita objecta cognoscibilia; non solum possibile, tum positiva, tum negativa; verum etiam chimerica. Tandem

XXXI. Dico 11. Non datur distinctio formalis ex natura rei. Constat satis ex præcedentibus: cum evidens sit, non dari actum existendi, ubi nulla datur potentia ad existendum, ut in chimeris.

## A R T I C U L U S VII.

### Solvuntur Objectiones.

XXXII. **O**bjicies 1. Distinctio formalis ex natura rei, quam tenent scotistæ, solum intercedere potest inter formalitates, ut ipsum ejus nomen præsefert, non vero inter entia completa, cujusmodi sunt Petrus, & Paulus; homo, & lapis: ergo non inde sequitur absurdum illud, quod omnia dici pos-

possent realiter secum identificata, & distincta duntaxat formaliter ex natura rei. Immo, hoc sequi ex distinctione scotistica, repugnare videtur ex ipsis terminis.

Respondeo, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente. Vel, claritatis gratia, distinguo antecedens: non vero inter entia completa, ex suppositione, quod dentur entia completa, transeat: ex suppositione, quod nulla sint entia completa, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente: & deinde consequentiam. Hæc ipsa est vis nostri argumenti fundamentalis: & nos hoc ipsum contendimus, scilicet, quod si excogitabilis esset, inter realiter identificata, talis distinctio formalis, beneficio cuius conciliari possent aliqua prædicata, alioqui contradictoria; dici posset, quod omnia, quæ defacto existunt, sint meræ formalitates secum realiter identificatæ, distinctæ solummodo formaliter ex natura rei: cuius distinctionis opes, citra contradictionem, conciliari possent prædicata, alioquin contradictoria: cuiusmodi essent, Petrus scribit, Paulus non scribit; Petrus est homo, lapis non est homo; hic mundus existit, alter mundus non existit. Jam enim non essent ejusdem, de eodem, secundum idem.

XXXIII. Obijcies a. Distinctio scotistica intercedit solum inter unam, & aliam formalitatem: ergo non potest intercedere inter semiformalitatem, & semiformalitatem, & sic in infinitum.

Respondeo, ut supra ad primam objectionem, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente. Vel, claritatis gratia, distinguo: ex suppositione, quod detur formalitas non includens infinitas formalitates transeat; secus, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente: nego deinde consequentiam. Et contra sic argumentor: si, quæ distinguuntur formalitates ex natura rei, sunt formalitates; ergo, si semiformalitates infinitæ, seu, si puncta formalitatum infinita, in quavis formalitate inclusa, distinguuntur formaliter ex natura rei; sunt etiam ipsa formalitates: atqui distinguuntur formaliter ex natura rei: ergo & ipsa sunt formalitates: ergo non datur formalitas, quæ non constet infinitis formalitatibus. Antecedens est adversarium. Minor subsumpta satis constare videtur ex nostra ratione fundamentali.

XXXIV. Ob-

XXXIV. *Objicies 3.* Separabilitas, quoad existendum simpliciter, est evidens signum realis distinctionis: quia realis identitas, vel est ipsamet duorum inseparabilitas, vel hanc essentialiter trahit: ergo non sequitur, dici posse realiter identificata inter se, existens, & non existens.

Respondeo, distinguo antecedens: separabilitas, ex suppositione, quod implicet distinctio formalis ex natura rei, est evidens signum realis distinctionis, transeat: ex suppositione, quod non implicet talis distinctio scotistarum, nego antecedens, & consequentiam. Et hoc ipsum dico esse absurdum: quod, posita hujusmodi distinctione, sine contradictione salvari posset, quod duo v. g. Petrus, & lapis sint separabilia, quoad simpliciter existendum; & nihilominus sint realiter una, eadenque entitas: ut sunt in homine, per scotistas, animalitas, & rationalitas, quanvis separari possint secundum quid, scilicet quoad munus, quatenus nimirum, potest animalitas hominis aliquod producere, quod non producat rationalitas; potest animalitas hominis aliquam terminare cognitionem, quam non terminet rationalitas. Jam enim non essent ejusdem, de eodem, secundum idem: ergo non esset chimera, quod duo identificentur quidem realiter, & tamen sint, nemine cogitante, separabilia, immo & actu separata, quoad simpliciter existendum.

*Objicies 4.* Evidens omnino est intellectui sano, quod existens, & non existens simpliciter; quodque existens, & non existens secundum quid, quoad locum, & tempus, v. g. existens hic, & non existens hic; existens nunc, & non existens nunc; realiter non identificentur: ergo corrui nostrum argumentum fundamentale contra scotistas.

Respondeo, distinguo antecedens: evidens est, negata possibilitate distinctionis formalis ex natura rei, aut similis alterius distinctionis, concedo: evidens est, hac admissa, nego antecedens, & consequentiam: & dico, hoc ipsum esse absurdum, quod inferre contendimus: admissa nimirum possibilitate prædictæ distinctionis, non sequi duo contradictoria, adeoque non esse absurdum, si existens, & non existens; existens hic, & non existens hic; existens nunc, & non existens nunc, realiter identificentur: dummodo distinguantur formaliter ex natura rei: itaque separabilitatem quoad existendum simpliciter, & quoad existendum secundum quid; videlicet separabilitatem quoad lo-



locum , ac tempus , non esse signum infallibile realis distinctionis : licet enim unum non existeret , aut non existeret hic , & nunc , formaliter , & secundum quid ; existeret tamen identice , & absolute , & realiter : quandoquidem existeret id , cum quo ipsum realiter identificatur : ergo non verificaretur existere , & non existere , ejusdem , de eodem , secundum idem : ergo revera , non sequerentur contradictoria : sed omne id , ex quo non sequuntur contradictoria , est possibile : ergo , hac distinctione formali ex natura rei admissa , possibile est , ut realiter identificentur duo , quorum unum existat , alterum non existat simpliciter ; aut quorum unum existat hic , alterum non existat hic ; quorum unum existat nunc , alterum non existat nunc .

Objicies 5. Aliunde habemus , ex communi sensu , quod multa revera inter se realiter distinguantur : ergo nostrum argumentum , contra scotistas , non habet vim .

Respondeo , distinguo antecedens : aliunde id habemus , negata possibilitate distinctionis formalis ex natura rei , concedo : admissa , nego antecedens , & consequentiam . Hoc ipsum contendimus , scilicet , admissa possibili distinctione formali scotica , non posse aliunde satis probari , aliqua revera realiter distinguuntur inter se : adeoque non esse evidens , quod existens , & non existens , realiter distinguantur . Sed hoc est maximum absurdum : ergo & id , unde sequitur .

XXXV. Objicies 6. Datur defacto distinctio formalis inter gradus metaphysicos : ergo falsa conclusio . Antecedens probatur : gradibus metaphysicis competunt prædicata , alioqui contradictoria : ergo signum est , quod formaliter ex natura rei distinguantur : antecedens probatur : quia v. g. animalitas , & rationalitas in homine sunt ad invicem negabilia : quatenus animalitas , independenter ab intellectu , formaliter ex natura rei non est rationalitas , rationalitas non est animalitas ; animalitas definitur definitione , qua non definitur rationalitas ; exprimitur diverso conceptu , quo non exprimitur rationalitas ; & sic de aliis : ergo gradibus metaphysicis competunt prædicata , alioqui contradictoria .

Respondeo , nego antecedens , ejusque probationem . Ad cujus probationem , distinguo antecedens : animalitas , & rationalitas extrinsece , concedo : intrinsece , nego antecedens , & in eodem sensu consequentiam . Animalitas , & rationalitas in ho-

*Ant. Forti.*

mine

mine sunt ipsemet homo, adeoque una eadenque omnino entitas, si intrinsece absolute, in recto, specificative sumantur: & in hoc sensu, quidquid verificatur de una, verificatur de alia: immo, rigurose loquendo, non habetur unum, & aliud; juxta sæpius tradita de conceptu identitatis. Si vero animalitas, & rationalitas extrinsece, respective, in obliquo, reduplicative considerentur; sunt ipse homo, prout reduplicat, vel terminos diversos, quibus virtualiter æquivalet, & comparari potest; vel connotata diversa, quæ producere potest; vel cognitiones diversas, quibus repræsentari potest; vel diversa nomina, quibus appellari potest. Jam quælibet assignabilis contradictio cadit supra obliqua realiter distincta, non supra hominem, qui est una eadenque entitas a seipsa indistincta. Et sane primo, homo, prout similis, seu æquivalens virtute, seu confundibilis cum brutis, dicitur in hoc sensu animalitas; estque concretum inadæquate, distinctum a seipso, prout simili, seu prout æquivalente, seu prout confundibili cum aliis, discernibili tamen ab equo: adeoque juxta hanc acceptionem animalitas, & rationalitas diversa definitione definiuntur, & realiter distinguuntur inadæquate, secundum diversos terminos, quos respiciunt, realiter distinctos inter se.

Secundo, idem homo, v. g. Petrus, prout productivus sensationum, quæ sunt illa obliqua, quæ ut talis connotat ipse homo; vocatur animal: & qua talis, constituit concretum, inadæquate diversum ab eo, quod idem Petrus constituit cum ratiocinationibus, seu intellectionibus, quæ sunt obliqua, diversa ab aliis sensationibus, & qua talis, ipsemet Petrus appellatur rationale: juxta quam acceptionem sensus est, quando dicitur: animal in homine est principium sentiendi, rationale in homine non est principium sentiendi; rationale in homine est principium discurrendi, animal in homine non est principium discurrendi: scilicet homo, prout reduplicans meras sensationes, non reduplicat intellectiones, ab illis realiter distinctas.

XXXVI. Tertio homo, prout cognoscibilis in ordine ad actus mere vegetativos, quos producere potest; appellatur vegetabile, & æquivalens plantis, eisque similis, & cum iisdem confundibilis. Idem homo, prout cognoscibilis, minus obscure, quippe per actus, etiam sensitivos, quos producere potest; appellatur animal, & æquivalens brutis, eisque similis, & confundibilis.

Phil. Neg. Log.

V v

fun-

fundibilis cum iisdem . Idem vero , prout ulterius cognoscibilis, minus obscure , quippe per actus etiam ratiocinativos , quos producere potest; appellatur rationale; & per hanc cognitionem non amplius confundibilis est cum plantis , aut brutis : discernitur enim vero ab iisdem per hoc novum lumen clarioris cognitionis: licet confundatur cum aliis hominibus . Tandem idem homo , prout cognoscibilis clare , quippe per actus , aut accidentia , in individuo sibi propria ; appellatur Petrus ; hic homo determinatus , & singularis : & qua talis , ne quidem cum aliis hominibus confunditur , sed discernitur ab iisdem . In quibus acceptionibus , quanvis idem sit Petrus , veniens in recto ; diversa tamen , ne dum realiter distincta , sunt , quæ reduplicat in obliquo : unde Petrus prout vegetabile ; Petrus prout animal ; Petrus prout rationale ; Petrus prout hic homo ; sunt concreta , inadæquate realiter inter se distincta , & diversa .

Itaque diversa definitio , aut diversa prædicatio , non cadit supra id , quod homo , seu rationalitas dicit intrinsece , specificative , absolute , & in recto ; sed supra id , quod idem homo , seu rationalitas dicit extrinsece , respective , reduplicative , & in obliquo , quod est quid realiter distinctum ab eo , quod homo , seu animalitas , seu rationalitas ejusdem hominis potest respicere , juxta superius explicata .

Deinde , si prædictum argumentum , & similia adversariorum valerent ; retorqueri possent contra ipsos ad probandum , ut *art. sup. assert. 10. dictum est* , quod quælibet formalitas consistere deberet ex infinitis formalitatibus , inter se actu distinctis formaliter ex natura rei : nam rationalitas Petri , prout cognoscibilis , aut prout cognoscitiva , respectu unius potentiae , aut objecti , non esset formaliter cognoscibilis , aut cognoscitiva respectu alterius potentiae , aut objecti in infinitum : ergo multiplicitate talium connotatorum , seu terminorum , deberet ipsa formaliter ex natura rei subdividui in alias , & alias semiformalitates in infinitum . Tandem , si aliquid independentem ab intellectu verificaretur de animalitate , intrinsece sumpta , quod non verificaretur de rationalitate , aut viceversa ; inferretur distinctio realis : cum aliunde , ex nostra ratione fundamentali , repugnet distinctio formalis ex natura rei .

XXXVII. Obijcies 7. Idē omnino homo nō potest, diverso conceptu exprimi, seu diversa cognitione representari: ergo diversi conce-

ceptus, diversæ cognitiones, diversæ definitiones non cadunt supra eandem entitatem hominis.

Respondeo, nego antecedens, vel claritatis gratia, distinguo: non potest diverso conceptu, & cognitione repræsentari, diversitate se tenente ex parte objecti, concedo: diversitate se tenente ex parte actus, nego antecedens, & consequentiam. Unum, idemque prorsus objectum potest nunc magis, nunc minus clare cognosci: sicut idem punctum aeris potest nunc majorem, nunc minorem lucem recipere; & nunc magis, nunc minus illustrari: ut potest idem bonum nunc magis, nunc minus amari etiam ab eadem voluntate; ad eum modum, quo idem centrum plures lineas, undequeque ex circumferentia ad ipsum tendentes, potest terminare. Ratio est, quia eadem res, v. g. homo, ratione distinctionis virtualis extrinsecæ, seu minoris, æquivalet pluribus: ergo potest per varias cognitiones nunc comparari, & confundi cum aliquibus, nunc cum aliis. Ubi, ut patet, diversitas tota est extrinseca, quippe in ipsis cognitionibus, & variis terminis, ad quos dicit ordinem; non vero intrinseca in ipsamet entitate hominis, a seipsa.

XXXVIII. Objicies 8. Natura, independenter ab intellectu, non est singularitas: ergo distinguitur, nemine cogitante, a singularitate: sed non realiter: ergo formaliter ex natura rei. Antecedens probatur, quia singularitas communiter dicitur esse extra essentiam rei.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo antecedens: extrinsece, concedo; intrinsece, nego antecedens, & consequentiam.

Quando dicitur, singularitas est extra essentiam, seu naturam Petri; sensus est, quod ad hoc, ut objectum aliquod dicatur homo, seu natura, & essentia humana, sufficit, ut cognoscatur tali cognitione, qua discerni possit ab omni eo, quod non est homo; nec requiritur, ut cognoscatur cognitione clariore, qua discerni etiam possit ab omni eo, quod non est Petrus.

XXXIX. Objicies 9. Natura est indifferens ad diversas singularitates, sicut materia ad plures formas: ergo ab illis distinguitur formaliter ex natura rei.

Respondeo, nego antecedens, quia indifferentia materiæ ad plures formas, supponit distinctionem realem. Vel, claritatis

gratia, distinguo antecedens: extrinsece, transeat; intrinsece, nego antecedens, & consequentiam.

Quando dicitur, natura extrinsece indifferens ad plures singularitates; sensus est ex parte actus: quod scilicet, quando cognoscitur aliquod tali cognitione, qua possit discerni quidem ab omni eo, quod v.g. non est homo; tunc intellectus remanet adhuc dubius, & indifferens, an ille sit Petrus, an Paulus, an Marcellus: sed duntaxat certificatur, quod ille sit vel Petrus, vel Paulus, vel Marcellus, vel alius homo in particulari. Et in hoc sensu dicitur, singularitas esse differentia materialis, seu accidentalis respectu naturæ; quatenus nimirum extrinsece, seu intentionaliter, videtur eidem accidere: facilius enim, adeoque prius, cognosci potest res tali cognitione minus clara, qua dici possit, est homo; quam cognitione clariori, qua dici possit, est Petrus, seu talis homo.

XL. Objicies 10. Animalitas prædicatur de equo, rationalitas non prædicatur de equo: ergo distinguuntur, nemine cogitante: ergo formaliter ex natura rei.

Respondeo, distinguo antecedens: animalitas distincta realiter ab animalitate hominis, concedo: animalitas, quæ est in homine, nego antecedens, & consequentiam. Realiter una, & eadem omnino res est in homine, v.g. in Petro, animalitas, & rationalitas: quando autem prædicatur de equo animalitas; prædicatur animalitas illa, quæ est identificata cum hincibilitate equi, realiter distincta a rationalitate hominis: non vero prædicatur de equo animalitas illa, quæ realiter est in Petro.

Objicies 11. Petrus est similis equo per animalitatem, non vero per rationalitatem: ergo animalitati, & rationalitati ejusdem Petri competunt prædicata, alioqui contradictoria: ergo formaliter ex natura rei distinguuntur.

Respondeo, distinguo antecedens: per animalitatem, non per rationalitatem extrinsece, & respective sumptam, concedo; intrinsece, & absolute, nego antecedens: & distinguo eodem modo primum consequens: animalitati, & rationalitati, extrinsece, & respective sumptis, concedo; intrinsece, & absolute, nego primam, & secundam consequentiam. Petrus, animalitas, rationalitas ejusdem intrinsece, absolute, & simpliciter, idem omnino sunt: adeoque Petrus, si est similis, aut dissimilis, aut non similis

lis alicui intrinsece; talis est tum per rationalitatem, tum per animalitatem. Jam idem Petrus, eadem animalitas, eadem rationalitas Petri est similis, & simul dissimilis equo, quatenus est confundibilis cum equo, comparatus in ordine ad sensationes, per cognitionem minus claram; estque ab illo discernibilis, comparatus in ordine ad intellectiones, & per cognitionem magis claram. Et hoc est, esse similem per animalitatem, sumptam extrinsece, & respective; non vero per rationalitatem, pariter extrinsece, & respective consideratam, juxta ea, quæ dicta sunt ad objectionem sextam.

XLI. Obijciēs 12. Ergo idem Petrus est similis, & dissimiliq equo: ergo est similis, & non similis.

Respondeo, concessa prima consequentia: distinguo secundum consequens, est similis, & non similis absolute, & simpliciter nego: secundum quid, & respective, subdistinguo: relate ad diversa, concedo; relate ad idem, nego consequentiam. Petrum esse similem, & esse dissimilem, etiam respectu ejusdem equi, non opponuntur: quia, ex dictis, nihil aliud important, nisi, quod Petrus sit confundibilis cum equo, & sit discernibilis ab eodem; confundibilis per cognitionem magis obscuram, discernibilis per cognitionem minus obscuram: adeoque absolute, & simpliciter confundibilis, idest similis; absolute discernibilis, idest dissimilis. Itaque non potest dici absolute, & simpliciter non similis; absolute, & simpliciter non dissimilis: sed utrunque, modo explicato. At secundum quid, & respective dici potest: Petrus non similis, & non dissimilis eidem equo; sed quoad diversa: puta confundibilis cum equo per cognitionem magis obscuram, non confundibilis per cognitionem minus obscuram: discernibilis ab equo per cognitionem magis claram, non vero discernibilis ab eodem per cognitionem minus claram, quæ, ut videtur, non sunt contradictoria: cum non sint ejusdem, de eodem; secundum idem: sicut contradictoria non sunt, quod hæc domus sit illuminata lumine, ut quatuor; non vero lumine, ut octo: quod sit illuminata lumine solis, non vero lumine lucernæ; adeoque quod, in hoc sensu, sit illuminata, & non illuminata, secundum quid, & respective ad diversa; non vero illuminata, & non illuminata absolute, & simpliciter: cum absolute, & simpliciter talis illa sit, nimirum illuminata, undecunque lumen recipiat.

XLI. Ob-

XLII. Objicies 13. Non potest idem esse alteri æquale, & inæquale in quantitate : ergo neque simile, & dissimile, etiam in sensu prædicto.

Respondeo , nego consequentiam : quia æqualitas , & inæqualitas in quantitate , prout sumitur in antecedente , non suscipit magis , & minus , sed consistit in indivisibili ; cum importet , quod una res sit tantæ quantitatis arithmetice , quantæ est alia : & ita congruant inter se , ut una nec excedat , nec excedatur ab altera : cujusmodi sunt , v. g. duo numeri binarii , vel duo baculi quadripalmares . Inæqualitas vero est excessus , vel defectus unius , in quantitate , respectu alterius : cujusmodi est inter numerum binarium , & unitatem ; seu inter duos baculos , quorum unus sit quadripalmaris , alter tripalmaris . Jam , licet inæqualitas suscipiat magis & minus : magis enim distat unitas a numero quaternario , quam a binario ; implicat tamen , quod una res alteram excedat simul , & non excedat in quantitate ; vel , quod excedatur , & non excedatur ab illa ; adeoque implicat , unam rem esse alteri æqualem simul , & inæqualem . Unam autem rem esse alteri similem , & dissimilem , est , esse talem , ex dictis , ut per unam cognitionem minus claram , possit cum illa confundi ; per alteram vero cognitionem clariorem , possit ab illa discerni : quæ sane non opponuntur contradictorie : cum non sint ejusdem , de eodem , secundum idem .

Objicies 14. Idem punctum aeris non potest esse simul lucidum , & tenebrosum : ergo idem omnino objectum non potest esse alteri simile , & dissimile .

Respondeo , nego consequentiam : quia esse lucidum , & esse tenebrosum important , habere absolute lucem , & illam non habere ; quæ sunt contradictoria : esse autem simile , & dissimile , non important contradictionem : non enim excluduntur ad invicem , quod idem homo possit producere sensationes ; adeoque in hoc sit similis equo , idest confundibilis cum equo , per cognitionem , ex vi cujus possit appellari animal : & possit etiam producere intellectiones ; adeoque sit dissimilis equo , idest discernibilis ab illo , per cognitionem magis claram , ex vi cujus appellari possit rationale .

XLIII. Objicies 15. In actu supernaturali amoris erga Deum , supernaturalitas , & vitalitas distinguuntur formaliter ex natura rei : ergo datur defecto talis distinctio . Antecedens probatur ,

sa-

supernaturalitas dicit ordinem ad principium supernaturale, vitalitas non dicit ordinem ad principium supernaturale: ergo verificantur de illis prædicata, alioqui contradictoria: ergo formaliter distinguuntur ex natura rei.

Respondeo, nego antecedens, ejusque probationem: nam, intrinsece, & absolute quidquid verificatur de supernaturalitate actus amoris erga Deum, verificatur etiam de vitalitate ejusdem: cum sint omnino idem intrinsece, absolute, & simpliciter, nempe ipse actus amoris; licet extrinsece, & respective diversificentur, quatenus sunt idem in ordine ad diversa considerabile; nempe in ordine ad principium supernaturale, & in ordine ad principium vitale: quod utrumque simul concurrit ad talem actum.

Objicies 16. Scientiæ sunt circa naturas, & non circa singularitates: ergo natura, & singularitas distinguuntur formaliter ex natura rei: terminant enim prædicationes contradictorias.

Respondeo, nego antecedens: quia quilibet actus, eo ipso, quod attingit naturam; attingit singularitatem, realiter cum illa identificatam. Quando autem dicitur, quod ex parte actus attingi possit natura sine singularitate; sensus est, posse ita absolute, & simpliciter cognosci hominem, ut discernatur ab eo, quod non est homo, non autem discernatur ab eo, quod non est talis homo; adeoque in hoc sensu dicitur cognosci natura extrinsece, non singularitas, ut melius infra explicabitur.

XLIV. Objicies 17. Proprietates, seu passiones rerum competunt naturis, seu essentiis, & non singularitatibus: ergo natura, & singularitas formaliter ex natura rei distinguuntur, utpote, de quibus verificantur prædicata, alioqui contradictoria.

Respondeo, ut supra, nego antecedens, vel claritatis gratia, distinguo: ex parte actus, concedo; ex parte objecti, nego antecedens, & consequentiam. Sensus distinctionis est, juxta superius tradita, quod, ad hoc, ut dicatur aliquid esse risibile v. g. sufficit, ut cognoscatur tali claritate, qua possit appellari homo, & discerni ab omni eo, quod non est homo, seu quod non est natura humana: non vero requiritur ulterior claritas, qua discerni illud possit ab omni eo, quod non est hic homo, adeoque appellari Petrus.

Objicies 18. Quilibet res componitur ex genere, & differentia: ergo genus, & differentia distinguuntur formaliter ex natura rei.

Re-



Respondeo, distinguo antecedens : per compositionem logicam, seu metaphysicam, seu extrinsecam, & dependenter ab intellectu, concedo : per compositionem physicam, seu intrinsecam, & independentem ab intellectu, nego antecedens, & consequentiam. Compositio ex genere, & differentia importat, quod eadem entitas hominis, v. g. sit diverso modo cognoscibilis, saltem per conceptum magis obscurum, quo confundatur cū brutis ; & vocetur animal, quod est genus : & per conceptum minus obscurum, quo discernatur a brutis, & ab omni eo, quod non est homo ; & vocetur rationale, quæ est differentia.

XLV. Cæterum quoad hæc, fere omnia, & alia adversariorum argumenta similia, notandum, quod illa, si probarent verificari prædicata, alioqui contradictoria, de gradibus metaphysicis intrinsece, entitative, ex parte objecti consideratis, secundum id, quod venit in recto ; evincerent distinctionem realem, non vero formalem ex natura rei, quam intendunt. Ratio est, quia, ex nostro argumento fundamentali, prædicata, alioqui contradictoria (ubi non urget lumen superius, præponderans) sunt signum metaphysice evidens realis distinctionis ; sicut sunt inter Petrum, & Paulum. Aliter tollitur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem. Itaque, cum gradus metaphysici realiter identificentur ; implicat sane de illis, quæ talibus, verificari prædicata, alioqui contradictoria. Hæc de distinctione, quam vocant scoticam. Inde, quoniam eadem fere est difficultas, aut plane similis, sit

## A R T I C U L U S VIII.

An detur distinctio virtualis major, seu intrinseca.

XLVI. **D**ico 1. Quæstio est de distinctione virtuali, quam majorem, seu intrinsecam appellant. Nam distinctionem virtualem, quam minorem, seu extrinsecam dicunt ; quæ consistit in eo, quod eadem omnino entitas æquivalet pluribus, ut explicavimus supra ; non revocamus in dubium : cum non videatur, posse negari, quod idem homo, ut supra dictum est, vegetet, ut plantæ ; sentiat, ut bruta ; intelligat, ut angeli ; adeoque æquivalet, virtualiter, extrinsece, respective distinctus, vegetatione plantis, sensatione brutis, intellectu

*Ant. Forti.*

ctio-

Etione angelis . Jam distinctio virtualis major , seu intrinseca est capacitas, in una ,eadenque omnino realiter entitate, verificandi propositiones , alioqui contradictorias , v. g. dicendi cum veritate, A, cognoscitur , B, non cognoscitur, saltem per eandem cognitionem, qua cognoscitur A. A producit, B, non producit, saltem per eandem actionem , qua producit A ; non obstante, quod A , & B , sint realiter unum , & idem : sunt enim, per ad-versarios , virtualitates realiter identificatae , sed virtualiter distinctae , nemine cogitante . Distinctionem praedictam admittunt quidam recentiores , contendentes , hanc esse sententiam vere thomisticam . Et quidem aliqui primo illam admittunt duntaxat de possibili . Secundo alii etiam defacto , sed in divinis tantum . Tertio alii in divinis tantum , sed nonnisi in mysterio Trinitatis, inter absolutum , & relativum , puta inter naturam , & personalitates . Quarto alii in divinis tantum , sed tum in mysterio Trinitatis , tum in mysterio libertatis , tum in mysterio scientiae contingentium ; puta inter absolutum , & relativum ad extra, scilicet relate ad creaturas libere volitas, aut contingenter scitas . Quinto alii in divinis tantum , at non solum quoad praedicta mysteria , inter absolutum , & relativum , sed etiam inter alia attributa absoluta inter se, v. g. inter misericordiam , & iustitiam ; inter sapientiam , & omnipotentiam . Sexto alii defacto etiam in creatis in universum . Septimo alii in creatis, sed duntaxat in ordine ad praedicata intentionalia . Alii contra, vel octavo opponuntur alicui ex praedictis sententiis . Vel nono opponuntur omnibus, illam simpliciter negando , tum defacto , tum de possibili ; tum in creatis , tum in divinis ; tum in ordine ad aliqua , tum in ordine ad omnia praedicata , alioqui contradictoria : cum quibus

XLVII. Dico 2. Repugnat in universum praexplicata distinctio . Est sententia communis , praesertim apud veteres , quos sequuntur plures docti recentiores . Probatur : quia haec distinctio virtualis , vel supponit independentem ab intellectu diversas formalitates, aut virtualitates, vel non . Neutrum dici potest : ergo repugnat . Minor probatur : nam , si primum ; videtur in re coincidere cum distinctione formali ex natura rei, quam supra impugnavimus ; licet discrepet penes nomen virtualitatum , & formalitatum . Si secundum ; videtur manifesta chimera : siquidem est chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificentur duo praedicata , alioqui contradictoria : & si hoc chi-

*Phil. Neg. Log.*

**X x**

mera

mera non est ; tollitur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem . Consequens est absurdum : ergo & antecedens . Probatur sequela majoris : si enim non est chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificentur aliqua prædicata , alioqui contradictoria ; neque est chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificentur alia , & alia (& sic de omnibus) alioqui contradictoria (quantū est ex vi contradictionis) sed, si hoc non est chimera; tollitur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem: ergo, si non est chimera, quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificentur duo prædicata , alioqui contradictoria ; tollitur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem . Major hujus syllogismi probatur : quia æque opponuntur inter se omnia contradictoria , tum quoad essendum , & non essendum secundum quid ; tum ad essendum , & non essendum simpliciter . Minor probatur etiam : quia , si non est chimera , quod produciens , & non produciens ; productum , & non productum ; existens hic , & non existens hic ; existens nunc , & non existens nunc ; existens simpliciter , & non existens simpliciter ; identificentur realiter , sintque idem realiter , licet virtualiter distinguantur ; non poterit ratione impugnari , qui , ne multiplicet entia per distinctionem realem , asserat ; omnia esse unum , & idem realiter , & solum distingui virtualiter : quia nulla sequeretur inde contradictio : si enim possunt existens , & non existens identificari ; separabilitas non erit amplius signum realis distinctionis : sique produciens , & non produciens possunt esse realiter idem ; a fortiori poterunt esse realiter idem , produciens , & productum , etiam quoad primum esse : quia hæc opponuntur quasi contrarie , illa vero contradictorie : & ideo hæc repugnant , quia trahunt illa .

XLVIII. Dico 3. Prædicta nostra ratio probat , distinctionem virtualem repugnare , tum de facto , tum de possibili ; tum in creatis , tum in divinis ; tum quoad aliqua , tum quoad omnia prædicata , alioqui contradictoria , etiam intentionalia ; cujusmodi sunt cognosci , & non cognosci . Nam , si non est chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificetur cognosci , & non cognosci , per cognitionem A ; ergo neque est chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificetur , esse cognoscibile , & non esse cognoscibile , per cognitionem A . Rursus neque erit chimera , quod ejusdem , de eodem , secundum idem verificetur

cetur produci, & non produci, per productionem A; producere, & non producere, per eandem productionem; esse hic, & non esse hic; esse nunc, & non esse nunc; & tandem, simpliciter esse, & simpliciter non esse. Itaque

Dico 4. Ubi habetur scientia, habita per syllogismum demonstrativum; evidens esse debet, hujusmodi distinctionem esse chimeram. Probatur, quia corrumpit scientia syllogismi demonstrativi, admissa possibilitate distinctionis virtualis inter extrema, & medium terminum: ergo, ubi est dicta scientia, debet evidenter repugnare distinctio virtualis. Antecedens probatur: ubi corrumpit principium illud: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; corrumpit vis syllogistica, quæ, tota quanta est, dicto principio innititur: sed, admissa possibilitate distinctionis virtualis inter extrema, & inter medium terminum, corrumpit principium illud: ergo, admissa possibilitate distinctionis virtualis inter extrema, & medium terminum, corrumpit scientia syllogismi demonstrativi. Minor probatur, quia, admissa distinctione virtuali inter extrema, & medium terminum, poterunt sine contradictione duo extrema identificari cum uno tertio, & tamen distingui virtualiter inter se: itaque semper haberi posset aliqualis formido, an, fortasse hic, & nunc lateret distinctio virtualis inter extrema, & medium terminum syllogismi: quæ formido destruit certitudinem, & evidentiam scientiæ: ergo, a primo ad ultimum, ubicunque est prædicta scientia certa, & evidens; evidens esse debet, hujusmodi distinctionem repugnare.

## A R T I C U L U S IX.

Solvuntur objectiones.

XLIX. **O**bjicies 1. Distinctio virtualis major datur in divinis, saltem in mysterio Trinitatis inter Naturam divinam, & Personalitates; & in mysterio divinæ libertatis inter Deum, ens necessarium, & inter actum ejus voluntatis liberum; & in mysterio scientiæ contingentium inter Deum, ens necessarium, & ejus cognitionem contingentem: ergo non repugnat in universum: quin etiam dari poterit in creatis, saltem de possibili.

Respondeo, nego antecedens. Absque tali distinctione,

XX 2

sal-

salvari mysterium Trinitatis, libertatis, & scientiæ contingentium in Deo, probatum est in theologia lib. 1.

Objicies 2. De qualibet creatura verificantur prædicata, alioqui contradictoria: ergo quælibet creatura pollet distinctione virtuali intrinseca. Antecedens probatur: quælibet creatura continet aliquam perfectionem; adeoque, secundum hanc, est similis Deo, seu particeps divini esse: & continet aliquam imperfectionem, sibi identificatam; adeoque, secundum hanc, non est similis Deo, nec particeps divini esse: ergo de qualibet creatura verificantur prædicata, alioqui contradictoria.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo antecedens, (ut supra, ubi de similitudine animalitatis, & rationalitatis humanæ cum equo) intrinsece, & simpliciter nego, esse similem, & non similem; participem, & non participem: extrinsece, & secundum quid, subdistinguo, respectu diversorum concedo, respectu ejusdem, nego antecedens, & consequentiam. Totum esse cujuslibet creaturæ est quid omnino indivisibile, dependens a Deo: & in hoc sensu, participatio divini esse: quia tamen est participatio valde imperfecta, & limitata; dicitur etiam imperfectio, & carentia perfectioris esse: nec non carentia ulterioris perfectionis, & melioris participationis: vel potius, trahens talem carentiam. Jam, creaturam habere perfectionem, ut duo, & non habere perfectionem, ut quatuor, non sunt contradictoria; sicut nec sunt contradictoria, quod quis habeat nummos argenteos, non habeat nummos aureos.

L. Objicies 3. Cum Lynceo: albedo, & relatio transcendentalis, seu habitudo, & ordo ipsius albedinis ad Deum, a quo pendet, realiter identificantur; & tamen oculus videt albedinem, non autem relationem transcendentalem albedinis ad Deum: ergo albedo, & dicta relatio virtualiter distinguuntur.

Respondeo, nego secundam partem antecedentis. Albedo, & relatio prædicta, idest habitudo, seu ordo inadæquatus albedinis ad Deum, idem omnino intrinsece sunt: ergo, si oculus videt albedinem; videt dictam habitudinem, seu ordinem ad Deum: quoniam autem illam videt obscure; non sequitur, quod oculus videat Deum, qui est terminus prædictæ relationis, sive habitudinis.

Objicies 4. Cum eodem Lynceo: actus contritionis habet duo prædicata, virtualiter inter se distincta: ergo datur distinctio

ctio virtualis. Antecedens probatur: actus contritionis est amor Dei, & odium peccati: sed hæc duo prædicata in actu contritionis virtualiter distinguuntur: ergo. Minor probatur: amor terminatur ad Deum, odium non terminatur ad Deum; odium terminatur ad peccatum, amor non terminatur ad peccatum: ergo amor, & odium virtualiter distinguuntur.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem nego minorem: & ad ultimum argumentum nego antecedens. Totus actus contritionis, qui indivisibiliter est amor Dei, & odium peccati; terminatur tum ad Deum, tum ad peccatum: Deum tamen denominat amatum, peccatum vero odio habitum. Neque hoc novum in philosophia, quod nimirum una, eadenque indivisibilis forma, seu quasi forma, tribuat uni entitati aliquam denominationem, alteri vero diversam: & quidem, siue tales denominationes sint ambæ intrinsecæ, siue ambæ extrinsecæ, siue una intrinseca, & altera extrinseca. Sic ipsa entitas amoris erga Deum denominat Deum amatum, & creaturam amantem; ipsa entitas cognitionis denominat objectum cognitum, & intellectum cognoscentem: quin ipsa cognitio potest esse affirmatio unius objecti, & negatio alterius; adeoque unum objectum denominare affirmatum, alterum vero negatum.

II. Objicies 5. Aegrotus amat vim causativam sanitatis, & non amat vim causativam amaritiei: sed in medicina vis causativa sanitatis, & vis causativa amaritiei sunt identificata: ergo virtualiter distinguuntur. Secunda pars majoris probatur, quia ægrotus odio habet vim causativam amaritiei: ergo illam non amat.

Respondeo, distinguo majorem: vim causativam sanitatis, & amaritiei extrinsece, & respective, concedo: intrinsece, absolute, & simpliciter, subdistinguo: amore, & odio efficaci, nego; amore efficaci, & odio inefficaci, concedo majorem: & distinguo minorem: hæc duo identificantur intrinsece, & absolute, & simpliciter, concedo; extrinsece, & respective, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem secundæ partis majoris, distinguo antecedens: odio habet vim causativam amaritiei extrinsece, & respective, concedo; intrinsece, absolute, & simpliciter, subdistinguo: odio inefficaci, concedo; efficaci, nego antecedens: & distinguo consequens: ergo illam non amat amore efficaci, concedo; amore inefficaci, nego con-

consequentiam. Vis causativa sanitatis, & vis causativa amaritiei in medicina, sunt intrinsece, absolute, & simpliciter unum, & idem: adeoque ægrotus, ex suppositione, quod sumat jam medicinam; eandem entitatem amat efficaciter, odio habet inefficaciter: sin vero recusat; efficaciter odio habet, inefficaciter amat. Quæ non sunt contradictoria. Contradictoria, enim essent, amare efficaciter, & efficaciter non amare: quia, hoc importaret sumi, & non sumi hic & nunc medicinam ab ipso ægrotto. Si vero vis causativa sanitatis, & vis causativa amaritiei extrinsece considerentur, & respective; reduplicant diversos terminos, scilicet sanitatem, & amaritiam: adeoque potest ægrotus, absque contradictione, amare concretum illud, quod est medicina, & sanitas; & odio habere concretum illud, quod est medicina, & amarities: ratione diversitatis partium, realiter inter se distinctarum, quas hæc duo concreta important, & reduplicant in obliquo.

LII. *Objicies. 6.* Sensitivitas, & intellectivitas animæ rationalis sunt duo prædicata realiter identificata: sed de illis verificantur duo alioqui contradictoria: ergo distinguuntur virtualiter. Minor probatur: sensitivitas unitur materiæ, intellectivitas non unitur materiæ: ergo de illis verificantur duo alioqui contradictoria.

Respondeo, nego minorem: ad ejus probationem, nego antecedens, quod gratis omnino assumitur.

*Objicies 7.* Supposito, quod malitia peccati identificetur cum esse positivo ejusdem; entitati peccati, & malitiæ ejusdem, competunt duo prædicata alioqui contradictoria: ergo virtualiter distinguuntur. Antecedens probatur: entitas peccati producit a Deo, malitia vero peccati non producit a Deo: ergo de entitate, & malitia peccati verificantur duo, alioqui contradictoria.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego iterum antecedens, & dico: Deus, supposita hac identitate, physice concurrit ad productionem entitatis peccati, quæ indivisibiliter est entitas, & malitia peccati: non ideo tamen dicitur causa peccati: quatenus peccatum non imputatur Deo, sed humanæ libertati, a qua determinatus auctor naturæ, concurrit, ut satisfaciat muneri causæ primæ. Non ideo tamen Deus dicitur absolute, & simpliciter ullo modo causa peccati: quia, ex D. Augusti-

gustino, peccatum non agnoscit sui causam efficientem, nisi deficientem. Homo autem, non Deus, deficit a debita rectitudine, per peccatum: sed de hoc in *theol. lib. 8.* ubi de moralitate actuum humanorum.

Objicies 8. Inter ens reale, & ens rationis, seu chimericum, datur ens medium, nempe negativum, seu abusivum: ergo inter distinctionem realem, & rationis, datur distinctio media virtualis.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia datur necessitas entis abusivi, ut probatur in metaphysica: at distinctionis virtualis non solum non assignatur necessitas, verum etiam assertur implicantia contradictionis.

LIII. Objicies 9. Unio hypostatica habet distinctionem virtualem in se: ergo datur distinctio virtualis. Antecedens probatur: unio hypostatica unit immediate Verbum, seu personalitatem Verbi, & non unit immediate naturam divinam: ergo habet in se distinctionem virtualem.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Distinctio illa in Incarnatione, quæcunque, & qualiscunque sit, de qua dictum est in theologia; est in extremis, non vero in ipsa unione: sicut enim ex eo, quod unio aliqua uniat Petrum, non vero Paulum; non sequitur, quod distinctio realis se teneat ex parte unionis, sed ex parte Petri, & Pauli, realiter inter se distinctorum; ita & in casu nostro, cum unio hypostatica inveniat naturam, & personalitatem Verbi, aliquo modo inter se distincta; distinctio, quæcunque & qualiscunque illa sit, se tenet ex parte naturæ, & personalitatis, non vero ex parte unionis. Cujus autem generis sit talis distinctio, cum non sit formalis ex natura rei, nec virtualis, de qua loquimur; videndum in *theol. lib. 1.* ubi probabitur esse distinctio Ineffabilis, nimirum inexplicabilis, ut eam vocant communiter SS. PP. Hactenus de distinctione independentem ab intellectu. Nunc

## A R T I C U L U S X.

Quid sit, & quotuplex, & an detur distinctio dependens ab intellectu.

LIV. **D**ico 1. Distinctio rationis, ut supra diximus, & ipsum nomen ostendit; est, quæ habetur dependens.



denter ab intellectu. Dicitur extrinseca: quia nihil aliud est, nisi cognitio inadæquata objecti indivisibilis, cui esse potest extrinseca: per quam ipsum, licet indistinctum, evadit tamen extrinsece tale, ob sui repræsentationes, & veluti imagines intentionales inadæquatas.

LV. Dico 2. Duplex est distinctio rationis: prima, dicitur rationis ratiocinantis: secunda, rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis, quæ dicitur etiam sine fundamento in re, est, cum idem de seipso, eodem modo affirmatur, vel negatur: ita ut idem, eodem modo, vel fere eodem modo expressum, veniat ex parte subjecti, & ex parte prædicati; perinde ac, si essent duo, v. g. cælum est cælum; homo non est homo. Atque hæc est communior explicatio, quanvis alii distinctionem rationis ratiocinantis aliter explicare contendant.

Dico 3. Distinctio rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re, est, cum idem omnino indivisibile, & adæquatum objectum, variis cognitionibus totum quidem, sed non adæquate, repræsentatur; capta passim occasione ex multiplicitate ipsius in virtute, seu ex æquivalentia, aut accidentibus. Dicitur, cum fundamento in re: quia, cum homo, v. g. æquivalet Deo, & angelis per actus vitales; plantis per vegetationem; brutis per sensationes; nunc dicitur, homo est vivens: nunc dicitur, homo est vegetabile: nunc dicitur, homo est animal: quare quasi videtur extrinsece per intellectum distingui in vivens, vegetabile, animal. Quæ æquivalentia unius ad plura, dicitur distinctio virtuali minor, seu extrinseca, ut dictum est supra. Ita explicatur distinctio rationis ratiocinatæ communiter: quia hoc modo omnia bene salvantur: nec videtur posse diversimode commodius explicari, vel æque commode.

LVI. Dico 4. Datur distinctio rationis ratiocinatæ, modo præexplicato. Est sententia communis Nominalium, Okami, Gabrielis, Gregorii, & recentiorum, quorum ducem fuisse D. Thomam, contendit Hurtadus *disp. 6. metaph. sect. 4. subs. 3.* Probatur: quia prædicta distinctio consistit in cognitione præcisiva ex parte actus: sed cognitio præcisiva ex parte actus datur: ergo datur prædicta distinctio. Major constat ex dictis *assert. superiore*. Minor probatur: cognitio præcisiva ex parte actus, in ordine ad rem nostram, est cognitio, attingens totum objectum, sed non totaliter: atqui huiusmodi cognitio datur deso-

*Ant. Forti.*

cto:

cto, ergo datur cognitio præcisiva ex parte actus. Minor probatur: datur enim cognitio, quæ, licet repræsentet totum objectum, cum hoc sit omnino indivisibile; illud tamen, ita semiclare repræsentat, ut non possit, quantum est ex vi talis cognitionis, distingui ab omni eo, quod non est ipsum: hujusmodi est cognitio, qua affirmo: homo est animal; quæ quidem attingit totum, & adæquatum hominem, at non totaliter, & adæquate; idest non tanta claritate, quanta discerni possit ab omni eo, quod non est ipse homo. Quandoquidem, ex vi hujus cognitionis, ex se dicentis ordinem ad sensationes, solum potest distingui homo ab omni eo, quod non est animal; non vero, etiam ab omni eo, quod est animal: quia nimirum, stante tali cognitione, ita possum arguere: hoc est animal, ergo non est Deus, non est angelus, non est arbor, non est lapis: non vero possum ita procedere: hoc est animal, ergo est homo, non equus, non leo. Nam, etiam his omnibus competit, esse animal. Hæc distinctio appellari solet distinctio, seu præcisio formalis ex parte actus: quia, ita præscindit objectum extrinsece, ut tota præcisio se teneat ex parte ipsius actus, nempe cognitionis: non vero ex parte objecti, puta quod venit in recto, estque indivisibile in plura se: adeoque in ipsum, quasi in centrum, ducuntur ab intellectu, tanquam lineæ, plures, variæque cognitiones: seu, quasi in indivisibilem atomum, collimant, ut radii solares, in unum punctum. Itaque

LVII. Dico 5. Quando dicitur objectum repræsentari totum, sed non totaliter; adæquatum, sed non adæquate: ly, totum, & adæquatum se tenet ex parte objecti, intrinsece: ly, non totaliter, non adæquate, se tenet ex parte actus, extrinsece. Quatenus videlicet totum quidem objectum, totaque ejus entitas repræsentatur; sed ita obscure, aut semiclare, ut, præcisive ex vi talis cognitionis, non possit secerni ab omni eo, quod non est ipsum: unde cognitio hæc dicitur inadæquata repræsentatio objecti, ejusque esse extrinsecum parziale: & per varias cognitiones, ita præcisivas, dicitur objectum extrinsece distingui, quasi in varias partes extrinsecas, idest in cognitiones varias: quarum singulæ sint esse extrinsecum objecti parziale, adeoque pars quædam extrinseca objecti. Nam, cum cognitio sit esse extrinsecum objecti, quippe ejus imago intentionalis; si plures sint cognitiones objecti adæquate, & totales; objectum dicitur

Phil. Neg. Log.

Yy

citur

citur extrinsece multiplicari, nimirum in multiplex suum esse extrinsecum adæquatum; quod est extrinsece universalizari, ut infra videbitur. Si vero plures sint cognitiones objecti, sed inadæquatæ, & solummodo partiales; objectum dicitur extrinsece dividi, & præscindi in partes extrinsecas; quod est distingui in partes, dependenter ab intellectu.

LVIII. Dico 6. Quando dicitur, rationalitas formaliter ex parte actus non est animalitas; sensus est, primo, quod homo, prout cognitus cognitione A, licet sit inadæquate idem, ac homo, prout cognitus cognitione B; inadæquate tamen hæc sunt duo concreta diversa, quæ differunt inadæquate, non quidem, secundum id, quod venit in recto de materiali, quod est unus, idemque homo; sed secundum id, quod venit in obliquo de formali, ex parte intellectus, quod est cognitio: sensus est secundo, animalitas, & rationalitas differunt non intrinsece, & absolute, simpliciter, & in recto, sed extrinsece, respective, & in obliquo; quatenus sunt ipse homo in ordine ad diversos terminos, seu connotata, seu accidentia, & obliqua, ad quæ dicit ordinem unus, idemque homo: quanvis nequeant quandoque, vel non nisi magna cum difficultate, assignari connotata, seu operationes, & accidentia diversa. Quare fundamentum hujus distinctionis est æquivalentia, seu similitudo, seu confundibilitas objecti cum pluribus, undecunque illa proveniat: unde fit, ut modo confundatur cum his, modo cum illis; modo cum pluribus, modo cum paucioribus: adeoque, quantum est ex hoc capite, modo obscurius, modo clarius exprimitur. Dixi, quantum est ex hoc capite: nam

Dico 7. Quanvis cognitio illa, per quam objectum potest distingui a pluribus, quæ non sunt ipsum, reputanda sit clarior, quam cognitio illa, per quam objectum distingui possit a paucioribus: ut clarior est cognitio illa, qua Petrus exprimitur, ut rationale, quam cognitio illa, qua idem Petrus exprimitur, ut animal; non tamen omnis cognitio clarior altera præstare debet, ut objectum discernatur a pluribus, quam per cognitionem minus claram discernetur: potest enim una cognitio esse clarior altera, etiam ex alio capite. Sic conceptus definitionis, quo exprimitur, v. g. hoc est animal rationale; clarior reputatur, quam conceptus definiti, quo exprimitur, hoc est homo: nec tamen Petrus, per hoc, quod cognoscatur, ut animal rationale, distingui-

guitur a pluribus, quam distingueretur, si cognosceretur, ut homo. Et ratio est, quia, in hoc casu, major claritas unius cognitionis præ altera, provenit ex eo, quod una, utpote clarior, veluti dividat objectum in partes, & secernat partes inter se: non vero, ex eo, quod dividat, ac secernat ipsum objectum a pluribus, quæ non sunt ipsum, a quibus altera non dividebat, ac secernebat. Immo

LIX. Dico 8. Quod est valde notandum propter ea, quæ dicenda erunt in theologia, præsertim *lib. 1. de Deo*, ubi de comprehensione. Potest una cognitio esse clarior, & perfectior altera intensive, quin sit clarior, & perfectior extensive. Affertio probatur, & explicatur. Potest una cognitio, representans unum, idemque indivisibile objectum, v.g. angelum, esse intensive, seu gradualiter, aut quasi gradualiter clarior, & perfectior, quam altera cognitio: quanvis non representet plura obliqua, plura connotata, plures terminos, plura accidentia, aut quasi accidentia, quam representet altera, cui præstat: atqui hoc est, esse intensive clariorem, seu perfectiorem, non extensive: ergo potest. Minor est explicatio terminorum. Major, in qua residet difficultas, probatur: quia id non videtur repugnare. Enimvero potest idem omnino punctum aeris magis, aut minus illustrari, scilicet per intensionem lucis in illo majorem, aut minorem. Potest idem omnino subjectum, magis, aut minus calefieri, scilicet per majorem, aut minorem intensionem caloris, prorsus in eadem parte subjecti. Potest idem omnino objectum, eadem omnino indivisibilis bonitas, magis, aut minus amari a voluntate: quis enim neget, unum amorem posse esse altero intensiorem, circa idem omnino objectum? ergo quare non poterit idem omnino objectum nunc magis, nunc minus clare representari? cum claritas cognitionis sit, ut ita dicam, lux quædam intentionalis, qua objectum magis, aut minus inclarescat, seu, qua potentia intellectiva magis, aut minus illuminetur, & illustretur. Et sicut ad hoc, ut lux, calor, & ceteræ qualitates intensibiles, intenduntur, & reddant subjectum suum magis, aut minus tale; non opus est, etiam extendantur: intensio enim fit in eadem parte subjecti; ita ad hoc, ut claritas cognitionis reddatur suo modo intensior, non opus est, ulterius extendatur ad plura obliqua representanda. Quod si petatur, quid præstet hæc major intensio claritatis in cognitione, si non ulterius se extendit ad

plura obliqua repræsentanda; respondeo, proportionē servata ad alias prædictas qualitates, præstat, ut idem omnino objectum bonum, aut malum, quippe clarius repræsentatum, citius moveat voluntatem ad sui amorem, aut odium: præstat, ut idem omnino objectum bonum, aut malum, quippe clarius repræsentatum, ametur magis, aut magis odio habeatur a voluntate: sicut lux intensior proportionata præstat, ut oculus citius possit videre objectum: & calor intensior facit, ut stupra citius, magisque calefiat, & facilius comburatur. Hæc probant, dari defacto distinctionem dependentem ab intellectu, pro ut communiter traditur a doctoribus. Cæterum, in rei veritate, si res funditus perpendatur,

LX. Dico 9. Non datur in creatis alia distinctio, nisi realis. Assertio probatur, quia vel sermo est de entitate cujusvis creaturæ intrinsece, vel extrinsece: si de entitate intrinsece; hæc nō distinguitur intrinsece à seipsa: nec ulla alia in creatis datur distinctio, nemine cogitante, præter realem, ut constat ex supra dictis de distinctione formali ex natura rei, & virtuali, aut alia simili, quomodocunque appelletur. Si de entitate extrinsece; contra est: quia hoc extrinsecum, quod connotatur ab una, eademque entitate, vel est operatio diversa, vel terminus diversus, vel cognitio diversa, vel obliquum diversum, quodcumque sit: atqui una operatio, unus terminus, una cognitio, unum obliquum distinguitur realiter ab alio: v. g. in homine pura sensatio, ut visio, distinguitur realiter ab intellectu: ergo entitas hominis, secundum id, quod reduplicat extrinsece, est realiter distincta. Scilicet entitas hominis, prout extrinsece reduplicat visionem, distinguitur realiter a se, prout reduplicante intellectu: hoc enim nihil aliud importat, nisi, visionem in homine distinguere realiter ab intellectu: ergo entitas hominis, prout subsistens uni cognitioni, distinguitur realiter a seipsa, prout substante alteri cognitioni: quia hoc nihil aliud importat, nisi unam cognitionem realiter distinguere ab alia. Quæ sane, explicatis terminis, non videntur posse negari. Dixi, in creatis: quia, ut supra innuebam, & dixi ex professo in *theol. lib. 1. de Deo*, datur in divinis distinctio ineffabilis, ad salvandum mysterium Trinitatis, libertatis, & scientiæ contingentium.

A R-

A R T I C U L U S XI.

Solvuntur objectiones.

LXI. **O**bjicies 1. Nequit explicari, an, & quare cognitio, ita præcisiva ex parte actus, dicatur distinctio rationis, seu extrinseca, objecti intrinsece indivisibilis: ergo non potest distinctio rationis in illa consistere.

Respondeo, nego antecedens: & dico, objectum, per hujusmodi cognitionem, dici extrinsece præcisum, & veluti distinctum, ac divisum in partes: quia cognitio, utpote imago, dicitur esse extrinsecum objecti, quod repræsentat: sed hujusmodi cognitio est inadæquata, ut *art. sup.* explicatum est: ergo est esse inadæquatum extrinsecum objecti: ergo objectum, per ipsam dicitur extrinsece inadæquatum, divisum, distinctum, præcisum.

Objicies 2. Nequit explicari, quare prædicta cognitio dicatur inadæquata: ergo illa non est distinctio extrinseca objecti sui.

Respondeo, nego antecedens: & dico, dici inadæquatam inadæquatione, se tenente ex parte actus, seu modi repræsentandi; non vero ex parte objecti, seu rei in recto repræsentatæ: quatenus nimirum, licet repræsentet objectum totum, & adæquatum; non tamen repræsentat totaliter, & adæquate; tanta, videlicet, ac tali claritate, qua illud discerni possit ab omni eo, quod non est ipsum: ut explicatum est *art. sup.*

Objicies 3. Implicat cognitio, quæ exprimat totum objectum, sed non totaliter: ergo non datur, immo nec dari potest cognitio præcisiva ex parte actus, modo prædicto.

Respondeo, nego antecedens: quæ enim in hoc repugnantia? Sic primo, unio unit quidem totam animam rationalem cum pede, sed non quantum illa unibilis est; quia non unit etiam cum capite, cum pectore: cum quibus unitur per aliam unionem. Secundo, actus amoris erga Deum, quo quis amat Deum; totum quidem Deum amat, sed non quantum amabilis est: cum possit præterea amari, per alios actus amoris nobiliores, & intensiores, in infinitum. Tertio, cognitio creata intuitiva Dei totum Deum videt, sed non quantum ille visibilis est: non enim eundem comprehendit, aut cognoscit omnimoda claritate. Quarto, visio clara ut duo, exprimit totum objectum, sed non quantum expressibile est, scilicet non omnimoda claritate: cum possit illud  
cla-

clarius exprimi, per visionem claram, ut quatuor; & tamen, etiam per adversarios, saltem communiter, visio, & sensus reliqui non sunt, nisi ex parte actus, præcisivi. Quinto, cognitio, qua cognoscitur Petrus, ut homo, exprimit totum hominem, sed non omnimoda claritate: quia cognitio, qua ipse Petrus exprimitur, ut animal rationale, est clarior, & de eodem objecto. Sexto, conclusio probabilis, seu opinativa, exprimit totum suum objectum, sed non omnimoda luce: clarius enim illud repræsentat cognitio demonstrativa, seu scientifica. Septimo, lux, ut duo, illuminat totum punctum aeris, sed non omnimoda claritate: quia scilicet lux, ut quatuor, idem numero punctum magis illuminat. Octavo, quælibet linea, ducta a circumferentia ad centrum, tangit totum centrum, sed non totaliter; scilicet non undequaque, & quantum tangibile est: quia non quælibet illud tangit ex omni latere. Nono, ex multis equis trahentibus eundem currum, quilibet trahit totum currum, sed non totaliter: quia scilicet nullus præstat totum concursum, quem præstat alius.

LXII. *Obijcies 4.* Nequit explicari, unde provenire possit, ut cognitio totum objectum repræsentet, sed non totaliter, modo præexplicato: ergo non datur distinctio, dependens ab intellectu, ut a nobis traditur.

Respondeo, nego antecedens: & dico, quod cognitio objectum totum repræsentet; provenire ex indivisibilitate ipsius objecti: quod vero illud non totaliter repræsentet; provenire ex iisdem capitibus, unde provenit, per adversarios, quod eadem cognitio unum prædicatum, non vero alterum attingat: formaliter nimirum id provenit ex ipsamet cognitionis obscuritate: determinative, a speciebus, quæ ad cognitionem determinant: cum enim species illæ hauriatur dependenter a sensibus, nec sensus singula accidentium genera in objecto percipiant; sit, ut intellectus dependenter a sensibus, & a talibus speciebus, semper eliciat cognitiones obscuras, & imperfectas: quibus non possit secernere, ac distinguere tale objectum ab omni eo, quod non est ipsum.

*Obijcies 5.* Nequit explicari, an idem sit, cognitionem unam de eodem prorsus objecto esse diversam ab altera, & esse illa clariorem; ergo non bene explicatur, & admittitur a nobis distinctio rationis.

Respondeo, nego antecedens: & dico, non idem esse, quod una cognitio, de eodem objecto, sit diversa ab altera; & quod sit illa

illa clarior. Nam est diversa, vel primo, ob diversum modum, tendendi, quo v. g. diversa est cognitio apprehensiva a cognitione judicativa, vel discursiva; copulativa, vel disjunctiva. Vel secundo, quia determinat intellectum ad eliciendas, de eodem, objecto, novas cognitiones diversas ab illis, ad quas illum determinat alia cognitio: sic v. g. cognitio, qua quis cognoscit Petrum, ut locutivum; determinat ad affirmandum, quod Petrus habeat os, & linguam, quibus possit mentis conceptus manifestare: cognitio vero, qua quis cognoscit eundem Petrum, ut ambulativum; determinat ad affirmandum, quod Petrus habeat pedes, quodq; non sit immobilis: quæ sunt cognitiones diversæ a superius allatis. Una autem cognitio est clarior altera, vel primo, quia determinat ad eliciendas, de eodem objecto, plures cognitiones, illud distinguentes a pluribus, quæ non sunt ipsum. Vel secundo, ex suo modo tendendi magis distinctivo partium, metaphysicarum inter se, illud comparando ad plura obliqua, seu operationes; aut connotata. Vel tertio, quia suo modo illuminat ad citius, aut intensius amandum, odio habendum, aut operandum, ut explicatum est *art. præcedente*.

LXIII. Obijcies 6. Objectum, affectum variis formis realibus accidentalibus, v. g. albedine, dulcedine; non dicitur præcisum, & extrinsece distinctum: ergo neque objectum, affectum variis cognitionibus, modo a nobis explicato.

*Respondéo*, nego consequentiam: disparitas est, quia cognitio est imago objecti, adeoque esse extrinsecum ejusdem: non vero illæ formæ accidentales.

Obijcies 7. Objectum, affectum multiplici cognitione ejusdem qualitatis, v. g. Petrus cognitus a Paulo, cognitus a Francisco, cognitus a Marcello; non dicitur per hoc extrinsece præcisus: ergo multiplex cognitio non est extrinseca objecti distinctio, seu præcisio.

*Respondéo*, concesso antecedente, distinguo consequens: multiplex cognitio quomodo locunque, concedo: inadæquata, nego consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis, tum hoc articulo, tum præcedente.

Obijcies 8. Animalitas, & rationalitas in Petro distinguuntur ex parte actus, seu per intellectum, ut explicatum est: ergo distinguuntur, etiam independenter ab intellectu: probatur consequentia: quia ante operationem intellectus animalitas habet  
capa-



capacitatem, ut distinguatur extrinsece, seu ex parte actus a rationalitate: rationalitas vero non habet capacitatem, ut extrinsece, seu per intellectum distinguatur a seipsa: ergo, ante operationem intellectus, animalitati, & rationalitati competunt prædicata, alioqui contradictoria: ergo, si distinguuntur ex parte actus, distinguuntur etiam independententer ab intellectu.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam: ad ejus probationem, concessa prima parte, nego secundam partem antecedentis, & quidquid inde infertur.

Realiter, & independententer ab intellectu, rationalitas, & animalitas Petri intrinsece idem omnino sunt, juxta superius tradita: & sicut idem objectum, quod est animalitas, potest subesse diversis cognitionibus inadæquatis, & nunc vocari animalitas, nunc rationalitas; ita idem objectum, quod est rationalitas, potest subesse diversis conceptibus, & nunc vocari rationalitas, nunc animalitas: adeoque eadem numero capacitas est in animalitate, ut distinguatur per intellectum a rationalitate, ac in rationalitate, ut per intellectum distinguatur ab ipsa rationalitate objectiva: hoc enim nihil aliud importat, nisi quod ipsa entitas, quæ indivisibiliter, ex parte objecti, quod venit in recto, est rationalitas; possit per intellectum adeo obscure cognosci, ut modo possit confundi cum brutis, & vocari animalitas; modo distinguui ab illis, ex vi cognitionis minus obscuræ; & vocari rationalitas. Unde est, ut absurdum non sit, quod idem, per intellectum, seu ex parte actus possit distinguui a seipso: ut enim hoc, & art. præcedente explicatum est; totum hoc nihil aliud significat, nisi unam, eandemque indivisibilem entitatem repræsentari posse multiplici cognitione inadæquata, de qua videbit

## A R T I C U L U S XII.

An distinctio dependens ab intellectu fiat per præcisionem objectivam.

XLIV. **D**ico 1. Sensus quæstionis est, an supradicta distinctio rationis fiat per præcisionem objectivam, idest per cognitionem præcisivam ex parte objecti; quæ nimirum dicatur veluti bipartiri, & præscindere ipsum objectum, cognoscendo v. g. animalitatem Petri, non cognita per  
*Ant. Forti.* can-

eandem cognitionem rationalitate ejusdem : & quidem secundum id , quod venit intrinsece , absolute , specificative , in recto , quanvis animalitas , & rationalitas Petri sint omnino unum , & idem , independenter ab intellectu . Jam affirmant Thomistæ passim , Scotistis oppositi , ut ita omnia salvent , absque distinctione formali ex natura rei . Thomistis adhærent nonnulli , etiam e nostra Societate , pro se asserentes Joannem de Lugo in manuscriptis , & alios , qui videri poterunt , apud Polizzium , hujus præcisionis fautorem *disp. 23. logica sect. 1. num. 5.* Præcisorem autem quidam præcisionem objectivam admittunt solum in divinis , saltem in mysterio Trinitatis , ut Arriaga *disp. 5. log. sect. 3. subsect. 2.* ubi contendit , vix , salva fide , negari posse in divinis hujusmodi præcisionem objectivam : sed res non est ita certa , ut ipsi videatur . Hoc theologi examinent , & nos negavimus in *theol. lib. 1. de Deo* . Alii illam admittunt solum in creatis , de possibili : alii in creatis , etiam defacto : alii tum in divinis , tum in creatis : nonnemo , ut refert Isquierdo in *phar. disp. 13. n. 236.* in creatis , inter prædicata relativa duntaxat : v. g. inter actionem , & passionem . Negant vero communissime , præsertim recentiores , quotquot distinctionem rationis ratiocinatæ salvari sustinent , modo a nobis præexplicato , per cognitionem præcisivam ex parte actus . Equidem

Dico 2. Distinctio rationis ratiocinatæ non est cognitio præcisiva ex parte objecti ; adeoque cognitio , quæ dicitur inadæquata , de objecto independenter ab intellectu indivisibili , est inadæquata ex parte actus , modo superius explicato , non ex parte objecti ; ita nimirum , ut inadæquatio non se teneat ex parte ipsius objecti , sed ex parte cognitionis : probatur : quia repugnat præcisio objectiva : ergo distinctio rationis non fit per præcisionem objectivam . Antecedentis probatio sit sequens assertio , qua

LXV. Dico 3. Præcisio objectiva , seu cognitio , præscindens objective , modo prædicto , est chimera . Probatur : nam , vel supponuntur in objecto , independenter ab intellectu , formalitates distinctæ ex natura rei , aut virtualitates , distinctæ intrinsece , virtualiter inter se , vel simili distinctione , media inter dependentem , & independentem ab intellectu , quomocunque vocetur (nam aliqui , a nomine distinctionis abhorrentes , illam appellant identitatem minorem , identitatem transitivam ; quan-

*Phil. Neg. Log.*

Z z

vis

vis in re idem asserant) vel non: neutrum dici potest: ergo præcisio objectiva est chimera. Minor probatur: si enim primum; contra est: quia huiusmodi distinctiones repugnant, ut supra probavimus, quomodocunque vocentur, utque etiam fuscè in *theol. lib. 1. de Deo*. Si secundum; contra sic argumentor: chimera est, quod de eadem omnino indivisibili entitate verificentur duo, alioqui contradictoria, cujusmodi sunt: cognosci, & non cognosci: sed hoc importat præcisio objectiva: importat enim, quod in homine, v. g. animalitas cognoscatur, rationalitas nō cognoscatur; licet sint omnino idē, independenter ab intellectu: ergo. Major probatur: chimera est, quod de una, eademque indivisibili entitate verificentur alia prædicata, alioqui contradictoria, tum quoad esse secundum quid, tum quoad esse simpliciter, cujusmodi sunt, videri, & non videri; uniri, & non uniri; esse hic, & non esse hic; esse nunc, & non esse nunc; producere, & non producere; produci, & non produci; existere, & non existere: ergo & chimera est, quod de eadem verificentur cognosci, & non cognosci. Consequentia probatur: quandoquidem, si non esset chimera, quod verificentur hæc duo: cognosci, & non cognosci; neque esset chimera, quod verificentur, saltem in aliqua alia entitate, hæc alia duo: videri, & non videri; uniri, & non uniri; esse hic, & non esse hic; esse nunc, & non esse nunc; producere, & non producere; produci, & non produci; existere, & non existere: æque enim inter se opponuntur, & destruuntur ad invicem omnia contradictoria; quantum est ex vi contradictionis: adeoque tolleretur de medio omne signum cognoscendi realem distinctionem: nec posset ratione impugnari, qui assereret, omnia identificari posse, nihilominus præcindi visive, unitive, ubicative, durative, productive, existentialiter; puta per visionem, unionem, ubicationem, durationem, productionem, & existentiam; unde, absque ulla contradictione, videri, & non videri; uniri, & non uniri; ubicari, & non ubicari; durare, & non durare; producere, & non producere; produci, & non produci; existere, & non existere, verificari posse de eo, quod est alioqui omnino unum, & idem intrinsece.

LXVI. Et sane, si possunt, per adversarios, duo esse unum, & idem, pro statu reali; & tamen non esse unum & idem, sed duo, pro statu intentionali: ergo poterunt duo esse unum & idem, pro statu

statu reali, ut ita dicam existitivo, & tamen non esse unum, & idem, sed duo, pro statu reali, ut ita dicam, visivo, idest objectivo visionis; pro statu reali unitivo, idest objectivo unionis; pro statu reali ubicativo, durativo, productivo, idest pro statu objectivo ubicationis, durationis, productionis: ergo si, per adversarios, potest una cognitio habere vim, dividendi, seu distinguendi, pro statu suo objectivo, objectum alioqui unum, & idem; quare non poterit una visio, una unio, una ubicatio, una duratio, una productio habere vim reddendi duo, pro statu reali objectivo, relate ad ipsam, objectum, alioqui pro statu reali simpliciter, seu pro statu existentiāli, unum, & idem? Enimvero, ut posita tali vi in cognitione, si attingatur una conceptibilitas, sine alia, non sequuntur duo contradictoria: cum, in hac hypothēsi, non sint ejusdem, de eodem, secundum idem; ita nec sequuntur duo contradictoria, posita tali vi in visione, unionē, durationē, ubicationē, productionē; jam enim, in hac hypothēsi, non essent ejusdem, de eodem, secundum idem. Sed omne id, quod formaliter nō est binarium contradictoriorum: aut id, unde sequantur, aut ad quod præsupponantur contradictoria; est possibile: ergo, si est possibilis prædicta vis præcisiva in cognitione; erit etiam possibilis, modo suo, similis vis præcisiva, seu divisiva, seu distinctiva in visione, unionē, durationē, ubicationē, productionē, qua objectum, alioqui unum, & idem, pro statu reali existentiāli, fiat tamen duo distincta, pro statu reali secundum quid: duæ nimirum, ut ita dicam, visibilitates, unibilitates, ubicabilitates, durabilitates, productibilitates, quarum una, per unam visionem videatur, per unam unibilitatem uniatur, per unam ubicationem ubicetur, per unam durationem duret, per unam productionem producat; quia alia, aliqui realiter identificata pro statu existentiāli, simpliciter videatur, uniatur, ubicetur, duret, producat; si non absolute, & simpliciter, saltem per eandem visionem, unionem, ubicationem, durationem, productionem, qua hic, & nunc afficitur alia.

LXVII. Dico 4. Præcisores recentes, saltem nonnulli, præcisionem objectivam fundant in distinctione virtuali majore, vel in distinctione ex natura rei formali, vel in alia simili, quomodoque vocetur. Sed immerito, ni fallor. Nam, si objectum supponatur intrinsece formaliter ex natura rei, seu virtualiter, seu alio modo distinctum, independentē ab intellectu; intellectus

invenit, non facit præcisionem. Sicut igitur non dicitur intellectus præscindere Petrum a Paulo, dum Petrum cognoscit sine Paulo, a quo invenitur distinctus realiter, independenter ab intellectu; ita nec dici debet præscindere animalitatem a rationalitate, si hæc supponantur objecta, independenter ab intellectu, formaliter, aut virtualiter, aut simili modo intrinsece distincta, & in ordine ad hoc perinde, ac si essent duo.

Dico 5. Veteres præcisionem objectivam solum fundasse, si sunt in distinctione virtuali minore, idest in æquivalentia ad plura, seu multiplici virtute, qua objectū plures operationes præstat, & pluribus terminis correspondet. Unde hoc concretū, quod est, homo v.g. & sensationes, ad quas homo dicit ordinē, visi sunt appellare animal; concretum vero illud, quod est, homo, & intellectiones, appellare rationale; deinde, in hoc sensu, sustinere, quod cognosci possit animal, quin cognoscatur rationale; puta, secundum id, quod rationale, juxta hanc acceptionem, importat in obliquo, nempe intellectiones: juxta quam acceptionem animal, & rationale sunt duo concreta inadæquate distincta, & diversa: & idem est, cognosci posse animal, non cognito rationali, ac posse cognosci sensationes, non cognitis intellectionibus. Ita veteres doctissimi, quos sæpius, hac de re, ore tenus consulere volui: in quo solum, quoad nomen, erit nobiscum discrepantia. Plura de præcisione objectiva, ex argumentorum solutione melius innotescant.

### A R T I C U L U S XIII.

Solvuntur Objectiones.

LXVIII. **O**bjicies 1. Cognosci, & non cognosci non sunt contradictoria: ergo possunt cadere supra unam, eandemque indivisibilem entitatem. Antecedens probatur: contradictoria sunt, quæ important esse, & non esse: sed cognosci, & non cognosci, non important esse, & non esse: ergo non sunt contradictoria.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego minorem: quia cognosci, & non cognosci important in objecto, esse, & non esse extrinsece objectū secundū quid, nempe esse cognitum, & non esse cognitum; important in eodem objecto esse, & non esse intrinsece secundum quid, idest esse cognoscibile, &

non

non esse cognoscibile, per hanc determinatam cognitionem; important in cognitione esse, & non esse, secundum quid, hoc est exprimere, & non exprimere: seu esse repræsentantem tale objectum, & non esse illud repræsentantem: adeoque important, in ipsa cognitione, esse, & non esse simpliciter: cum totum esse cognitionis sit exprimere, repræsentare, esse talem imaginem sui objecti. Modo prædicto, sunt etiam contradictoria: albificari, & non albificari; albificabile, & non albificabile; albedo, & non albedo; album, & non album; videri, & non videri; uniri, & non uniri; esse hic, & non esse hic; producere, & non producere.

Objicies 2. Cognosci, & non cognosci, in casu præcisionis objectivæ, non sunt contradictoria: ergo præcisio objectiva non est chimera. Antecedens probatur: quia in priori se habet, quod cognitio præscindat objectum in duas formalitates, & consequenter cognoscat unam, non vero alteram.

Respondeo, nego antecedens. Ad cujus probationem, nego iterum antecedens, tanquam de subiecto non supponente: supponit enim illud idem, quod negatur, nempe præcisionem in objecto, ex vi cognitionis, esse possibilem. Deinde contra sic arguuntur: intellectus vel supponit formalitates in objecto, ante suam operationem, vel non: si primum; contra est, quod supra contra distinctionem scoticam, & virtuales majorem, aut minorem: si secundum; intellectus non habet vim faciendi tales formalitates vere; & intrinsece in suo objecto; ad summum poterit illas effingere, cognoscendo chimeram: aliter non poterit ratione impugnari, ut supra dicebam, qui asserat, posse objectum, alioqui omnino unum, & indivisibile, præscindi per unionem, productionem; & ita ex identificatis uniri unum, non unito altero, saltem per eandem unionem; produci unum, & non produci aliud, saltem per eandem productionem.

Objicies 3. Licet, independenter ab intellectu, non habeantur intrinsece in objecto, formaliter plures formalitates; habentur tamen fundamentaliter: & resultant deinde ad adventum cognitionis præcisivæ, attingentis unam sine alia, quantumvis realiter identificatas.

Respondeo, nego assumptum, ut supra: aliter dici posset, quod habeantur formalitates fundamentaliter; & deinde resultent ad adventum visionis, unionis, ubicationis, durationis, produ-

ductionis , objective suo modo præscindentium, ut ita dicam, vivive, unitive, ubicative, durative, productive.

LXIX. Objicies 4. Vi distinctionis virtualis minoris, idest æquivalentiæ ad plura, fieri potest, ut habeantur intrinsece in objecto diversæ formalitates, quarum una sine altera cognoscatur: ergo potest objective præscindi.

Respondeo, nego antecedens: nam talis æquivalentia vel relinquit objectum intrinsece unum, & indivisibile, licet respiciens terminos diversos; vel non: si primum; præstare non potest, ut in objecto sint intrinsece formalitates diversæ, independentes ab intellectu, quarum una sine altera cognoscatur: sicuti eadem æquivalentia præstare non potest, ut sint formalitates in objecto, quarum una sine altera videatur; uniatur, producat: si secundum; ergo hæc erit distinctio virtualis major, vel theoretica, vel quid simile; quod supra probatum est repugnare.

Objicies 5. Potest intellectus, pro statu objectivo, identificare objecta realiter distincta: v. g. hominem, & equum essentialiter incompossibiles, ut cum affirmat: homo est equus: ergo potest intelligere, pro statu objectivo, in plures formalitates objectum, alioqui in se realiter indivisibile: ergo potest cognitio, objective præscindens, esse in intellectu.

Respondeo, distinguo antecedens: potest intellectus, pro statu objectivo, identificare duo realiter distincta, effective, nego; representative, subdividuo: representando chimeram, concedo: objectum reale, nego antecedens: & distinguo consequens, eodem modo: effective, nego; representative, subdividuo: representando chimeram, concedo: representando objectum reale, nego consequentiam. Intellectus, faciendo ens rationis metaphysicum, sicut representare potest chimeram, quæ sit homo equus; ita poterit representare chimeram, quæ sit animal hominis non rationale: sicut etiam potest representare chimeram, quæ sit cognitio hominis, & non cognitio ejusdem hominis: sed hæc non sunt ad rem, pro præcisione objectiva vera, & reali, de qua controversatur: quæ debet esse absque falsitate in objecto, & cognitione; cum præscindentium, ex communi proloquio, non sit mendacium. Itaque ad secundam consequentiam, distinguo consequens: ergo potest cognitio objectiva præscindens esse in illa, effective, nego: esse representative, subdividuo: chimerica, concedo: realis, nego antecedens, & consequens.

quentiam. Intellectus enim non potest efficere cognitionem objective præscindentem, cum hæc sit chimera; potest tamen talem cognitionem impossibilem cognoscere, cum possit cognoscere chimeram, ut dictum est *disp.* 6.

LXX. Objicies 6. Datur defacto præcisio objectiva: ergo non repugnat. Antecedens probatur: defacto in homine contingit casus, in quo cognoscatur animalitas, non cognita rationalitate: ergo defacto datur præcisio objectiva. Antecedens probatur: quando quis videt, aliquid a longe se movere motu progressivo (supponamus, hunc esse hominem) cognoscit quidem animalitatem, non vero rationalitatem ejusdem: ergo defacto contingit casus, in quo cognoscatur animalitas hominis, non cognita rationalitate ejusdem.

Respondeo, nego antecedens, ejusque probationem. Ad cujus probationem, nego iterum antecedens, loquendo de animalitate, & rationalitate intrinsece acceptis: cum enim qua talia sint omnino idem; non habetur unum, & alterum: nec potest consequenter animalitas, sine rationalitate cognosci, citra contradictionem.

Objicies 7. In casu prædicto cognoscitur clare animalitas, & non cognoscitur clare rationalitas: ergo potest idem cognosci clare, & non cognosci clare: ergo & poterit idem cognosci, & non cognosci simpliciter, saltem per eandem cognitionem: cum æque sint contradictoria cognosci clare, & non cognosci clare; quam cognosci simpliciter, & non cognosci simpliciter.

Respondeo, nego antecedens: nam, loquendo de animalitate, & rationalitate intrinsece acceptis, eadem claritate, qua cognoscitur animalitas; cognoscitur rationalitas in homine: cum idem omnino intrinsece sit.

Objicies 8. In casu prædicto affirmatur animalitas, & non affirmatur rationalitas: ergo saltem affirmatio præscindit objective animalitatem a rationalitate.

Respondeo, nego antecedens: vel claritatis gratia, distingo secundam partem: non affirmatur rationalitas intrinsece, nego extrinsece, subdividuo: non affirmatur, sub nomine rationalitatis, concedo: sub nomine animalitatis, nego antecedens, & consequentiam. Intrinsece, ex parte objecti, animalitas in tali objecto idem omnino est, ac rationalitas ejusdem: atqui affirmatur animalitas, quæ est in objecto: ergo intrinsece, ex parte objecti



jecti affirmatur rationalitas, quæ est in eodem homine; quippe. unum, & idem realiter cum ipso homine, & cum rationalitate ipsius hominis, quæ realiter est ipse homo. Hinc constat, in casu prædicto, idem affirmari, & negari posse, sub diverso conceptu, & sub diverso nomine, per diversa motiva, scilicet. per diversas operationes, & accidentia, per quæ idem objectum diversis rebus æquivalet; tum scilicet brutis, per sensationes, tum angelis, per intellectiones. Itaque, dum affirmatur animalitas intrinsece accepta; affirmatur rationalitas, sub nomine animalitatis: dum negatur rationalitas; negatur etiam animalitas, sub nomine rationalitatis: cum intrinsece, ex parte objecti, quod venit in recto, idem omnino sint. Sic rusticus affirmat, se esse hominem, negat, quin injuriam putat, si quis dicat, illum esse animal rationale; nec tamen ideo tunc objective præscindit, ipsis fatentibus adversariis. Sic etiam sæpe contingit, ut, cum sit quæstio in philosophia de rei alicujus definitione, quæ in se sit vera; negetur ab aliquibus de suo definito: adeoque, ut idem ab illis, sub diverso nomine, affirmetur, & negetur.

LXXI. Objicies 9. Nequit explicari, in casu prædicto, cum quis, magis accedens, cognoscit tandem illud objectum, non solum moveri, motu progressivo, sed etiam loqui, & discurrere; quid novi cognoscat, si non objective præscindat: ergo præscindit objective.

Respondeo, nego antecedens: & primo dico, intellectum, ex parte objecti, quod venit in recto, nihil prorsus de novo attingere in hujusmodi casu, sed idem omnino objectum: v. g. Petrum, claritate majore, quam cognoverit antea: ut contingit, cum idem omnino punctum aeris præclariore solis radio illuminatur. Secundo, dico, intellectum, ex parte objecti, quod venit in obliquo, cognoscere alias operationes, seu accidentia Petri, quæ antea non cognoscebantur: unde determinatur intellectus ad eliciendam cognitionem clariorem, & magis distinctivam de ipso Petro, qua illum discernat, non solum ab omni non animali, sed etiam ab omni non homine: sicut tandem, dum cognoscit figuram, & alia accidentia Petri individualia; determinatur ad cognitionem magis, & magis claram, qua illum discernat, non solum ab omni non homine, sed etiam ab omni non Petro, dicens: est hic homo, non alius.

*Ant. Forti.*

Ob-

Obijcies 10. In casu prædicto, qui videt procul hominem a longe, habet experientiam de animalitate, non de rationalitate; certificatur de animalitate, non de rationalitate; potest jurare, objectum illud esse animal, non autem potest jurare, objectum illud esse rationale: ergo præscindit objective.

Respondeo, distinguo antecedens: si sermo est de animalitate, & rationalitate extrinsece acceptis, cōcedo: intrinsece acceptis, nego antecedens, & consequentiam. Animalitas, & rationalitas intrinsece idem omnino sunt; adeoque, in hoc sensu, nihil potest verificari de animalitate, quod non verificetur de rationalitate. Extrinsece vero animalitas est eadem entitas, prout respiciens terminos ab illis diversos, quos respicit eadem entitas, prout rationalitas; adeoque in hoc sensu animalitas, & rationalitas extrinsece distinguuntur. Animalitas enim dicitur ipse homo, prout reduplicat sensationes, prout respicit bruta, quibus comparatur, prout cognoscitur per cognitionem obscuram, qua confundatur cum brutis. Rationalitas vero est ipse homo, prout reduplicat intellectiones, prout respiciens angelos, quibus comparatur, prout cognitus cognitione minus obscurā, qua discernatur a brutis. Et, in hoc sensu, idem est, aliquid competere animalitati, quod non competat rationalitati; ac aliquid competere sensationibus, quod non competat intellectionibus; aliquid competere brutis, quod non competat angelis; aliquid competere cognitioni obscuræ, quod non competat cognitioni minus obscuræ, ut dictum est supra, ubi de distinctione formali ex natura rei.

Obijcies 11. Motus ille progressivus, in casu prædicto, vel producitur ab animalitate tantum, vel ab animalitate, & rationalitate: neutrum dici potest: ergo intellectus objective præscindit. Minor probatur: si secundum; ergo animalitas producit illum motum, rationalitas non producit eundem motum; quæ sunt duo prædicata contradictoria: ergo a fortiori poterit animalitas cognosci, non cognita rationalitate. Si primum; ergo nequit explicari, cur, viso illo motu progressivo, determinetur intellectus ad appellandum illud objectum animal, non vero rationale.

Respondeo, nego minorem: ad cujus probationem, eligo secundam partem; & nego consequentiam. Motus ille progressivus producitur tum ab animalitate, tum a rationalitate Petri: nam realiter sunt omnino unum, & idem. Quoniam autem visio est valde imperfecta, nec attingit motum illum, nisi claritate

*Phil. Neg. Log.*

A a a

val-

valde exigua, & non tanta, ut possit illum discernere ab omni eo, quod non est motus hominis, sed solum ab omni eo, quod non est motus, procedens ab animali; hinc fit, ut intellectus determinetur ad dicendum, illud objectum, quod movetur tali motu progressivo, esse quidem aliquod animal, non autem ad dicendum clare, quale animal illud sit; hoc est determinetur ad illud confundendum cum brutis: deinde vero, post quam cognoverit intellectiones, vel prospexerit alia accidentia simul cum motu progressivo, quorum combinatio propria est solius hominis; determinetur intellectus ad cognitionem magis claram eliciendam de eodem objecto, procul viso: & ad dicendum, illud esse aliquem hominem: & cum, magis accedens, videt combinationem accidentium propriam solius Petri; determinetur ad cognitionem magis & magis claram, qua illum discernere possit non solum ab omni eo, quod non est animal, & quod non est homo: sed etiam ab omni eo, quod non est ipse Petrus; illum appellando, non solum animal, non solum rationale, sed & Petrum.

LXXII. Obijcies 12. Cum Iliquo in Pharo *disp.* 13. *sect.* 9. usque ad *num.* 328. Quavis cognitio intuitiva non possit præscindere objective, potest tamen cognitio abstractiva: ergo non implicat in universum, absolute & simpliciter aliqua saltem objectiva præcisio.

Respondeo, nego antecedens, quoad secundam partem: eadē enim est ratio: cum æque contradictorie opponantur cognosci, & non cognosci abstractive; quam cognosci, & non cognosci intuitive.

Obijcies 13. Cum eodem: aliqua cognitio est, qua cognoscitur objectum in phantasmate, quod intellectus sibi producit loco objecti: sed in hoc phantasmate potest intellectus præscindere objectum: ergo potest intellectus aliqua cognitione præscindere ex parte objecti.

Respondeo omissa majore, nego minorem. Nam illud phantasma vel est repræsentatio totius objecti, quod supponitur indivisibile, & omnino indistinctum intrinsece, vel nō est repræsentatio totius objecti. Si primum; ergo intellectus, in illo phantasmate, attingit totum objectum, tam scilicet animalitatem, quam rationalitatem. Si secundum; ergo phantasma objective præscindit rationalitatem ab animalitate; adeoque ideam repræsentat, & non repræsentat: & redit argumentum. Dixi, omissa

ma-

maiore : quia hic modus phantasticandi , vel omnino gratis effingitur, vel sola voce differt a modo communiter recepto.

Obijcies 14. Phantasma est divisibile : ergo potest cognitio in casu posito, attingere unam partem phantasmatis sine altera, objective præcindendo.

Respondeo , distinguo antecedens : phantasma est divisibile intrinsece , seu gradualiter , transeat : metaphysice, seu essentialiter , subdistinguo : extrinsece, per distinctionem rationis , concedo : intrinsece, nego antecedens, & in eodem sensu consequentiam . Deinde contra sic argumentor : pars phantasmatis, quam attingit cognitio , vel repræsentat totum objectum , quod invenit intrinsece omnino unum, & idem , vel non . Si primum ; ergo cognitio in illa parte phantasmatis attingit totum objectum. Si secundum ; ergo pars hæc phantasmatis est præcisiva objecti intrinsece, realiter omnino indistincti : cum exprimat , v. g. animalitatem sine rationalitate : adeoque semper erit eadem difficultas de phantasmate , ac de cognitione sive intuitiva , sive abstractiva , quomodocunque explicetur.

Quibus præmissis de unitate , identitate , pluralitate , distinctione, facilis erit intelligentia universalis, de quo erit disputatio sequens . Interim tamen esto

## A R T I C U L U S XIV.

Analysis prædictorum in argumenta negativa.

LXXIII. **D**Ico 1. Quæ hætenus tradita sunt in hac *disp.* 7. maxime concernunt , primo , conceptum , & essentiam unitatis , & pluralitatis . Secundo , distinctionem formalem ex natura rei , distinctionem virtuales , aut similem , quam negamus . Tertio, distinctionem ex parte actus, quam admittimus . Quarto, præcisionem objectivam , quam dicimus repugnare . Jam nos, quoad primum punctum, ita procedimus : assignatus conceptus , & essentia constituta , ex una parte competit omni , & soli definito : ex altera parte non est assignabile vitium , quo laboret : aut quomodo aliter commodius , vel æque commode hæc salvari possint : ergo ita dicendum est . Prima pars antecedentis probatur : quia non est assignabile, cuinam ex definitis non competat : aut cuinam, præter definita . Secunda

da pars probatur : quia non est assignabile , hoc vitium , aut hic modus diversus . Adversarii contra nos , suum assignando conceptum , aut essentiam prædictorum , prorsus procedunt eodem modo : puta contendentes , conceptum , & essentiam ab ipsis assignata , competere omni , solique definito : nullo vitio peccare : nec posse hæc omnia aliter explicari commodius , aut æque commode .

Dico 2. Quoad secundum punctum , nos procedimus tali pacto : quod nimirum , si possent conciliari duo prædicata , alioqui contradictoria inter duo realiter identificata , beneficio alicujus distinctionis ; possent etiam , saltem in alia , & alia entitate , verificari alia , & alia duo prædicata , alioqui contradictoria , usque ad existere , & non existere simpliciter : cum non sit assignabilis dispar ratio . Adversarii ita arguunt : ex una parte , distinctio formalis ex natura rei , aut virtualis , aut alia æquivalens , quomodocunque vocetur , non est impossibilis ; cum non convincatur , idest non appareat , repugnans : ex altera parte , non est assignabilis , modus , quo , sine hujusmodi distinctione , salvari possit veritas plurium propositionum , quibus exprimitur , prout , aut sensus formalis : ergo ponenda defacto est distinctio formalis ex natura rei , seu virtualis , seu alia æquivalens , quomodocunque vocetur .

LXXIV. Dico 3. Quoad tertium punctum , nos ita arguimus : ex una parte præcisio ex parte actus , ut a nobis traditur , salvat sufficienter distinctionem , dependentem ab intellectu : neque enim est assignabile , quid illa non salvet ex iis , quæ salvanda sunt : ex altera parte , non est assignabilis modus , quo salvari possit distinctio , dependens ab intellectu : ergo admittenda defacto est præcisio ex parte actus . Adversarii ita arguunt contra nos : ex una parte non potest assignari , quare objectum , si totum cognoscitur ; dicatur extrinsece , & intentionaliter præcisum , ex altera parte , contra cognitionem ex parte actus præcisivam , militare videntur eadem argumenta , quæ fiunt contra præcisionem objectivam : nam sequitur , quod idem realiter objectum cognosceretur clare , & non cognosceretur clare : cognosceretur enim clare animalitas Petri , v. g. & non cognosceretur clare rationalitas ; affirmaretur animalitas , & non affirmaretur rationalitas . Enimvero non potest assignari , quomodo hæc non sequantur , posita cognitione ex parte actus præcisiva :  
vel ,

vel, si sequantur; quare non sint æque contradictoria, ac cognosci simpliciter, & non cognosci simpliciter.

Dico 4. Quoad quartum punctum, nos ita arguimus: si, ex duobus realiter identificatis, posset unum cognosci, altero non, cognito, saltem per eandem cognitionem; posset etiam, ex duobus realiter identificatis, unum videri, uniri, ubicari, durare, existere, altero non viso, non unito, non ubicato, non durante, non existente: non enim est assignabilis ratio, cur possit primum, & non quæ ad ipsum consequuntur: atqui hæc sunt impossibilia: ergo. Adversarii contra nos procedunt tali pacto: non est chimera, cum non appareat repugnans, quod duæ conceptibiles sint identificate pro statu reali, non vero pro statu obiectivo intellectuali: adeoque, quod possit illarum una cognosci, altera non cognita; non vero possit videri, altera non visa; uniri, altera non unita; & a fortiori existere, altera non existente. Et sane aliter non posset salvari conceptus realis identitatis: non enim apparet, quomodo, si a reali inseparabilitate præscindatur.

*Corollarium.*

Sed hæc, & similia argumenta sunt Negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. ergo in hac *disp.* 7. de unitate, & pluralitate; identitate, & distinctione; tam nos, quam adversarii procedimus Negative.



D I.

# DISPUTATIO OCTAVA De Universali.

*Primo in Communi, secundo in Particulari.*

## DE UNIVERSALI IN COMMUNI.

*Primo, quid sit, & quotuplex Universale in communi: & an  
detur a parte rei. Secundo, utrum in actuali prædica-  
tione retineat suam universalitatem: ubi, an Natsu-  
ra ab uno tantum individuo abstracta, re-  
putanda sit universalis. Tertio,  
varia sententiæ perpen-  
duntur.*

## ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit universale in communi, & an  
detur a parte rei.

I. **D**ico 1. Universale, de quo agunt philosophi, quod-  
que etiam dicitur Universale in multis; ex Aristotele dicitur: unum aptum inesse multis: puta, cum sui multiplicatione. Hinc Natura divina non est universalis: quia, ita eadem est in tribus Personis divinis, ut in illis nequaquam multiplicetur. Quoniam vero universale in essendo trahit universalitatem in prædicando: si enim vero res est in multis, de illis prædicabilem esse, necesse est;

Dico 2. Universale, de quo loquimur, bifariam dividitur: in universale in essendo, & vocatur universale metaphysicum, quod proprie spectet ad metaphysicam: & in universale in prædicando, quod & logicum nuncupatur, quod proprie ad logicam spectet: estque juxta Aristotelem: unum aptum prædicari de pluribus: puta in recto, secundum communem interpretationem. Unde est, ut idem numero calor, e. g. existens in pluribus subjectis, non dicatur universale, de quo loquimur: quia non potest de illis prædicari in recto, dicendo: paries est calor, manus est calor, lignum est calor; quanvis dicatur: paries est calidus, manus est calida, lignum est calidum, id est habens calorem.

rem. In quibus prædicationibus, ut patet, calor non venit in recto, sed in obliquo. Quibus præmissis,

II. Dico 3. Datur defacto a parte rei universale metaphysicum, independenter ab intellectu. Assertio probatur: dantur a parte rei plura similia, independenter ab intellectu: sed plura similia sunt universale metaphysicum: ergo, independenter ab intellectu, datur a parte rei universale metaphysicum. Major passim conceditur: nullo enim intellectu cogitante, dantur v. g. homines, equi, arbores, quorum similitudo non est opus intellectus: quandoquidem res sunt similes, vel dissimiles nemine cogitante; quia earum similitudo, seu confundibilitas, etiam per adversarios, est occasio, & fundamentum, unde ab intellectu confundantur: hanc nos confundibilitatem, cum communi loquendi modo, appellamus similitudinem. Similitudo enim non est confusio, sed confundibilitas; non est comparatio, sed comparabilitas. Et ratio a priori est, quia duo esse similia inter se, importat, quod unum ita se habeat in ordine ad aliquod, sicut se habet alterum, v. g. quod paries A, ita se habeat in ordine ad colorem, sicut paries B: sed hoc habetur independenter ab intellectu: quandoquidem, nemine cogitante, per hoc præcise, quod paries A, sit albus, & paries B, sit etiam albus; verificatur, quod in ordine ad colorem ita se habeat unus, sicuti alter: & per hoc præcise, quod Petrus sit homo, Paulus sit homo, Marcellus sit homo; verificatur, quod in natura ita se habet unus, sicuti alius: quod nimirum, sicut unus, ita & alius sit animal rationale, & principium ratiocinandi dependenter a sensibus: ergo similitudo, nisi questio fiat de nomine, habetur in rebus independenter ab intellectu: sicut & dissimilitudo, proportionem servata. Non defuere, qui dixerint, nullam dari independenter ab intellectu similitudinem, aut dissimilitudinem formaliter, sed duntaxat fundamentaliter. Verum cõmunissime deferuntur: nec videntur audiendi: nam questionem faciunt de vocabulo: & contra est, quia sic non poterit ratione impugnari, qui dixerit, independenter ab intellectu tres Personas divinas non esse inter se formaliter æquales, sed solum fundamentaliter: independenter ab intellectu, Verbum divinum non esse formaliter unitum humanitati, sed solum fundamentaliter: immo non dari independenter ab intellectu formaliter hominem a parte rei, immo nec Deum; dari duntaxat fundamentaliter: non dari formaliter albedinẽ, sed duntaxat funda-

men-



mentaliter : breviter, quod datur independenter ab intellectu, non esse id, quod est, nisi fundamentaliter : quæ nugæ profecto sunt, & prorsus ridicularia, ne dum falsa, & absurdissima.

Quod si per *Tò formaliter*, intelligatur, *ex parte actus*; id erit evidens, quod scilicet independenter ab intellectu non detur hoc concretum, quod est : collectio similium cognita, seu intentionaliter comparatorum inter se : seu collectio similium subsans cognitioni. Et sane in hoc sensu, puta independenter ab intellectu, nec datur illa concreta, quæ sunt: homo cognitus, Deus cognitus, albedo cognita : at quid hæc ad rem nostram ?

III. Minor primi syllogismi, in qua est difficultas, probatur: collectio plurium similium habet omnia requisita ad universale metaphysicum : ergo est universale metaphysicum. Antecedens, præterquam quod sufficienter constabit solutione argumentorum: cum nullum sit assignabile ex requisitis ad universale, quod desit tali collectioni; probatur: universale metaphysicum est unum, aptum esse in multis: adeoque requiritur ad universale, juxta communem interpretationem Aristotelis, primo, quod sit unum. Secundo, quod sit in multis. Tertio, cum sui multiplicatione. Quarto, adæquate in singulis. Quinto, tanquam proprietas oritur, ut sit prædicabile de multis. Primo absolute, & simpliciter. Secundo in recto. Tertio adæquate: atqui collectio similium habet omnia hæc requisita: ergo habet omnia requisita ad universale constituendum. Minor probatur: in primis collectio similium est una, & duplici quidem unitate: primo, scilicet unitate singulari: secundo, unitate universali: est una unitate singulari, quatenus collectio hominum, v. g. est una indivisibilis in plures collectiones, quæ sint adæquate ipsa: est una unitate universali, quatenus similia dicuntur unum, & idem inter se unitate similitudinis, ut mox declarabitur. Secundo collectio similium est in multis, & duplici quidem multiplicitate, seu pluralitate, scilicet prima singulari, seu numerica: secunda universali, quam alii vocant, specificam. Pluralitas singularis est multitudo singularium, quibus constat ipsa collectio, quæ ita se habent, ut sint individua singularia adæquate contradistincta: v. g. Petrus, Paulus, Cæsar, qui numerari possunt unus, duo, tres homines, in quibus sunt tres naturæ humanæ numero distinctæ inter se; & hoc est esse in pluribus cum sui multiplicatione: non, ut Natura divina, quæ est in tribus Personis, non tamen ita, ut numerari possit in illis.

*Ant. Forti.*

illis dicendo unus, duo, tres dii, aut tres naturæ divinæ numero distinctæ inter se. Pluralitas vero universalis est eadem multitudo ipsorum singularium similium: quatenus ita continet plura individua, ut quodlibet sit tota collectio per similitudinem; quilibet enim homo, v. g. cum similis sit omnibus, & singulis hominibus, dicitur esse unus, & idem cum illis unitate, & identitate similitudinis: & per consequens, per hanc pluralitatem, universale redditur prædicabile de multis: scilicet non absolute, & simpliciter, & rigorose; sicut per pluralitatem singularem, supra explicatam, redditur prædicabile de multis absolute, & simpliciter, & rigorose, licet inadæquate: & in universum, semper in recto, ut melius ex dicendis constabit.

IV. Dico 4. Remanet probandum, quod unitas similitudinis sit aliqua unitas, quod etiam ipsi adversarii ultro concedunt, licet unitate singulari imperfectior: & quidem licet illa, rigorose loquendo, non sit unitas absolute, & simpliciter dicta, sed cum addito, idest unitas similitudinis; est tamen talis, ut tum in communi modo loquendi, tum etiam apud philosophos, dici consueverit sine addito unitas, licet minus rigorose. In communi modo loquendi: nam vulgo de duobus hominibus albis, vel similis staturæ, dicere solemus: ambo sunt unius coloris: ambo ejusdem staturæ. Quod etiam notat Hurtadus in summulis *sect. 8. §. 38. & disp. 3. log. sect. 1. §. 4.* ubi ait: *homines habentes similes annos redditus, dicimus habere eodem redditus: hispanice, Tienen la misma renta.*

V. Apud Philosophos: siquidem Aristoteles, & cum eo omnes philosophi, relationes similitudinis appellant fundatas in unitate, & numero: univoca, quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata, omnino eadem. Ubi Td, omnino eadem, nominis identitatem, unitatemque similitudinis appellat. Idem Aristoteles *§. metaphys. cap. 15.* sic habet: *eodem sunt, quorum substantia una: similia, quorum qualitas una: equalia, quorum quantitas una.* Ubi loquitur de identitate, & unitate similitudinis. Et notandum, quod, licet ipse Aristoteles, & cum eo philosophi, convenientiam plurium, quoad substantiam, vocent identitatem: convenientiam vero in qualitate, similitudinem: in quantitate, æqualitatem; nihilominus hæc apud eosdem per sæpe confunduntur, ut notat Comptonus *disp. 29. log. sect. 1. n. 2.* Idem Aristoteles *1. topic.* ubi ait: *si inest aliquid in*  
*Phil. Neg. Log.* B b b *eis*

*eis idem , in eo sunt similia . Et 5. metaph. c. 6. Quomodo plura sunt unum , ut homo , equus , canis , unum quid : quoniam omnia animalia , & quodam simili modo , sicuti materia una . Ecce recurrit ad similitudinem , ut explicet unitatem genericam omnium animalium .*

*VI. Et D. Thomas in Aristotelem 10. metaph. Quemadmodum alborum unus est color , ita & hominum una est natura , una quidem specie , sed perfecta tamen unitate : nisi enim albus color esset unus , non posset esse principium , & mensura ceterorum . Idem D. Thomas 4. contra gentes cap. 14. art. 1. sicuti unum in quantitate , causat causalitatem formali aequalitatem ; ita unum in qualitate causat similitudinem . Ex dictis ,*

Dico 5. Datur a parte rei universale logicum , independenter ab intellectu . Assertio probatur : datur independenter ab intellectu universale metaphysicum : sed universale logicum est proprietas metaphysici : ergo datur & logicum . Minor probatur : quod enim est unum in multis , modo explicato ; de illis prædicabile sit oportet , ut ad universale logicum requiritur .

VII. Dico 6. Quod autem universale , ita a nobis constitutum , passim a recentioribus appelletur universale fundamentaliter sumptum , in uno sensu verum est , sed non contra nos : in altero falsum . Verum est , si comparetur cum universali , quod constitui potest per intellectum , nec nos negamus , ut infra videbitur . Falsum est , si dicatur , nostrum universale non esse sufficiens ad universale formale , quod quaeritur in philosophia . Nam quaeritur a philosophis universale , quod sit sufficiens ad objectum scientiarum : atqui plura similia sunt sufficientissimum objectum scientiarum : ergo sunt formalissimum universale , quod quaeritur a philosophis . Major est certa , nec videtur posse negari . Minor est doctrina , si non omnium , fere omnium saltem adversariorum , qui , ea utuntur contra objicientes : universale esse objectum scientiarum : ergo dari debere ante intellectum . Respondent enim adversarii , objectum scientiarum esse universale , quod ipsi vocant fundamentaliter sumptum : non autem objectum scientiarum esse universale formaliter sumptum . Ita Arriaga disp. 4. log. sect. 4. in fine , ubi ait : *scientiæ sunt de universalibus , non formaliter , sed fundamentaliter : quatenus a scientiis plura similia considerantur , perinde , ac si essent unum , dum unica definitione definiuntur .* Et Polizzius disp. 25. log. sect. 1. n. 2. ubi ,

ubi, Nominales impugnans, asserit, scientiarum definitiones esse de rebus ipsis, de quibus scientiæ agunt; quod vocat substratum universalis: non autem de ipsarum universalitate extrinseca, scilicet cognitione, vel voce, sub qua illa plura objecta confunduntur.

Dico 7. Hæc est fabrica nostri universalis, quæ, tota quanta est, duplicis generis unitati, & pluralitati, modo præexplicato innititur: meliori modo constitui universale a parte rei independentem ab intellectu, est manifesta chimera: siquidem esse unum, & plura, quorum quodlibet sit realiter, rigorose, adæquate ipsum, certe repugnat. Universale constitutum per intellectum non est nostro universali perfectius: estque iisdem, quin maioribus difficultatibus obnoxium, ut videbitur impugnatione universalis constituti per intellectum.

VIII. Dico 8. Sententiam nostram, hæcenus traditam, tenet Pontius in *log. disp. 3. quest. 2. concl. 3. per totam: & quest. 3. conclus. 1. 2. & 3.* licet concludat tandem, fieri etiam posse universale per intellectum: & communiter vocari universale naturas similes, prout abstractas ab intellectu. Idem *disp. 4: metaph. quest. ult. addit. 2.* de natura universalis, contra Mastrium, probat, hanc fuisse Scoti mentem de natura universalis: nec subtilissimum Doctorem ullam aliam a parte rei unitatem universalem, præter unitatem similitudinis admisisse, etiam inter naturas, prout formaliter distinctas a differentiis. Adeoque, pro nostra sententia, etiam ipse Scotus citari poterit. Eandem sententiam tenet Guarinus Guarini in *log. disp. 4. expens. 3. conclus. 6.* qui *concl. 3.* negat, universale constitui posse per unitatem præcisionis. Eidem nostræ sententiæ, velint nolint, in re favere, videntur omnes fere adversarii, præsertim recentiores, licet ei, quo ad modum loquendi, adversentur: docent enim communiter, universale fieri quidem, complerique per intellectum, cognitione præcisiva, & confundente: ad hanc vero cognitionem, quam ipsi unicam formalem universalis unitatem appellant, præsupponi volunt plura individua similia; quod vocant universale fundamentale. Unitatem similitudinis, ipsi non negant, dari a parte rei independentem ab intellectu: nec negant, illam esse aliquidalem unitatem: solum contendunt, eam esse ineptam ad universale formaliter constituendum: quippe unitatem, in ratione unitatis, valde imperfectam. Verum, dum unionem magis per-

sectam requirunt; alia longe imperfectiore, utpote duntaxat extrinseca, unitate contenti sunt, ut videbitur. Prædictos inter auctores recensendus Averſa in *log. quæst.* 8. *sect.* 6. *dicto* 3. & *sequentibus*.

IX. Giattinus *quæst.* 3. *log. art.* 8. *dicto* 2. ubi hæc habet de unitate similitudinis: *quod, si hanc appellare velis unitatem formalem, & identitatem essentialem; non multum laboro de voce, dummodo conveniamus in re.* Arriaga *disp.* 4. *log. sect.* 3. n. 21. ubi de auctoribus, quos citat suppresso nomine, admittentibus universale constitutum per unitatem similitudinis, inquit: *hi doctores facile rejiciuntur, non quia, falsa doceant, Petrum, & Paulum esse unum similitudine: sed quia unitas similitudinis est impropria, nec sufficiens ad unitatem universalis. Nam quærimus aliud universale magis proprium.* Unde equidem subsumo: sed ex una parte nulla unitas universalis magis propria, & perfecta excogitari potest a parte rei, quæ non sit manifesta chimera: ex altera parte unitas extrinseca est etiam unitas secundum quid, & non absolute, & simpliciter; quia imperfectior unitate similitudinis: ergo ex ipsis adversariorum principiis deducitur, universale constituendum esse per unitatem similitudinis.

## A R T I C U L U S II.

Solvuntur Objectiones.

X. **O**bjicis 1. Cum Hurtado, Arriaga, Oviedo, & recentioribus communiter: plura similia sunt quidem universale fundamentale, non autem formale: ergo falsa conclusio. Probatur antecedens: plura similia, v. g. omnes homines, licet habeant pluralitatem, carent tamen unitate formali, qua dici possint formaliter unum: ergo. Probatur antecedens: plura similia sunt formaliter unum per cognitionem præcisivam ex parte actus, confundentem illa plura; ita ut, ex vi ipsius, affirmari non possit, quod illa sint plura objecta: ergo independentem ab intellectu carent unitate formali.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, nego iterum antecedens. Ad cujus probationem distinguo antecedens: plura similia per cognitionem præcisivam, & confundentem similitudinem extrinsecè, & transacta sunt unum intrinsecè, nego antecedens, & consequentiam. Plura similia, cum sint intrinsecè inde-

independenter ab intellectu similia, habent intrinsece independenter ab intellectu formalem similitudinem; adeoque formalem unitatem similitudinis, quæ dici possint formaliter unum unitate similitudinis, licet non unitate entitatis. Non negaverim tamen, plura similia posse ulterius habere aliam unitatē extrinsecam, dependenter ab intellectu; respectu cujus unitatis, unitas intrinseca similitudinis dici possit unitas fundamentalis: in quantum similitudo præbet intellectui fundamentum illa plura confundendi inter se. Sic semen arboris est formaliter semen, licet sit fundamentaliter arbor. Ovum est formaliter ovum, licet sit fundamentaliter pullus. Cæterum non video, cur unitas illa intellectualis, utpote extrinseca, perfectior sit, & magis apta ad universale constituendum, quam unitas similitudinis, quæ est intrinseca: licet hæc non sit unitas perfectissima, cujusmodi solum est unitas singularis, quæ est unitas absoluta, & rigorosissima.

XI. Objicies 2. Unitas similitudinis non est unitas absolute, & simpliciter: ergo plura similia non possunt dici formaliter unum.

Respondeo, distinguo antecedens: unitas similitudinis non est unitas absolute, & simpliciter, rigoroſe loquendo, concedo: minus rigoroſe, nego antecedens: & distinguo consequens: ergo plura similia non possunt dici formaliter unum absolute, & simpliciter rigoroſe, concedo: minus rigoroſe, nego consequentiam. Rigoroſe loquendo unitas absolute, & simpliciter dicta est unitas singularis, quæ repugnat pluralitas in plura se rigoroſe, hoc est plura adæquate, per rigoroſam identitatem: unitas universalis, de qua loquimur, rigoroſe loquendo, dicitur unitas cū addito, scilicet unitas similitudinis: at minus rigoroſe, hæc unitas dici consuevit etiam unitas absolute, & simpliciter, scilicet sine addito, unitas; cum similia dicantur unum in ea ratione, in qua sunt similia; tum in communi modo loquendi, tum a philosophis cum Aristotele, & Divo Thoma, ut dictum est supra.

Objicies 3. Si vera esset nostra sententia, sequeretur, quod Petrus, & Paulus essent unus, & idem homo: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, distinguo sequentiam majoris: essent unus, & idem homo absolute, & simpliciter, rigoroſe, id est unitate, seu identitate entitatis, singulari, nego; absolute, & simpliciter, at minus rigoroſe, hoc est unitate, seu identitate similitudinis, uni-

universali, concedo sequelam majoris: & distinguo minorem: consequens est falsum, in sensu negato, concedo: in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. In eo sensu, in quo plura alba dicuntur esse unius, & ejusdem coloris: & plura quanta semipalmaria dicuntur esse unius, ejusdemque quantitatis: & plures homines, scilicet distincti, dicuntur esse unius, & ejusdem naturæ, iidem etiam dicuntur esse una essentia, una natura hominis, unum, & idem inter se, puta unitate, & identitate similitudinis: quatenus sunt inter se confundibilia, cognitione adeo imperfecta, & obscura; ut per illam discerni quidem possint ab omni eo, quod, v. g. non est album, non est semipalmare, non est homo; non vero ipsa individua similia; discerni possint inter se.

XII. Obijcies 4. Independentem ab intellectu non datur genus, nec species, sed duntaxat individua: ergo independentem ab intellectu non datur universale.

Respondeo, distinguo antecedens: independentem ab intellectu non datur, genus, nec species secundo intentionaliter sumpta, concedo: primo intentionaliter sumpta, nego antecedens: & eodem modo distinguo consequens: ergo independentem ab intellectu non datur universale, secundo intentionaliter sumptum, concedo: primo intentionaliter sumptum, nego consequentiam. Independentem ab intellectu dantur individua generica, specificè diversa inter se, scilicet aliquo modo similia v. g. individua animalium, quæ sunt difficilius confundibilia inter se. Dantur etiam individua specificæ, solo numero diversa inter se; adeoque facile confundibilia, v. g. individua hominum: atqui individua generica sunt genus, primo intentionaliter sumptum, v. g. universale animalium: individua specificæ sunt species, primo intentionaliter sumpta, v. g. universale hominum: aliquid enim aliud ad genus, ac speciem omnino gratis requiritur: ergo independentem ab intellectu dantur genus, & species, primo intentionaliter sumpta, de quibus infra dicendum disputatione sequenti, ubi de universalibus in particulari.

Obijcies 5. Unitas confundibilitatis, & præcindibilitatis, ut concessum est, non est unitas absolute, & simpliciter, rigorose; sed est unitas rigorose loquendo, secundum quid; absolute, & simpliciter dicta, ad summum minus rigorose: ergo non est sufficiens ad universale constituendum.

Respon-

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam: retorqueo deinde argumentum: unitas confusionis, seu præcisionis non est unitas absoluta, & simpliciter rigoroſe, ſed cum addito, ſcilicet unitas extrinſeca intentionalis: neque enim per hoc præciſe, quod plura confundantur inter ſe ab intellectu præſcindente, evadunt abſolute, & ſimpliciter rigoroſe unum; ſed cum addito, ſcilicet extrinſece: ergo unitas confusionis, & præciſionis non eſt ſufficiens ad univerſale conſtituendum.

XIII. Objicies 6. Juxta hæc principia ſequitur, quod exercitus, v. g. & quævis alia collectio, ſeu quantitas ſit univerſale in eſſendo: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens: ſequela probatur: exercitus enim habet unitatem, & multipliciter; unitatem, quia eſt indiviſibilis in plures exercitus, qui ſint adæquate ipſe: multipliciter, quia continet ſub ſe plures milites, quibus conſtituitur.

Reſpondeo, nego majorem: ad ejus probationem, diſtinguo antecedens: exercitus habet unitatem, & multipliciter ineptam ad univerſale conſtituendum, concedo: aptam, nego antecedens, & conſequentiam. Exercitus, ex pluribus militibus coaleſcens, habet quidem pluralitatem, & unitatem; non tamen aptam ad univerſale conſtituendum: quia ita eſt unus exercitus, ut non reſpiciat plura inferiora, quæ abſolute, & ſimpliciter dici poſſint exercitus, ſi ſingillatim accipiantur; ut de quolibet homine prædicari abſolute, & ſimpliciter cum veritate poteſt, quod ſit homo: neque enim dicitur abſolute, & ſimpliciter in rectos: hic miles eſt exercitus, ille miles eſt exercitus; ſicut dicitur: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, Marcellus eſt homo, & ſic de reliquis.

Objicies 7. Idem ipſi, qui ſunt plures milites, ſunt unus exercitus: ergo, in noſtris principiis, exercitus habet unitatem, requiſitam ad univerſale; ideoque erit univerſale.

Reſpondeo, concesso antecedente, nego conſequentiam. Unitas enim requiſita ad univerſale debet eſſe talis, ut ipſum unum ſit multiplex in recto, abſolute, & ſimpliciter prædicabile de ſingulis. Hinc, etiam per adverſarios, exercitus neque habet unitatem fundamentaliter talem, aptam ad conſtituendum univerſale in ratione exercitus: quia, licet milites illi omnes confundi poſſint inter ſe; non tamen ſingillatim vocari poſſunt exercitus;



rus; sicuti quilibet homo absolute, & simpliciter, & in recto, homo cum veritate appellari potest.

XIV. Obijcies 3. Quando dicitur: Petrus est homo, Paulus est homo, &c. vel sensus est, quod Petrus sit omnis homo, vel quod Petrus sit talis homo determinatus: neutrum dici potest: ergo. Minor probatur: si primum; propositio est falsa: si secundum; species humana non est predicabilis de singulis; adeoque non est universale.

Respondeo, nego minorem; & dico: quod, quando dicitur, Petrus est homo; absolute, & simpliciter, rigoroſe loquendo, sensus sit, Petrum esse talem determinatum hominem, unum absolute, & simpliciter rigoroſe, unitate entitatis singularis; adeoque de ipso predicetur propria humanitas: loquendo vero, aut minus rigoroſe, aut rigoroſe quidem, sed cum addito; sensus sit, Petrum esse unum, & idem cum omnibus hominibus, puta unitate similitudinis universali: quod nihil aliud importat, nisi quod Petrus sit similis, confundibilis, præcendibilis, comparabilis cum omnibus aliis hominibus, qui non sunt ipse Petrus rigoroſe; confundibilis per cognitionem, inquit, ex vi cuius vocati possit absolute, & simpliciter, rigoroſe, homo. Verum hæc, rigoroſe loquendo, est unitas cum addito: licet, minus rigoroſe loquendo, dicatur etiam mitas absolute, & simpliciter, sine addito.

Obijcies 9. Juxta nostra principia, dici poterit cum veritate: Petrus est tota species, seu tota natura humana, seu omnis homo; & integræ collectio hominum: consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Respondeo, distinguo majorem: secundum quid, & cum addito, concedo: absolute, & simpliciter, subdistinguo: minus rigoroſe, concedo: rigoroſe, nego majorem: & distincta eodem modo minore, nego consequentiam: nam Petrus dici poterit talis unitate, & identitate similitudinis; licet non unitate, & identitate entitatis.

XV. Obijcies 10. Juxta nostra principia dici poterit: Petrus est unum, & idem cum Paulo: consequens videtur absurdum: ergo & antecedens.

Respondeo, distinguo majorem: secundum quid, & cum addito, concedo: absolute, & simpliciter, subdistinguo: minus rigoroſe, concedo: rigoroſe, nego majorem: & distinguo minorem: in sensu negato, concedo: in sensu concessio, nego minorem,

Ant. Forti.

& con-

& consequentiam. Cum similitudo sit unitas, & identitas, juxta supradicta; Petrus dici poterit unus, & idem homo cum Paulo, unitate, & identitate similitudinis.

Objicies 11. Unitas similitudinis est unitas imperfecta: ergo non est sufficiens ad unitatem universalem.

Respondeo, distinguo antecedens: est unitas imperfecta, comparata cum unitate singulari intrinseca, concedo: comparata cum unitate extrinseca intentionali, nego antecedens, & consequentiam. Unitas similitudinis, cum sit intrinseca, non est cur reputetur imperfectior unitate extrinseca, & intentionali: quæ tandem nihil aliud est, quam una cognitio, confundens plura objecta similia, juxta adversarios. Aliæ vero unitates intrinsecæ, quæ excogitari possunt pro universali, sunt omnino chimericæ, adeoque non meliores.

Objicies 12. Unitas similitudinis dicit in suo conceptu multipliciter: ubi enim plura non sunt, similitudo inveniri nequit: itaque potest: ergo non est sufficiens ad universale constituendum.

Respondeo, concesso antecedente, in sensu sæpius explicato, nego consequentiam. Immo ex hoc antecedente deduci debuisset oppositum: esse enim unitatem talem, quæ importet in suo conceptu multipliciter, non solum non destruit universale, sed ad universalis essentiam necessario requiritur; quoniam universale debet esse unum in pluribus cū sui multiplicatione: ergo unum multiplex: ergo per unitatem, quæ simul sit multipliciter, adeoque prædicabilitas de pluribus: si secus fiat, universale, de quo loquimur, inveniri minime poterit.

XVI. Objicies 13. Implicat, aliquid esse unum multiplex, independenter ab intellectu: ergo implicat universale independenter ab intellectu. Antecedens probatur: implicat, aliquid esse unum, & non unum: sed, si esset unum multiplex, esset unum, & non unum: ergo implicat, aliquid esse unum multiplex, independenter ab intellectu.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, distinguo majorem: unum, & non unum absolute, & simpliciter, concedo: unum, & non unum secundum quid, subdistinguo: eadem unitate, & non unitate, concedo; diversa, nego majorem: & distinguo minorem: hoc sequitur in sensu negato, concedo; in sensu concesso, nego minorem, & consequentiam. Im-

Phil. Neg. Log.

C c c

plicat

plicat quidem, aliquid habere unitatem, & non habere unitatem ullam; non tamen implicat habere unam unitatem, & non habere aliam unitatem: jam unum multiplex, quod nos admittimus, habet unitatem aliquam: cum habeat unitatem similitudinis, compossibilem cum multiplicitate singularium; non tamen habet unitatem rigorosam entitatis: quia constat pluribus singularibus: quæ quidem unitas, & non unitas non excluduntur, nec sunt contradictoria: sicuti, quanvis essent contradictoria: esse lucidum, & non esse lucidum, absolute, & simpliciter; non tamen sunt contradictoria: esse lucidum lumine solis, non vero lumine lucernæ.

Objicies 14. Quidquid est a parte rei est factum a Deo: sed quidquid est factum a Deo, est singulare: ergo quidquid est a parte rei, est singulare: sed quidquid est singulare, non est universale: ergo quidquid est a parte rei, non est universale.

Respondeo, omisso primo syllogismo, distinguo minorem, subsumptā: sed quidquid est singulare, nō est universale per unitatem entitatis, concedo: per unitatem similitudinis, nego minorem, & consequentiam. Sensus, & ratio distinctionis satis constat ex supradictis.

XVII. Objicies 15. Universale debet esse unum, & multiplex in ea ratione, in qua est unum: sed collectio similium non est unum in ea ratione, in qua est multiplex: ergo non est universale.

Respondeo, nego minorem: quia collectio similium est multiplex in ratione hominis, seu naturæ humanæ: quatenus continet plures homines, & plures naturas humanas in particulari. Est una in eadem ratione hominis: quatenus omnes homines dicuntur, per similitudinem, unus homo, seu una natura humana.

Objicies 16. Universale debet esse unum identificatum cum multis, identitate rigorosa entitatis: sed hujusmodi non est collectio similium: ergo collectio similium non est universale.

Respondeo, distinguo majorem: identificatum rigorose cum multis, inadæquate, concedo: adæquate, nego majorem: & distinguo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessivo, nego minorem, & consequentiam. Universale, quod sit rigorose unum, & sit rigorose identificatum cum multis adæquate, in quibus multiplicetur; est manifesta chimera: importat enim, quod pars sit adæquate totum; adeoque pars, & non pars; totum,

tum, & non totum : nos vero hic quærimus universale reale, quod inserviat scientiis, itaut sit earum objectum in sua linea : quod quidem universale reale commode invenitur in collectione similium : quæ rigoroſe identificatur cum multis, ex quibus, tanquam ex partibus, coalescit.

Objicies 17. Cum Polizzio : Universale debet esse unum, non solum nomine, sed etiam ratione : atqui hujusmodi non sunt plura similia: ergo plura similia non sunt universale.

Respondeo, nego minorem : quia plura similia non solum sunt unum, quoad nomen, quatenus, v. g. omnes homines, hoc nomine, homo, exprimuntur ; verum etiam sunt unum unitate similitudinis, quoad rem significatam per nomen, homo, scilicet quoad humanitatem : quia sunt omnes homines confundibiles per cognitionem, qua discernantur ab omni eo, quod non est homo : & in hoc sensu Aristoteles dicit, univoca esse illa, quorum nomē commune est, ratio vero per nomē significata omnino eadem, id est similis.

XVIII. Objicies 18. Cum Conimbricensibus, afferentibus illud Aristotelis, ubi docet, universale aut nihil esse, aut posterius cognitione : ergo non datur a parte rei, per Aristotelem, universale independenter ab intellectu.

Respondeo, nego consequentiam : vel distinguo : non datur, per Aristotelem, independenter ab intellectu universale extrinsecum, vel intrinsecum extra singularia, concedo : in ipsis singularibus simul, nego consequentiam. Neque hoc gratis : quia Aristoteles impugnabat Platonem, vel alios, admittentes universale a parte rei independenter ab intellectu, ante, vel extra singularia, de quibus infra. Nos autem universale independenter ab intellectu admittimus in ipsis singularibus, beneficio similitudinis : cæterum universale extrinsecum, quod tale constituitur per unitatem extrinsecam intentionalem, independenter ab intellectu, utpote implicantem in terminis, non agnoscimus, nec permittimus.

Objicies 19. Cum iisdem Averroem docentem, intellectum facere universalitatem in rebus : ergo universale non datur independenter ab intellectu.

Respondeo, distinguo antecedens : universalitatem extrinsecam, transeat : intrinsecam, nego antecedens : & distinguo consequens : ergo non datur independenter ab intellectu universale

sive extrinsecum, concedo: intrinsecum, nego consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis.

Obijcies 20. Si universale, tum metaphysicum, tum logicum, modo prædicto constitueretur, scilicet per collectionem plurium similium; non posset explicari, utrum in prædicatione de suis inferioribus singillatim, universalitatem retineret, aut amitteret: ergo non constituitur modo prædicto.

Respondeo, nego antecedens: rationem negationis dabit

### A R T I C U L U S III.

An universale in actuali prædicatione retineat universalitatem.

XIX. **D**ico 1. Status quæstionis est, an universale, hæcenus traditum, retineat suam universalitatem, etiam dum actu prædicatur de suis inferioribus singillatim: seu istis phrasibus: an, dum universale prædicatur de suis inferioribus singillatim; prædicatione illa dicenda sit prædicatione universalis: seu, an prædicatum talis propositionis sit in re prædicatum universale. Prædicatur autem universale de suis inferioribus singillatim, tum veluti distribuitur in suas partes: v.g. universale hoc specificum, quod est, *homo*; cum prædicatur de suis individuis numericis, dicendo: *Petrus est homo, Paulus est homo, Marcellus est homo*. Universale hoc genericum, quod est, *animal*; cum prædicatur de suis individuis specificis, dicendo: *homo est animal, leo est animal, equus est animal*. Universale hoc genericum magis amplum, quod est, *vivens*; cum prædicatur de suis individuis specificis subalternis, dicendo: *intellectivum, & volitivum, ut Dens; est vivens; animal, ut homo, & brutum; est vivens; vegetabile, ut arbor, & planta; est vivens*. Quæ sane prædicatione directa dicitur, quod superius prædicatur de inferiori; ita nimirum, ut prædicatum magis late pateat, quam subiectum propositionis: ut patet in prædictis propositionibus: *Petrus est homo; homo est animal; animal est vivens*. Siquidem prædicatione, qua inferius prædicatur de superiori, ita nimirum, ut subiectum magis late pateat, quam prædicatum; prædicatione dicitur indirecta; ut si dicatur: *homo est Petrus; animal est homo; vivens est animal*. Quibus præexplicatis,

XX. Dico

XX. Dico 2. Universale in actuali prædicatione de suis inferioribus, singillatim sumptis, totam suam universalitatem non retinet: licet non omni universalitate careat. Assertio, quoad primam partem, est Scoti cum suis. Est autem contra Giattinum in *log. quest. 3. art. 10.* qui assert pro se Capreolum, & Lactantium. Probatur: quando dicitur, v. g. Petrus est homo; prædicatio hujus propositionis non habet universalitatem, quam habet propositio universalis, qua dicitur, animal rationale est homo: ergo universale in actuali prædicatione non retinet totam suam universalitatem. Antecedens probatur: quando dicitur, Petrus est homo; prædicatum hujus propositionis non est universale, ut erat prædicatum illius propositionis universalis, animal rationale est homo: ergo prædicatio hujus propositionis non habet universalitatem, quam habet propositio universalis, qua dicitur: animal rationale est homo. Enim vero prædicatio universalis est, cum prædicatum propositionis est universale, ut constat ex summis, nec negatur ab adversariis. Antecedens, in quo est difficultas, probatur: quando dicitur, Petrus est homo; prædicatum hujus propositionis non est tota collectio hominum: atqui universale, ex dictis, est tota collectio hominum, ut cum dicitur, animal rationale est homo: ergo, quando dicitur, Petrus est homo; prædicatum hujus propositionis non est universale, ut erat prædicatum illius propositionis universalis, animal rationale est homo. Major probatur: prædicatum hujus propositionis est, quod cum veritate, & rigore prædicatur de Petro: atqui de Petro non prædicatur rigore cum veritate tota collectio hominum: ergo prædicatum hujus propositionis non est tota collectio hominum. Major non videtur posse negari: ut enim patet ex ipsiis terminis, prædicatum est, quod prædicatur. Minor probatur, quia prædicatur rigore cum veritate de Petro, quod vere rigore identificatur cum Petro: aliter propositio vel non sumitur in sensu rigore, vel est falsa: atque cum Petro vere, & rigore non identificatur tota collectio hominum, sed propria tantum humanitas: ergo non prædicatur vere & proprie, & rigore de Petro tota collectio. Hinc, si per adversarios, cum dicitur: Petrus est homo, prædicatio hæc censenda sit prædicatio universalis; sequitur, quod, cum dicitur viceversa, homo est Petrus, propositio hæc sit reputanda propositio universalis. Nam, sicut quantitas prædicationis desumitur

tur ex prædicato, ita quantitas propositionis desumitur ex sub-  
jecto : sed prædicatum primæ propositionis allatæ est idem, ac  
subjectum secundæ propositionis : ergo, si prima est prædicatio  
universalis ; secunda est propositio universalis. Hæc, quoad pri-  
mam partem assertionis. Quod secundam

XXI. Dico 3. Universale, dum prædicatur de suis inferiori-  
bus singillatim, non omni universalitate caret. Assertio proba-  
tur, & explicatur. Quando dicitur, v. g. Petrus est homo, hæc  
prædicatio, licet non sit eodem modo universalis, ac prædicatio  
illius propositionis universalis, qua dicitur: animal rationale est  
homo ; nihilominus est prædicatio, aliquo modo, universalis : si-  
quidem prædicatum hujus propositionis particularis, qua dicitur:  
Petrus est homo; est, aliquo modo, universale, quâvis non eodem  
modo, ac prædicatum illius propositionis universalis, qua dici-  
tur : animal rationale est homo. Probatur : prædicatum hujus  
propositionis est, homo determinatus, & singularis, scilicet  
ipsa humanitas Petri, seu hic homo, qui dicitur Petrus : adeo-  
que est unus ex collectione omnium hominum : sed quilibet ex  
collectione est, aliquo modo, universale in essendo ; adeoque  
& in prædicando, licet non eodem modo, ac tota collectio : er-  
go prædicatum dictæ propositionis est, aliquo modo, universale,  
licet non eodem modo, ac prædicatum illius propositionis uni-  
versalis, qua dicitur: animal rationale est homo. Minor pro-  
batur : quilibet homo, ex una parte habet unitatem singularem,  
rigorose, ut patet, nempe unitatem entitatis : habet præterea  
unitatem universalem, minus rigorose, scilicet per similitudi-  
nem : quia, cum sit unum, & idem, unitate, & identitate simili-  
tudinis, cum omni alio homine; dicitur ipse, in sensu accommo-  
do, esse tota collectio hominum, & integra natura, ac species  
humana : adeoque habet etiam, hoc modo, multipliciter ; præ-  
dicabilem quidem minus rigorose de omnibus, & singulis aliis ;  
rigorose de seipso, qui est multiplex, licet minus rigorosa mul-  
tiplicitate : ergo quilibet homo est, aliquo modo, universale, unum  
in multis, unum prædicabile de multis : cum quilibet sit tota  
collectio, identitate similitudinis : licet non sit universale eo  
modo, quo tota collectio : nam tota collectio habet multiplici-  
tatem rigorosam, unitatem vero similitudinis. At unus homo  
habet unitatem rigorosam : multipliciter vero similitudine ;  
quatenus, cum sit similis omnibus aliis hominibus; est, per simili-  
tudi-

tudinem, omnis alius homo: Quod sane, ad aliquod universale constituendum, quare non reputetur esse sufficiens?

A R T I C U L U S IV.

Solvuntur Objectiones,

ubi

utrum natura, ab uno tantum individuo abstracta,  
sit universalis.

XXII. **O**bjicies 1. Quando dicitur: Petrus est homo; prædicatio continet prædicatum universale in tota sua latitudine: ergo est prædicatio universalis in sensu, quo a nobis negatur. Antecedens probatur: licet sola humanitas Petri prædicetur de illo; cognoscuntur tamē omnes alię humanitates similes, quę passim cum humanitate Petri confunduntur: ergo prædicatum est universale in tota sua latitudine.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, omisso antecedente, nego consequentiam. Tunc enim prædicatio est formaliter universalis, cum prædicatum formale est universale: prædicatum autem formale non est omne id, quod per aliquam cognitionem cognoscitur; sed illud duntaxat, quod prædicatur formaliter de subiecto per affirmationem, aut negationem, quocunque modo: itaque, ad summum, in hoc casu erit cognitio universalis, non autem prædicatio universalis: quia materialiter se habent in ordine ad prædicationem, qua talem, ea, quę cognoscuntur quidem, sed non prædicantur, affirmando, aut negando. Sic, si quis, dum dicit: Petrus est homo, cognoscat præterea cum omnibus hominibus Deum; non ideo hæc dicenda erit prædicatio formaliter divina, & theologica: sicut etiam, si quis per eandem cognitionem, qua affirmat de Petro humanitatem, neget de eodem divinitatem; non ideo hæc dicenda erit affirmatio divina, & theologica formaliter, & qua talis, scilicet præcise, ut affirmatio est: quia de Petro non affirmat, licet cognoscat, divinitatem.

Objicies 2. Quando dicitur: Petrus est homo; prædicatur de Petro, non sola propria humanitas, sed omnes humanitates: non tamen adæquate, modo copulativo; nec inadequately, modo distributivo, aut disjunctivo, aut determinato; sed modo quodam præcisivo, & indefinito, qui videlicet æquivalenter, & vir-



ualiter sit disjunctivus; formaliter tamen præscindat a sensu copulativo, distributivo, disjunctivo, & determinato: ergo est prædicatio universalis in tota sua latitudine.

Respondeo, nego antecedens: nam, prædicari de Petro omnes humanitates, modo prædicto præcise, & indefinito, vel importat, alias humanitates mere cognosci; vel importat, illas etiam affirmari de Petro, sed obscure; vel importat aliquid aliud. Non primum, quia hoc materialiter, & impertinenter se habet ad prædicationem, præcise qua talem, ut supra dictum est. Non secundum, quia propositio esset falsa: obscuritas enim non tollit falsitatem: sicut, si quis per propositionem, quantumvis obscurissimam, diceret: omne ens est creatura; falsum enunciaret: includitur enim Deus, licet obscure in To, omne ens. Non tertium, quia nequit assignari, quod faciat ad rem.

XXIII. Obijcies 3. Quando dicitur: Petrus est homo; affirmantur de Petro exercite omnes humanitates, licet non signate: ergo prædicatio est universalis, universalitate in tota latitudine universalis.

Respondeo, nego antecedens: & contra sic argumentor: affirmari exercite, & non signate, vel importat affirmari, sed non reflectendo ad affirmationem; vel importat mere cognosci; vel importat aliquid aliud. Non primum, quia hoc non tollit falsitatem propositionis: sicut, si quis exercite enunciet: Deus est creatura, etiam si signate ad id non reflectat; nihilominus falsum asserit. Non secundum, quia hoc materialiter, & impertinenter se habet ad prædicationem formalem, præcise, ut prædicatio est. Non tertium, quia non est assignabile, quod faciat ad rem.

Obijcies 4. Cum dicitur: Petrus est homo; prædicantur de Petro omnes humanitates, illa sola veritate, etsi una tantum humanitas identificetur cum Petro: ergo prædicatio est vera, licet universalis in tota sua latitudine. Antecedens probatur: cum dicitur: Petrus vel legit, vel scribit; propositio disjunctiva vera est, licet una tantum pars disjuncti Petro conveniat: ergo.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, concessa antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia actus disjunctivus signate, & expresse ex suo modo tendendi declarat, se non affirmare de Petro utranque partem disjuncti, sed alterutram, scilicet ipsi Petro hic, & nunc convenientem; in casu

Ant. Forti.

autem

attem nostro, propositio affirmat, ex una parte, omnes humanitates de Petro, ut adversarii fatentur: nec enunciat, nec exprimit, seu ullo modo declarat, se affirmare de Petro propriam, duntaxat humanitatem: ex altera parte, prædicatio est rigorosa: ergo falsa.

Objicies 5. Quando dicitur: Petrus est homo; præcinditur, an absolute affirmetur de Petro propria tantum humanitas, aut omnes humanitates: atqui præcindentium non est mendacium: ergo dicta prædicatio est universalis, in tota sua latitudine, & nihilominus vera.

Respondeo, distingo majorem: præcinditur ab affirmatione, aut negatione directa, nego: præcinditur, non cognoscendo adæquate objectum, subdistinguo: præcisione ex parte actus, transeat: ex parte objecti, nego majorem: & distingo minorem, sed præcindentium ab affirmatione, & negatione non est mendacium, transeat: præcindentium a cognitione adæquata, nego minorem, & consequentiam. Ex parte objecti non datur præcisio: licet enim enunciatio non reflectat ad id, quod enunciat; ex parte tamen objecti affirmando, Petrum esse hominem; vel dicit identificari cum Petro omnes humanitates; vel unam tantum, etiam si præcindat, aliquo modo, ex parte actus: siquidem ex parte objecti non datur medium. Si primum; corrumpitur veritas. Si secundum; destruitur universalitas prædicationis amplissima, quam adversarii contendunt. Quando autem dicitur, præcindentium non esse mendacium; sensus est vel, quod, quando ex pluribus, quæ alicui subjecto conveniunt, affirmatur unum, aliis non negatis; non dicitur falsum: ut, cum quis enunciat, lac esse album, nulla facta mentione dulcedinis: vel, quod, qui nihil affirmat, vel negat; falsum enunciare non potest formaliter: cum simpliciter non enunciet.

XXIV. Objicies 6. Stante hac sententia, nunquam prædicatum magis, vel minus late patere potest, quam subjectum: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, distingo majorem: non potest magis, vel minus late patere realiter, & intrinsece, concedo: nominaliter, & extrinsece, nego majorem: & distingo minorem, in sensu negato, concedo: in sensu concessivo, nego minorem, & consequentiam. Prædicatum realiter, & intrinsece idem est cum subjecto; adeoque non potest magis, vel minus late patere, humanitas enim,

*Phil. Neg. Log.*

D d d

quæ

quæ prædicatur de Petro realiter , & intrinsece , non est , nisi ipse Petrus : potest tamen prædicatum magis late patere nominaliter , & extrinsece : quatenus hæc vox , homo , potest significare plura : adeoque præcise , sub hoc nomine , homo , nisi aliunde determinetur ad aliquod particulare individuum significandum , ex circumstantiis ; plura cognosci possunt , quam si dicatur , Petrus , per se loquendo .

Objicies 7. Universale debet esse prædicabile rigorose , etiam in actu secundo , de singulis suis inferioribus : ergo , dum prædicatur humanitas , v. g. de Petro ; est hæc universalis cum tota sua latitudine .

Respondeo , distinguo antecedens : adæquate , nego : inadæquate , subdistinguo : in sensu diviso ab amplissima universalitate , concedo : in sensu conjuncto , nego antecedens , & consequentiam . Universale , cum prædicatur de singulis inferioribus , distribuitur , dilaceratur , destruitur , singularizatur . In hoc sensu , puta per ampliationem terminorum , dicitur : videns excæcari , lignum igniari , integrum corpus dilacerari , aerem lucidum obtenebrari , vivens mori ; quæ trita sunt etiam summulitis .

Objicies 8. Actus secundus , seu exercitium non destruit actum primum , & potentiam , cujus est actus secundus , & exercitium : atqui prædicatio de Petro est actus secundus , & exercitium prædicabilitatis universalis in tota sua latitudine : ergo hanc non destruit .

Respondeo , omiſſa majore , distinguo minorem : prædicatio de inferioribus singillatim , v. g. de Petro , est actus secundus , & exercitium prædicabilitatis universalis inadæquatæ , concedo : adæquatæ , nego minorem : & distinguo consequens : non destruit prædicabilitatem universalem inadæquatam , concedo : adæquatam , nego consequentiam . Prædicatio humanitatis de Petro est actus secundus , & exercitium prædicabilitatis suæ propriæ humanitatis de Petro : scilicet illius partis , ex tota collectione humanitatum , quæ pars sola realiter rigorose identificatur cum Petro : quæque , ut patet , remanet , ubi prædicatur de Petro . Dixi , omiſſa majore , quia illa ab aliis ita distingui solet : nimirum , actus secundus & exercitium propriæ , & rigorose tale , transeat : improprie , & minus rigorose tale , subdistinguo : in genere causæ , physice influentis , concedo : in genere principii principiantis præcise , ad modum termini a quo , nego majorem . Quandoquidem plura proprie  
non

non sunt actus secundus, & exercitium, sed potius destructivum potentiae: cum qua non debent posse componi. Sed standum nostrae responsioni, ne fiat quaestio de vocabulo.

XXV. Objicies 9. Natura abstracta ab uno tantum individuo est universalis rigorose, & in tota latitudine universalis: ergo, quando dicitur Petrus est homo; praedicatum est universale: adeoque praedicatio universalis in tota sua latitudine.

Respondeo, nego antecedens, cum Oviedo *controver. 3. log. punct. 7. n. 4.* & aliis communiter, praesertim recentioribus, contra Polizzium *in log. disp. 27. sect. 1.* ubi citat pro se Hurtadum *disp. 5. metaph. sect. 5.* & Smigletium *disp. 4. quaest. 4. n. 313.* & contra sic argumentor: vel sermo est de natura, pro statu reali; vel pro statu objectivo: si primum; natura Petri non est collectio omnium naturarum humanarum; neque enim Petrus est rigorose idem cum omnibus hominibus: ergo non est rigorose, universale, de quo loquimur: sed, ad summum, per similitudinem: ut etiam innuere videtur ipse Polizzius *in. 4.* ubi ait, quod natura abstracta ab uno tantum individuo; dicatur etiam abstrahi ab omnibus individuis: licet non signate, tamen exercite, quatenus natura Petri convenit cum aliis naturis, idest illis assimilatur. Si secundum; per hoc praecise, quod natura Petri cognoscatur, non cognita Petreitate, per cognitionem praecisivam; non ideo natura Petri evadit, vel repraesentatur indentificata cum multis: adeoque non est objective, exercite, aut signate multiplex positive, sed, ad summum, negative: nec enim dicitur positive praescindi, & abstrahi ab aliis individuis, cum quibus realiter non indentificatur: quia, dum cognoscitur unum sine aliis, a se realiter distinctis; non dicitur, per hoc praecise abstrahi, & praescindi positive ab illis in sensu, in quo hic loquimur: unde est, ut natura Petri non dicatur positive abstracta, & praecisa a multiplicitate, per hoc, quod cognoscatur, & non cum multiplicitate, quam realiter ipsa non habet.

Objicies 10. D. Thomam expresse docentem, universale non solum fieri per abstractionem a pluribus, sed etiam ab uno: ergo natura, abstracta ab uno individuo, est universale in tota sua latitudine.

Respondeo, nego consequentiam: D. enim Thomas explicandus de universali per similitudinem: quatenus natura Petri est similis, adeoque una, & eadem cum omnibus aliis naturis humanis

manis , a se distinctis , puta unitate , & identitate similitudinis.

Objicies 11. Stante nostra doctrina , sequitur , quod non tres , sed quatuor sint termini in hoc syllogismo , v. g. omnis homo est animal rationale : sed Petrus est homo : ergo Petrus est animal rationale.

Respondeo , nego sequelam : Tò homo , Tò animal rationale , reputatur unus terminus : quia , alioqui significans unum unitate similitudinis ; colligitur , & distribuitur in majore , cum sumatur collective , & disjunctive , ut totum : distribuitur in minore , cum sumatur distributive , ut pars : neque hoc gratis : sed ne dicamus prædicationem falsificari . Hactenus nostra sententia de universali . Deinceps

*Aliorum sententia de universali referuntur ,  
& impugnantur.*

Illæ ad duas classes reduci solent : quarum prima admittit universale , independenter ab intellectu : & quidem vel primo , extra singularia ; vel secundo , ante singularia ; vel tertio , in singularibus . Secunda classis , independenter ab intellectu : & quidem vel primo , unitate idoli ; vel secundo , unitate præcisionis objectivæ ; vel tertio , unitate præcisionis ex parte actus ; vel quarto , unitate cognitionis chimerizantis ; vel quinto , unitate vocali .

## A R T I C U L U S V.

Prima classis pro universali independenter ab intellectu .

Prima sententia pro universali extra singularia.

XXVI. **D**ico 1. Plato cognovisse fertur pro universali ideas , idest substantias , seu formas quasdam insensibiles , ingenerabiles , æternas , incorruptibiles , existentes extra singularia , sed a singularibus participatas.

Merito , an immerito hæc opinio Platoni tribuatur ; Doctores ambigunt . Aristoteles , ejus discipulus , id non semel affirmare videtur . Divus Augustinus , & alii apud Amicum , hoc loco , Platonem vindicant ab hac calumnia , illum , agentes , locutum de ideis divinæ mentis : quæ sunt veluti formæ quædam archetypæ , & effectrices , a quibus res singulæ creatæ dependent , & cum quibus conformantur : simili quodam modo , ac imaginæ ceris impressæ , sigillo conformantur . Author philosophiæ

ve-

veteris, & novæ Burgundienſis diſp. 1. de univerſali generatim quaest. 1. art. 1. vult, Platonem non alias, quam divinæ mentis ideas admiffiſſe: id ſuadere contendit: primo, quia nec apud Platonem ipſum, nec apud platonice philoſophiæ præcipuos ſeſtatores Plotinum, Porphyrium, Proclum, alioſque idææ a Deo ſeparatę uſquam inveniuntur. Secundo, quia doctiſſime, Plato in Timæo docet, mundum a Deo in tempore libere conditum, juxta exemplar, quod mente ab æterno conceperat. Tercio, quia idem in dialogo, qui Hyppias inſcribitur; & in eo, qui Parmenides nuncupatur, ideas uniufcujuſque operis factibilis, etiam viliffimi, non alibi, quam in mente intelligentis artificis agnoſcit: ubi concludit, fore, ut, qui a Deo ideas tollat; rerum cognitionem eripiat.

XXVII. Dico 2. Quidquid ſit de mente Platonis; inde certe vel falſa, vel obſcura prodire. Quandoquidem Ariſtoteles ejus diſcipulus, poſtquam eum viginti annos audivit; vel merito pluries Platonem reprehendit, ut facit multis in locis, vel ſane Platonem non intellexit; quod adhuc apud authores incertum eſt. Quid enim Ariſtoteles referat, quid ſentiat de Platone; philoſophi dubitant, & adhuc ſub judice lis eſt: illud in dubium revocare non licet, nimirum e Platonis ideis, vel falſis, vel non recte intellectis, & explicatis, hæreſes, & Gnoſticorum deliria emeriſſe.

Dico 3. Si Platonis idæę ſint cognitiones. archetypę, & exemplares; peto: vel ſunt mentis divinę cognitiones, adeoque in Deo, vel non. Si primum; hoc utique concedendum: erit tamen univerſale in cauſando, non in eſſendo, quod quaerimus. Si ſecundum; negandum, ut hereticum, & ſuperfluum. Ut hereticum: quia, præter divinas cognitiones, admittere alias ideas ab æterno, extra Deum; reputatur error in fide: ut ſuperfluum: quia, ut Deus agat, non opus eſt idæa, præter divinam cognitionem: utque agentia creata agant, ſi non ſint intellectualia, ut ignis; nihil eſt opus idæa, aut cauſa exemplari: ſi ſint intellectualia; neque abſolute, & ſimpliciter neceſſaria eſt alia idæa, præter eam, quam, de opere conſtruendo, mente concipiunt.

Dico 4. Si Plato ideas admiferit extra Deum, quæque ſint formæ quędam æternæ, ingenerabiles, incorruptibiles, ut vulgo uſe accipi ſolet; error eſt manifeſtus: quippe id eſſet aliquod poſſi-

positivum, æternum, extra Deum, quod est contra fidem, admis-  
sisse defecto.

XXVIII. Dico 5. Per ideas, ita extra Deum constitutas, plura insuper coacervantur absurda in philosophia: siquidem, idea hominum, v. g. vel est in omnibus, & singulis eadem per identitatem, simpliciter, & rigorose dictam, vel per unionem, vel per similitudinem.

Si primo, per identitatem; ergo omnes homines, utpote realiter identificati rigorose cum uno tertio, nempe cum hac idea; sunt realiter unum, & idem rigorose inter se; præterea ergo aliquid æternum, ingenerabile, incorruptibile, cujusmodi est idea, identificatur cum singularibus, quæ sunt temporanea, generabilia, & corruptibilia: ergo realiter identificatis competunt prædicata contradictoria; quod est manifesta chimera.

Si secundo, per unionem; ergo omnes homines realiter habent unam, eandemque numero humanitatem rigorose: eandem, absolute, & simpliciter; Christus in cælo, eandem damnati in inferno. Quo quid absurdius?

Si tertio, per similitudinem; ergo recurritur jam ad unitatem similitudinis: & aliunde impugnandæ ideæ.

Dico 6. Ideæ, quas hæcenus impugnavimus, etiam si darentur; non essent universale in essendo, quod adversarii contendunt: probatur ex D. Thoma *opusculo de universali*: quia, ut supra diximus, universale, quod quaeritur, est unum in multis cum sui multiplicatione: sed ideæ, ita per identitatem, aut unionem communicatæ, non multiplicarentur in singularibus, per Platonem: ergo illæ non essent universale, quod quaeritur a philosophis.

## A R T I C U L U S VI.

Solvuntur Objectiones.

XXIX. **O**bjicies 1. Contra tertiam, & quartam assertionem: objectum scientiarum debet esse aliquid æternum, ingenerabile, incorruptibile, ut scientiæ firmæ esse possint, & infallibiles: ergo dari debet universale, positum in ideis platonice æternis, ingenerabilibus, incorruptibilibus, quæ sunt objectum scientiarum.

Re-

Respondeo, nego antecedens, vel claritatis gratia, distinguo: æternum, &c. conditionate, concedo: absolute, nego antecedens, & consequentiam. Sensus distinctionis est, quod objectum scientiarum, quæ dicuntur æternæ veritatis; si existat, debeat esse tale, quale per scientiam repræsentatur: & hoc est, illud esse æternum quoad essentiam, seu connexionem prædicatorum, ut aliqui loquuntur, non vero quoad existentiam.

Objicies 2. Contra sextam assertionem: dici potest, quod idea identificetur cum singularibus, ita, ut multiplicetur in illis: ergo in ea constitui potest universale, saltem, quantum est ex hoc capite.

Respondeo, nego antecedens: quia idem esse rigoroſe unum, rigoroſe, adæquate identificatum realiter cum multis, etiam singulatim, & rigoroſe multiplicatum in illis; est manifesta chimæra, ex dictis: si enim est realiter idem rigoroſe, adæquate in singularibus, quomodo multiplicatur in illis?

## A R T I C U L U S VII.

### Secunda sententia

#### Pro universali ante singularia.

XXX. **D**ico 1. Fonseca 5. *metaph. cap. 28. quæst. 3. scilicet.* 2. 3. & 4. & alibi, valde tamen obscure, unde dubietas de ejus mente, apud authores, suborta est; docere videtur: naturam, consideratam in statu possibilitatis, quem ipse appellat statum antecessionis, & indifferentiæ; dici universale: quia eadem animalitas v. g. indifferens est, ut sit in homine, e quo, leone: & eadem humanitas indifferens est, ut sit cum hac, vel illa singularitate, in Petro, vel in Paulo, vel in Marcello: eandem vero naturam in statu existentia, quem ipse vocat statum actualitatis, & contractionis; universalitatem amittere: quia jam determinatur, & veluti singularizatur, contrahiturque per inferiora.

Dico 2. Status hic antecessionis, seu indifferentiæ, modo explicato, repugnat: probatur, quia humanitas existens, v. g. quæ nunc est in Petro, vel est eadem, quæ erat possibilis, vel non. Si primum; subsumo: sed hæc humanitas Petri, utpote realiter identificata cum petreitate, non est indifferens; ut identificetur cum Paulo; sicut non est indifferens, ut identificetur cum Pau-



Paulo ipsa petreitas : ergo nec humanitas possibilis, quandoquidem idem omnino, quod actu positum est ; possibile erat, immo & futurum . Si secundum ; ergo humanitas possibilis non fuit Petro communicata, sed alia humanitas non possibilis : ergo chimerica .

Dico 3. Etiam admissio prædicto statu anteceSSIONIS, seu indifferentiæ, adhuc natura illa non esset universale in essendo, quod quærimus, definitum ab Aristotele. Probatur : quia, universale, vel est natura indifferens ad hanc, aut illam singularitatem : vel est natura jam contracta : non primum ; quia universale debet esse unum simul in multis, & collective prædicabile de illis, non cum disjunctione : non secundum ; quia natura, jam contracta ad unum, non inest pluribus.

## ARTICULUS VIII.

Solvuntur objectiones.

XXXL. **O**BJicies 1. Contra secundam assertionem: si natura Petri non esset indifferens ad hoc, ut existeret in Petro, Paulo, vel Marcello; esset essentialiter singularis: atqui esse essentialiter singulare, est proprium solius Dei: ergo natura Petri est indifferens ad hoc, ut existat in Petro, Paulo, vel Marcello.

Respondeo, distinguo sequelam majoris : esset essentialiter singularis, idest essentialiter identificata realiter cum sua singularitate, concedo : excludens sibi similia, nego sequelam majoris : & distinguo minorem : esse essentialiter singulare, idest identificatum cum sua singularitate, est proprium solius Dei, nego : excludere sibi similia, transeat minor in præsentiarum, ( est etenim falsa, ut videbitur infra in hac disp. ) nego deinde consequentiam . Esse essentialiter singulare, idest realiter identificatum cum sua singularitate, seu essentialiter indivisibile in aliud, quod sit adæquate, absolute, & rigorese idem ; proprium est cujuscunque individui.

Objicies 2. Contra eandem assertionem: natura ex se, v. g. humanitas nec dicit Petrum, nec Paulum, nec Marcellum : ergo est indifferens, ut contrahatur, per Petrum, per Paulum, vel per Marcellum.

Respondeo, distinguo antecedens : ex parte actus, seu per intellectum, concedo : ex parte objecti, seu realiter, nego ante-

*Ant. Forti.*

tece-

recedens, & distinguo consequens: ergo est indifferens ex parte actus, seu per intellectum, concedo: ex parte objecti, seu realiter, nego consequentiam. Natura humana, ipsaque Petreitas ex parte objecti, & realiter sunt unum, & idem: ergo, ex parte objecti, & realiter natura Petri non est indifferens, ut sit sine singularitate Petri, id est sine petreitate: sicut ipsa petreitas non est ex parte objecti, & realiter indifferens ad existendum sine seipsa. Quando autem dicitur, habere talem indifferentiam ex parte actus, seu per intellectum; sensus est, modo supra explicato, cum de præcisione ex parte actus: Petrum nimirum esse, aliquo modo, simile cum Paulo, & confundibile cum eodẽ cognitione, qua appellari possit homo: ex vi cuius remanet indifferens intellectus, nec determinatus ad dicendum: hic est Petrus, nisi præterea illum cognoscit cognitione clariore: qua eundem discernat, non solum ab omni eo, quod non est homo; sed etiam ab omni eo, quod, licet sit homo, non tamen est ipse Petrus.

XXXII. Obijcies 3. Contrarietatem assertionem: si daretur status iste possibilitatis, seu antecessionis, seu indifferentiæ; natura illa possibilis esset quidem universale possibile, licet non actuale: ergo falsa conclusio.

Respondeo, nego assumptum antecedentis. Possibile est quid actu poni potest: nec actu ponitur quid diversum ab eo, quod possibile erat: neque enim poni potest impossibile. Universale igitur possibile est id, quod, si poneretur, esset universale actuale: sicuti homo possibilis est id, quod, si poneretur, esset homo actualis: atqui, si poneretur natura possibilis, ita indifferens, ut excogitatur a Bonseca; non poneretur universale actuale, id est unum simul in multis: ergo natura, ita possibilis, etiamsi aimitteretur cum prædicta indifferentia; non esset universale possibile. Dicendum igitur, quod, sicut universale actuale sunt plura similia actu existentia; ita universale possibile, non existens, sint plura similia possible, actu non existentia.

## ARTICULUS IX.

Tertia sententia

Pro universali in singularibus unitate negativa:

XXXIII. **D**ico 1. Caetanus cap. 4. de ente, & essentia *quest.*  
 18. aliud excogitavit universale in ipsis singularibus  
*Phil. Neg. Log.* E e o

ribus, beneficio unitatis, quam ipse negativam appellat : natura Petri, inquit, natura Pauli, natura Marcelli distinguuntur quidem realiter inter se, non vero ratione sui, sed ratione differentiarum, petreitas nimirum, pauleitatis, marcelleitas : ergo non sunt quid singulare ratione sui : ergo ratione sui sunt quid negative universale, idest non singulare. Contra

Dico 2. Naturæ inter se, nullo intellectu cogitante, non habent hanc unitatem negativam : probatur, quia, nemine cogitante, naturæ idem omnino realiter sunt cum suis singularitatibus : sed ipsæ singularitates, nemine cogitante, realiter distinguuntur inter se, ratione sui : nec habent unitatem hanc negativam : ergo & naturæ inter se, nullo intellectu cogitante, ratione sui, realiter distinguuntur : nec unitatem hanc, quanvis negativam, admittunt. Itaque, sicut realiter loquendo, ratione sui repugnat, ut petreitas identice sit cum pauleitate ; & pauleitas, ut sit cum petreitate : cum realiter nemine cogitante, idem omnino sint petreitas, & natura Petri ; sicut pauleitas, & natura Pauli ; realiter etiam natura Petri ratione sui repugnat, ut sit cum pauleitate : sicuti & natura Pauli cum petreitate. Quoniam vero unitatem hanc negativam deduxisse videtur Caetanus ex Scoto in secundum *dist. 3. quæst. 1. & sept. metaph. quæst. 18.* sit

## A R T I C U L U S X.

### Quarta sententia

Pro universali in singularibus unitate formali ex natura rei.

XXXIV. **D**ico 1. Quidam scotistæ, beneficio distinctionis formalis ex natura rei, agnoscunt universale in ipsis singularibus : cum enim, per ipsos, natura, v. g. humanitas Petri formaliter distinguatur a differentia, quæ est hæcceitas, seu petreitas : & natura Pauli formaliter distinguatur a pauleitate, & sic de singulis ; ergo, inferunt, ex se formaliter natura Petri, non differt a natura Pauli, adeoque formaliter una est : quia tamen talis natura est realiter identificata cum differentiis, quæ sunt plures ; & ipsa realiter identice multiplex est. Cum igitur natura, ex una parte habeat unitatem formalem : ex altera parte pluralitatem realem ; sufficienter habere videtur prædicata universalis.

Dico 2. Corruit in primis hæc sententia, quia innititur distinctioni.

inctioni formali ex natura rei, quam probavimus repugnare. Deinde, etiam admissa distinctione formali ex natura rei, adhuc ita salvari non posset universale, quod quærimus: probatur, quia natura, formaliter ex natura rei distincta ab hæceitatibus, v. g. humanitas Petri, Pauli, Marcelli, vel est una, eadenque in omnibus, & singulis per identitatem entitatis rigorosam, vel per similitudinem, vel per aliam unitatem, ab his diversam.

Non primum, quia sic omnes homines realiter inter se identificarentur, utpote identificati cum uno tertio: & neque aduersarii haberent intentum: ita enim natura humana esset quidem communis, non autem universalis, quippe non multiplicata in suis singularibus: ut ipsi scotistę discurrunt de Natura divina, cui ideo universalitatem denegant, ut fas est.

Non secundum, quia hæc erit unitas nostri universalis, quæ, in e p endenter a distinctione formali ex natura rei, commode salvantur omnia, quæ de conceptu metaphysico universalis salvanda sunt.

Non tertium, quia nequit explicari, quænam sit talis unitas: si enim dicant, esse unitatem formalem, videlicet intercedentem inter formalitates; hoc ipsum explicandum remanet: nempe quid sit hæc unitas formalis, quinam ejus effectus formalis, diversus ab effectu formali identitatis entitatis rigorosæ, & ab effectu formali identitatis minus rigorosæ, quæ est idētitas similitudinis: quæ identitates profecto etiam intercedere possunt inter formalitates: quod in responsione ad objectionem tertiam *art. seq.* melius explicabitur.

## A R T I C U L U S XI.

Solvuntur objectiones.

XXXV. **O**bjicies 1. Natura, formaliter distincta a singularitate, formaliter singularitatem non habet: ergo formaliter singularis non est: ergo formaliter est universalis.

Respondeo, distinguo ultimum consequens: universalis negative, transeat: positive, nego consequentiam. Quærimus hic universale positivum, quod scilicet, ita sit unum; ut aptum sit positive prædicari de pluribus. Natura formaliter distincta ab hæceitate talis non est positive: nec prædicabilis, nisi de uno par-

E e c 2

ticu-

ticulari individuo : cum adhuc realiter identificetur cum sua singularitate : & realiter distinguatur ab aliis naturis ; quarum quælibet cum sua singularitate est realiter eadem, identitate entitatis , & rigorosa.

Objicies 2. Independentem ab intellectu, natura humana una, & eadem dicitur esse in Petro , in Paulo , in Marcello : sed non unitate singulari : ergo unitate universali formali.

Respondeo , distinguo majorem : una, & eadem, unitate similitudinis , concedo : alia unitate , quam adversarii intendunt , nego majorem : & concessa minore , nego consequentiam . Independentem ab intellectu, omnia individua humana dicuntur, habere unam eandemque naturam humanam : quia similia sunt in humanitate : quæ similitudo , ut probavimus, unitas appellari, non solum vulgo , sed etiam apud philosophos , consuevit . Unde quidam, etiam ex scotistis cum Pontio , universale constituunt per unitatem similitudinis , ut inuebam *art. 1. assert. 8.*

Objicies 3. Explicando quid sit hæc unitas formalis in hypothesisi , in qua loquimur : unitas formalis opponitur distinctioni formali : sicut igitur distinctio formalis media est inter distinctionem realem , & dissimilitudinem ; ita unitas formalis media est inter identitatem entitatis , & inter similitudinem : & apta ad constituendum universale , quod querimus.

Respondeo, nego consequentiam : nam primo, distinctio formalis intercedit inter formalitates, realiter positive identificatas : ergo unitas , tali distinctioni opposita , intercedere deberet inter naturas realiter positive distinctas : ergo naturæ , etiam prout formaliter distinctæ ab hæceitatibus , realiter , & positive distinguuntur : quod destruit sententiam adversariorum, volentium, naturas realiter positive distingui , non ratione sui , sed ratione differentiarum.

XXXVI. Secundo , distinctio formalis , si recte explicari velit , prout diversa a distinctione reali simpliciter dicta ; non impedit , quin absolute , & simpliciter una formalitas sit in recto affirmabilis de altera : adeoque , quod realiter positive identificentur, v. g. humanitas Petri , & petreitas ; licet formaliter sint distinctæ : & ad invicem cum veritate negabiles in recto, cum addito, formaliter : unde humanitas Petri , licet absolute , & simpliciter , realiter , & identice sit petreitas ; formaliter tamen non est petreitas : quia formaliter distinguuntur : ergo, e contrario

rio, natura Petri est absolute, & simpliciter in recto negabilis de natura Pauli: adeoque realiter, ratione sui, positive distinguuntur; licet formaliter sint ad invicem affirmabiles in recto. Unde etiam infertur, naturas inter se, etiam prout formaliter ex natura rei distinctas ab hæcceitatibus; realiter distingui inter se, & non esse idem, in eo sensu, quem, adversarii contendunt, esse sufficientem ad universale constituendum.

Tertio, distinctio formalis facit, ut formalitates, perinde se habeant, ac si essent realiter distinctæ, in ordine ad verificandas propositiones, alioqui contradictorias: ergo, ex opposito, unitas formalis præstare deberet, ut naturæ, inter quas ipsa intercedit, verificare non possint propositiones, alioqui contradictorias: itaque non poterit de humanitate Petri verificari, quod dormiat, nisi id etiam verificetur de humanitate Pauli; si formaliter ex natura rei unum idemque sint, ut adversarii contendunt.

## A R T I C U L U S XII.

Secunda classis pro universali dependente ab intellectu.

Quinta sententia pro unitate Idoli.

XXXVII. **D**ico 1. Præceptor Arriagæ, ab ipso citatus *disp. 6. log. sect. 1. num. 1.* & quidam apud Hurtadum *disp. 5. metaph. sect. 11.* docuerunt, universale esse, idolum quoddam, mente confictum, v. g. hominem fictum ab intellectu, quem intellectus respiciens, prædicat de Petro: non quidem prædicat ipsum idolum, sed rationem hominis propriam Petri, ad similitudinem idoli illius, quasi cujusdam prototypi, atque exemplaris.

Dico 2. Contra hanc sententiam est, in primis: quia non opus est hoc universali ficto: cum possit alio modo, absque ulla fictione, commode salvari, ut vidimus: præter quam, quod, hoc idolum ita fingi ab intellectu, non satis constet: ni dicere velimus, oppositum potius constare ex experientia, præsertim in intellectibus rusticorum.

Deinde: etiam tali idolo admissio; contra hanc sententiam est, quia illud non esset universale, quod quærimus: siquidem tale idolum vel esset multiplex in causando, puta in genere causæ exemplaris, ad modum idæ: vel esset multiplex in essendo, per idem.

identitatem entitatis : vel esset multiplex, per identitatem similitudinis.

Si primum ; non assignatur universale, quod quærimus, nempe in essendo. Si secundum ; hoc non asseritur ab auctoribus, quorum est hæc sententia : nec enim volunt, idolum illud realiter identificari cum Petro, Paulo, Marcello : quia sequeretur, quod Petrus, Paulus, Marcellus identificarentur realiter inter se, utpote realiter identificati cum uno tertio : neque hæc identitas faceret ad rem, si esset sine multiplicatione sui, ut patet in divinis, ubi Natura, quanvis in tribus Personis, non tamen est universalis, cum nō multiplicetur. Si tertium ; hæc est unitas similitudinis, in qua fundamus nostrum universale. Verum in hoc sensu magis assimilaretur Petro, & aliis hominibus Paulus, utpote verus homo ; quam hoc idolum, mente efformatum.

XXXVIII. Dico 3. In hanc sententiam relabi videntur, qui docent: universale constitui per quandam relationem rationis, dum intellectus, cognita natura, non cognoscit, vel non advertit ad differentias. Itaque contra hanc sententiam est, tum quia non opus est tali relatione : tum quia hujusmodi relatio vel cognoscitur ab intellectu, ut aliunde resultans : vel ab eodem producitur quidem, at non cognoscitur. Si primum ; & videtur contradicere experientiæ, & non facere ad rem : quia, etiam admissa, tali relatione ; adhuc illa non esset unitas sufficiens ad universale, quod quærimus : tum quia, si intellectus cognoscit relationes ipsas, qua tales, naturæ ad plura individua, qua talia ; ergo cognoscit ipsa plura individua, qua talia, adeoque differentias : ergo non præscindit a pluralitate, & differentiis : tum quia, juxta principia adversariorum, per hoc præcise, quod quis referatur per intellectum ad aliud ; non redditur formaliter unum, & idem cum illo. Si secundum ; & gratis asseritur : & si verum esset ; adhuc non esset universale, quod quærimus cum philosophis, juxta definitionem aristotelicam.

### A R T I C U L U S XIII.

Sexta sententia

Pro unitate præcisionis objectivæ.

XXXIX. **D**ico 1. Thomistæ passim, & alii contendunt, naturas objectivæ præcisas a differentiis evadere

dere universale: v. g. naturam humanam, objective præcisam, a suis singularitatibus, quæ sunt petreitas, pauleitas. Jam, licet ipsi varias ineant vias in hoc universali explicando; convenire tamen videntur in hoc, quod universale sit concretum, quoddam, constans ex materia, & forma. Materiam, quod etiâ substratum appellant, esse volunt plura similia: formam vero quoddam, objective ipsis naturis intrinsecum, resultans, beneficio præcisionis objectivæ: quam formam, seu unitatem, alii formam positivam esse defendunt, alii negativam, alii realem, & veram, alii chimericam, & fictam ab intellectu.

Dico 2. Contra hanc sententiam in primis est: quia innititur præcisioni objectivæ, quam probavimus repugnare. Deinde, etiam admissa præcisione objectiva; adhuc, contra hanc sententiam est, quia, modo explicato, constitui non potest universale, quod quærimus. Enimvero naturæ objective præcisæ a suis differentiis vel evadunt intrinsece unum unitate identitatis, vel unitate intentionali. Si primum; quod quidem præcificores nonnulli concedunt; id omnino inexplicabile videtur, atque admirabile: quod nimirum animalitas equi, & animalitas hominis, post præcisionem objectivam, evadant intrinsece unum, & idem per rigorosam identitatem: ita ut, etiâ dum Petrus vacat studio literarum; sese cum animalitate equi identificatum inveniat, si aliquis ejus animalitatem objective præscindat a rationalitate ipsius Petri. Si secundum; peto: hæc unitas intentionalis intrinseca objecto vel est quid fictum, vel quid reale: si fictum; quæ necessitas: cum possit assignari universale, per formam realem, & quidem intrinsecam, constitutum? cum præsertim, hujusmodi fictiones non sint ad rem. Quærimus enim universale, quod vere sit unum in multis, & de illis cum veritate prædicabile. Si vero talis unitas est quid reale; assignetur quænam illa sit. Quid ne positivum, aut negativum?

#### A R T I C U L U S XIV.

Solvuntur objectiones.

XL. **O**bjicies 1. Assignando talem unitatem: in naturis, objective præcisæ a suis differentiis, v. g. in animalitate Petri cognita sine rationalitate, aut in humanitate ejusdem cognita sine petreitate, resultant intrinsece, pro statu objectivo caren-



carentiæ differentiarum : atqui naturæ per tales carentias intrinsece fiunt unum in statu objectivo : ergo jam assignatur, quomodo consurgat unitas intrinseca, beneficio præcisionis objectivæ in naturis,

Respondeo, utranque præmissam allati syllogismi esse falsam. Cæterum, omiſsa majore, distinguenda esset minor: evadunt intrinsece unum negative, transeat : positive, nego minorem, & consequentiam : quia adhuc naturæ remaneant intrinsece entitates realiter inter se distinctæ.

Objicies 2, In hypothesi, non cognoscuntur differentię in naturis : ergo intrinsece pro statu objectivo surgunt in naturis carentię differentiarum : ergo naturę sunt unum.

Respondeo, nego primam consequentiam : illud enim est in statu objectivo, quod cognoscitur : sed non cognoscuntur tales carentię differentiarum, ut quid intrinsece inherens naturę ; quod esset cognoscere falsum : naturę enim intrinsece identificantur cum suis differentiis : ergo carentię differentiarum non sunt intrinsece in naturis, etiam pro statu objectivo. Major probatur : illud est in statu objectivo, cujus esse extrinsecum, idest representatio, & cognitio est in intellectu : ergo illud est in statu objectivo intellectualli, quod ab ipso intellectu cognoscitur. Retorquendo deinde argumentum non cognoscuntur in naturis carentię differentiarum : quia, juxta adversarios, illæ non sunt objectum, sed effectus cognitionis præscindens ex parte objecti : ergo, pro statu objectivo, sunt in naturis carentię carentiarum ; quę sunt ipsę differentię.

XLl. Objicies 3. Carentię differentiarum, in naturis objective præcisıs, sunt quidem intrinsece, pro statu objectivo exercito, non autem signato : quatenus nimirum fiunt, non cognoscuntur, veluti reflexę ab ipsa cognitione, objective præscindente. Sic ipsamet cognitio, ita præcisiva, est quidem præcisio, pro statu objectivo exercito, quatenus exercite præscindit objectu ; etiam si eadem supponatur, non esse objectum sui ipsius, supra seipsam reflectentis.

Respondeo, nego assumptum antecedentis. Utque aliquid tangam de statu objectivo, quem adversarii confundere videntur cum statu intentionali ; noto, tripliciter rem esse posse pro statu objectivo, sive ille sit exercitus, sive signatus. Primo, quatenus est cognitio. Secundo, quatenus est objectum cogni-

*Ant. Forti.*

tio-

tionis. Tertio, quatenus est effectus cognitionis. Cum autem cognitio præcise, ut talis, non præstet in objecto, nisi hoc, quod est, illud denominare cognitum, ut dictum est, ubi de ente rationis logico; nullum effectum intrinsecum pareret in objecto, licet, supponeretur, illud intrinsece objective præscindere. Jam carentia differentiarum in natura, intrinsece objective præcisa, primo, non est cognitio, ut patet: secundo, non est objectum, ipsius cognitionis: tertio, non est denominatio cogniti: hæc enim denominatio nihil aliud importat, nisi concretum, resultans ex objecto, & cognitione: ergo talis carentia nullo modo est pro statu objectivo, nisi ad summum negative, quatenus non cognoscuntur differentia: in quo sensu, etiam ipsæ differentia, ut supra innuebam, dici poterunt, esse pro statu objectivo: cum neque ipsarum differentiarum carentia cognoscantur.

# ARTICULUS XV.

Pro unitate præcisionis ex parte actus.

Septima sententia.

Pro unitate cognitionis confundentis.

XLII. **D**ico 1. Recentiores communiter, ut salvent universale, recurrunt ad unitatem extrinsecam: illudque esse volunt plura similia confuse cognita. Hæc plura similia vocantur ab ipsis subjectum, materia, substratum, pluralitas, multiplicitas, aptitudo ad essendum in multis, & ad prædicationem de illis: nec non fundamentum universalis. Cognitio vero abstrahens, confundens, præscindens ex parte actus, & attingens illa plura ad modum unius, & quidem non signate ita, ut positive asserat, illa plura esse unum: quia ita, inquit, esset falsa: sed tantum exercite, quatenus, ita obscure attingit illa plura, v. g. homines, ut non discernantur esse plura: utque, ex vi talis cognitionis, intellectus non possit determinari ad affirmandum, quod illa objecta sint plures homines; quin potius ad oppositum: talis, inquam, cognitio appellatur ab ipsis auctoribus forma, atque unitas universalis, licet extrinseca. Quo ad hanc valde communem opinionem,

Dico 2. Ita salvari aliquo modo posse universale, & quidem tum per primam, tum per secundam, tum per tertiam intellectus operationem, permittimus: habet enim universale hoc ex

*Phil. Neg. Log.*

F f f

una

una parte multiplicitem intrinsecam, ut patet, ex altera parte unitatem extrinsecam: adeoque est unum multiplex: & quidem unum prædicabile de multis absolute, & simpliciter, rigoroſe, ſed inadæquate; nimirum cum diſtributione accommoda, quatenus de ſingulis hominibus prædicatur, ut ita dicam, ſua portio humanitatis, realiter identificata cum ſingulis, ideſt humanitas propria cujuſcunque individui: ut de Petro propria humanitas Petri, de Paulo propria humanitas Pauli: vel adæquatè de ſingulis, ſed cum addito, nempe extrinſece; quatenus de ſingulis dici poteſt, eſſe unum, & idem extrinſece, & habere unum, & idem eſſe extrinſecum: cum ſint ſub eadem cognitione confundente, & in eadem, tanquam in imagine intentionali, repræſententur obſcure ad modum unius. Cognitionis enim, ut etiam quævis alia repræſentatio objecti, dicitur, eſſe extrinſecum rei cognitæ, & repræſentatæ: ſimili quodam modo, quo pictura dicitur, eſſe quoddam extrinſecum rei depictæ. Verum

XLIII. Dico 3. Qui univerſale, modo prædicto, conſtitutum agnoſcunt; immerito negant, plura ſimilia dici poſſe univerſale per unitatem extrinſecam, ſi repræſententur per unam cognitionem, quantumvis claram, & ex vi cujus intrinſeca pluralitas eorundem diſcerni poſſit. Aſſertio probatur: plura ſimilia, cognita per cognitionem, quantumvis claram, habent omnia requiſita ad univerſale conſtituendum: ergo ſunt univerſale. Probatur antecedens: plura ſimilia, cognita per cognitionem, quantumvis claram, habent pluralitatem intrinſecam, ut patet; habent & unitatem extrinſecam: ergo habent omnia requiſita ad univerſale conſtituendum. Probatur ſecunda pars antecedentis: plura ſimilia, cognita per cognitionem claram, habent unum eſſe extrinſecum: ergo habent unitatem extrinſecam. Antecedens probatur: ſunt ſub una, eadenque cognitione: ſed cognitio, utpote imago, eſt eſſe extrinſecum objecti, ut conſtat ex communi modo loquendi philoſophorum cum iſſis adverſariis: ergo plura ſimilia, cognita per cognitionem claram, habent unum eſſe extrinſecum; & quidem ſufficiens ad univerſale conſtituendum in hypotheſi, in qua loquimur: non enim eſt, cur, per adverſarios, unitas conſuſionis ſit ſufficiens ad univerſale philoſophicū, quod fundamentaliter ſumptum, ut aſunt, ſit obiectum ſcientiarum; unitas vero cognitionis, ſeu repræſentationis non ſit ſufficiens.

XLIV. Et

LXIV. Et sane cognitio vel est esse extrinsecum objecti, cuius est imago, vel non. Si primum; ergo sive illa sit obscura, sive clara, sive clarissima, dummodo una, est unum esse extrinsecum objecti: ergo objectum sub illa cognitione habet unum esse extrinsecum: ergo est extrinsece unum. Nam, sicut habere unum esse intrinsecum, est esse intrinsece unum; ita habere unum esse extrinsecum, est esse extrinsece unum: cum gratis requiratur aliquid aliud ad secundum, si non ad primum. Si vero dicatur secundum, scilicet, quod cognitio non sit esse extrinsecum objecti; ergo quomodocunque illa repræsentet objectum, seu clare, sive obscure; non est, quare objectum, per hoc præcise, dicatur evadere unum extrinsece: non enim evadere potest tale, nisi per sui unitatem extrinsecam, idest per unum sui esse extrinsecum: atqui cognitio, quæcunque, & qualiscunque illa sit, non est esse extrinsecum objecti: ergo non est unum esse extrinsecum ejusdem objecti: ergo non reddit suum objectum unum extrinsece.

XLV. Dices: ut plura sint extrinsece unum, debent repræsentari ad modum unius: ergo non sufficit unitas cognitionis. Sed contra. Nam peto: vel debent repræsentari ad modum unius, unitate cognitionis, vel unitate confusionis, vel unitate objecti. Si primum; concessio antecedente, nego consequentiam: quia, si plura sunt sub una cognitione; jam repræsentantur ad modum unius, in hoc sensu. Si secundum; nego antecedens. Nam petitur manifeste principium. Si tertium; nego antecedens: tum quia gratis assumitur, ex dictis: tum quia, sic cognitio esset falsa; si nimirum positive repræsentaret, ut unum, objectum illud, quod revera in se non est unum: sicut falsa est cognitio, quæ repræsentat objectum, ut album, quod revera in se non est album.

Dices: requiritur, quod cognitio negative repræsentet plura ad modum unius, non positive: scilicet requiritur, quod non discernat pluralitatem, quæ revera est in objecto; nō tamen, quod positive affirmet pluralitatem, quæ ibi revera non invenitur. Sed contra. Siquidem nego assumptum, tum quia gratis asseritur: tum quia, sic, etiam dici poterit universale objectum unum, confuse cognitum ad modum plurium, negative, ita nimirum, ut intellectus non discernat intrinsecam unitatem talis objecti:

jam enim tale objectum, ex una parte, esset intrinsece unum : ex altera parte, esset extrinsece non unum, sed plura.

XLVI. Dices : hoc objectum non esset extrinsece plura : quia esset extrinsece indivisum , utpote extrinsece non divisum . Ubi autem divisio non adest , indivisio habeatur necesse est , juxta doctrinam aristotelicam . Sed contra , nego antecedens , & ejus probationem . Ad id , quod additur ex Aristotele , distinguo antecedens : ubi non adest divisio , habetur indivisio , pro statu reali , concedo : pro statu objectivo , nego , seu subdistinguo : extrinsece principiative ; concedo : extrinsece terminative , nego antecedens , & consequentiam . Explico deinde distinctionem . Pro statu reali , ubi non est divisio , est indivisio ; sicut & vice versa , ubi non est indivisio , invenitur divisio : cum inter hæc duo non detur mediū : quidquid enim datur a parte rei , vel est divisum , vel indivisum : sive de cætero indivisio concipiatur ad modum carentiæ , sive ad modum rei positivæ , trahentis carentiam divisionis ; quod non facit ad rem præsentem . Pro statu objectivo , vel consideratur ipsamet cognitio formaliter , & in se , & principiative ; vel consideratur id , quod cognitio positive affirmat , aut expresse repræsentat ex parte actus . Si primum ; est ipsa cognitio , quæ sane vel est una , vel multiplex , adeoque vel divisa , vel indivisa : quod est esse extrinsecum objecti , vel unum , vel multiplex ; scilicet vel indivisum , vel divisum : cum inter hæc duo , ut patet , non detur medium . Si secundum ; in hoc sensu , esse positive divisum , & positive indivisum , non opponuntur : adeoque poterit , pro statu objectivo , deesse utrunq ; si nimirum cognitio nec affirmet , objectum illud esse unum ; nec affirmet , esse plura : sed omnino præscindat . Sicut , in hujusmodi casu , idem objectum erit negative utrunque , tum scilicet negative divisum , tum negative indivisum : quod nihil aliud est , nisi , quod talis cognitio nec positive exprimit , illud objectum esse unum ; nec positive exprimit , esse multiplex : quod est , negative objectum illud , pro statu objectivo , esse utrunque , scilicet nec positive divisum , nec positive indivisum . Sic , licet pro statu reali Petrus , & ejus carentia opponantur , nec possint simul esse , aut simul deesse ; non tamen ita pro statu objectivo : siquidem , pro statu objectivo , potest nec esse Petrus , nec carentia Petri : puta , si aliqua cognitio nec repræsentet positive Petrum , nec positive repræsentet carentiam Petri , ut passim contin-

tingit in cognitionibus, quæ solum aliquid aliud repræsentant.  
Ex dictis,

XLVII. Dico 4. In principiis adversariorum, immerito negatur, quod unum objectum, cognitum multiplici cognitione, sit universale. Assertio probatur: quod est unum in multis, modo supra explicato, est universale: atqui objectum, v. g. Petrus homo, cognitus multiplici cognitione, est unum in multis, modo supra explicato: ergo est universale. Major est definitio universalis aristotelica, etiam ab adversariis recepta. Minor probatur: Petrus est intrinsece unum, ut patet: extrinsece est multiplex, quia habet multiplex esse extrinsecum: cum substat pluribus cognitionibus, quæ sunt plures sui imagines: ergo Petrus est unum plura: ergo universale. Si enim, per adversarios, ad universale constituendum, sufficit pluralitas intrinseca, & unitas extrinseca; quare non etiam satis erit unitas intrinseca, & pluralitas extrinseca, ad alterius generis universale constituendum? Dices: hoc universale ita constitutum, non esset prædicabile de multis: ergo non esset rigorosum universale. Sed contra: nego etenim antecedens: & contra sic argumentor: hoc universale, v. g. humanitas Petri, est prædicabile de Petro: sed Petrus est multiplex, adeoque multa: ergo hoc universale est prædicabile de multis. Minor probatur: Petrus est extrinsece plura; cum habeat multiplex esse extrinsecum, ut constat ex præcedente assertioni: ergo Petrus est plura, prout ad universalitatem requiritur.

Dices: universale debet posse esse objectum scientiarum: sed Petrus, quantumvis cognitum multiplici cognitione, non ita se habet: ergo non est universale. Sed contra est: quia cum ipsis adversariis, de quibus dictum est supra n. 7. distinguo majorem: universale secundum id, quod dicitur independenter ab intellectu, concedo: secundum id, quod dicitur dependenter ab intellectu, nego majorem: & distinguo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Et dico: Petrus homo, secundum id, quod dicitur independenter ab intellectu, est objectum scientiarum: quia, cum sit unum, & idem cum omnibus aliis hominibus, unitate, & identitate similitudinis; in hoc sensu, Petrus est omnis homo: adeo ut scientiæ firmæ sint, & infallibiles, si discurrant de omnibus, & singulis aliis hominibus, præcise ut talibus; eo modo, quo discurrunt de Petro, præcise ut homine.

XLVIII. Di-

XLVIII. Dico 5. In eadem hypothefi, immerito negant adverfarii, plura fimilia, per hoc præcife, quod fint fub uno actu cujufcunque potentia, ex illis, quarum actus reputantur repræfentatio, & imago objecti, v. g. plura fimilia repræfentata, fuo modo, per unam imaginationem, feu per unam vifionem, quin etiam per unum fpeculum, & picturam; dici poffe, fuo modo, univerfale: jam enim habent pluralitatem intrinsecam, & unitatem extrinsecam in imagine. Seu assignetur, quare unitas confufionis fit fufficiens ad univerfale, per adverfarios; non autem unitas repræfentationis quomodocunque: neque enim requiritur, ut potentia, quæ facit univerfale; eadem poffit illud prædicare: ficut non opus eft, ut eadem potentia, quæ poteft aliquid opus facere; poffit illud destruere, & in frufta reducere.

Dico 6. Dixi: quarum actus reputantur imago, & repræfentatio objecti: nam utrum voluntas, attingendo plura fimilia, per unum actum amoris, vel odii, dici poffit facere univerfale, ftantibus principiis adverfariorum; quæftio erit de vocabulo: quia proprie actus voluntatis non dicuntur repræfentatio, & imago intentionalis fui objecti, adeoque nec effe extrinsecum illius; licet minus proprie dicatur voluntas, aliquo modo, dare effe objectivum rei amata, vel odio habitæ: quæ ideo dicitur effe objective in voluntate, cum amatur, vel odio habetur.

Dico 7. Utrum autem, in hac eadem hypothefi, intellectus agens facere poffit univerfale; negant plures, affirmant quidam thomiftæ apud Suarez. Porro, intellectus agens, dicitur intellectus, prout producus sibi fpeciem impreffam: quæ eft qualitas quædam fubftituta, & vicaria objecti, in ordine ad determinandam potentiam ad producendam cognitionem de eodem objecto: & vocatur, intellectus agens, ad diftinctionem intellectus paffibilis, feu poffibilis, ut alii loquuntur; qui eft intellectus, prout producus sibi fpeciem expreffam, id eft cognitionem talis objecti. Cohærenter ad hæc,

Dico 8. Si fit una fpecies impreffa, de pluribus fimilibus objectis; dici poterit univerfale in determinando: quia, cum fit una, determinat potentiam ad producendam cognitionem, quæ eft imago objectorum, complens univerfale prædictum: quoniam vero fpecies impreffa proprie non eft imago, feu cognitio, aut repræfentatio objecti; non dicitur ejusdem effe extrinsecum: adeoque, hoc fupposito, plura objecta per unam fpeciem impreffam, cum

cum non reddantur extrinsecè unum; per hoc præcise non sunt universale in essendo. Quod si appellare velis speciem impressam, suo modo, imaginem, & esse extrinsecum objectorum; ultro concedam, intellectum agentem posse, modo suo, facere universale. Verum, qua ratione species impressa dicatur formaliter imago objecti, cum non sit formaliter objecti repræsentatio; sed mere determinet potentiam ad producendam cognitionem, quæ est formalis repræsentatio objecti?

## ARTICULUS XVI.

Solvuntur objectiones.

XLIX. **O**bjicies 1. Contra tertiam assertionem: si hoc esset; posset Deus facere universale, in hoc sensu: cognoscit enim plura, quin omnia, per cognitionem clarissimam: consequens est absurdum: ergo, & antecedens.

Respondeo, nego minorem: absurdum esset in Deo, facere universale per cognitionem obscuram, & confundentem; non autem per cognitionem claram, & discernentem unum ab alio perfectissimè.

Objicies 2. Contra eandem assertionem: cognitio clara, repræsentans plura, non est una in repræsentando: ergo non est sufficiens ad universale constituendum.

Respondeo, nego antecedens: quia, ut sit una in repræsentando, gratis requiritur aliud, quam, quod sit una repræsentatio formaliter, & in se; licet multiplex objective, & in termino, quem repræsentat, dum plura simul repræsentat.

Objicies 3. Contra eandem assertionem: ea, quæ habent divisionem; in eo genere, in quo divisionem habent, non sunt unum: sed plura clare cognita, licet una cognitione, divisionem habent in repræsentando: ergo non sunt unum in repræsentatione.

Respondeo, omissa majore, nego minorem: quia, quæ repræsentantur eadem cognitione, & repræsentatione, non habent divisionem in repræsentatione: cum eadem omnino sit, & indivisa repræsentatio omnium. Ubi advertite, me non negare, quod habeant divisionem in se, & terminative; sed in repræsentatione, & formaliter. Hoc autem dico, ad hominem: id est, positis adversariorum principiis; ad universale constituendum, satis esse debere.

L. Ob.



L. Objicies 4. Contra eand. Plura similia, clare cognita, sunt actu divisa extrinsece : ergo non sunt unum extrinsece.

Respondeo , nego antecedens : quia actu habent unum , & idem esse extrinsecum ; scilicet unam, eandemque repræsentationem : licet, per hanc, eorum multiplicitas intrinseca discernatur.

Objicies 5. Contra eand. Ergo omnes creaturæ poterunt dici unum passive in causando ; quatenus omnes pendent ab una causa prima , quæ est Deus.

Respondeo , concedo consequentiam, in hoc sensu, cum hujusmodi addito . Quid tum ?

Objicies 6. Contra eand. Ergo Deus poterit dici unum active in causando ; quatenus , ab ipso pendent creaturæ , tanquam a causa prima , & universali.

Respondeo , concedo consequentiam, in hoc sensu, cum hujusmodi addito . Quid in hoc absurdi ?

Objicies 7. Contra eand. Cognitio illa , ex vi cuius, intellectus ita attingit plura , ut possit reddere rationem de eorum pluralitate ; non est eorum unitas extrinseca , & intentionalis : ergo falsa conclusio.

Respondeo , nego assumptum antecedentis : quia , adhuc talis cognitio est una , eademque eorum repræsentatio , & imago : ergo unum , idemque esse eorum extrinsecum : ergo unitas extrinseca intentionalis eorundem.

Objicies 8. Contra eandem assertionem : perfectior est unitas cognitionis, confundentis plura , quam cognitionis, clare repræsentantis pluralitatem , seu discernentis : ergo, quanvis prima sufficiat ad universale constituendum ; non tamen secunda.

Respondeo , omisso antecedente , nego consequentiam : quia adhuc poterit utraque unitas sufficere ad constituendum universale , quanvis magis , vel minus perfectum.

Dixi , omisso antecedente , quia illud videtur falsum : unitas enim cognitionis eatenus est unitas extrinseca objecti, quatenus est unum esse extrinsecum , idest una imago , & repræsentatio ejusdem : atqui non minus est una imago , & repræsentatio, idest una cognitio ; adeoque unum esse extrinsecum objecti, cognitio clara , quam obscura : ergo, in ratione unitatis formaliter, una non exceditur ab altera , licet excedatur in alia perfectione : sicuti æque est unus homo Petrus , ac unus angelus Gabriel ; licet, enititative quo ad alia, se habeant diversimode.

Ant. Forti.

II. Ob-

LI. Obijcies 9. Contra eandem: cognitio clara, representans plura, ut plura, non est eorum indivisio extrinseca: ergo non est eorum unitas extrinseca.

Respondeo, nego antecedens: quia est una eorum imago, licet representans clare plura: ergo est unum esse eorum extrinsecum, licet representans clare eorundem multiplicitatem intrinsecam: ergo est indivisio extrinseca divisorum intrinsece, id est illorum, quæ intrinsece sunt divisa.

Obijcies 10. Contra eandem: cognitio, confundens, dicitur unitas extrinseca plurium; quia est obscura, & confundens, & representans plura ad modum unius: ita ut potius determinet intellectum ad dicendum, quod sint unum, quam, quod sint plura: sed cognitio clara non est huiusmodi: ergo non est unitas extrinseca plurium.

Respondeo, nego causalem majoris: cognitio enim non est unitas extrinseca objecti, nisi quia est unum esse extrinsecum, ejusdem, quippe una imago, & representatio: sive de cetero obscura sit, sive clara: aliter negandum, quod cognitio obscura sit unitas extrinseca plurium. Ubi contra illos, qui volunt, cognitionem, confundentem plura, esse unitatem eorundem, per hoc præcise, quia signate, non affirmat pluralitatem eorundem; contra est: quia eadem cognitio esse deberet ex eodem capite pluralitas extrinseca plurium: cum signate non affirmet eorum unitatem. Contra eos vero, qui volunt, dictam cognitionem esse unitatem; quia esse potest occasio intellectui, ut per cognitionem falsam affirmet, illa plura esse unum; sic argumentor: ergo, si intellectus ita obscure cognoscat unum, ut potius determinetur ad dicendum, quod sint plura; hæc cognitio erit huius objecti pluralitas extrinseca; quod adversarii negant. Dicendum igitur, in hypothesi, in qua loquimur, materialiter se habere, obscuritatem, vel claritatem cognitionis, in ordine ad objecti unitatem extrinsecam.

LII. Obijcies 11. Contra eandem assertionem: ergo, si Petrus cognoscatur per multas cognitiones, dici poterit, viceversa, suo modo universale in essendo: erit enim unum intrinsece, & extrinsece plura.

Respondeo, concedo consequentiam, ob rationis identitatem. Siquidem vel utrunque, vel neutrum dici, & reputari debet universale.

Phil. Neg. Log.

G g g

Ob-

Obijcies 12. Contra quintam assertionem, cum Lynceo: ut fiat universale, debent attingi omnia singularia illius speciei: sed oculus non potest videre simul omnia singularia unius speciei: ergo oculus nō potest facere universale. Minor probatur: quia plura sunt absentia, plura non existentia: sed oculus nequit videre absentia, & non existentia: ergo oculus nequit videre simul omnia singularia unius speciei.

Respondeo, nego majorem, vel distinguo: ut fiat universale, in tota sua latitudine, concedo; ut fiat universale, non in tota sua latitudine, nego majorem: & omissa minore, nego consequentiam, vel distinguo consequens: in tota latitudine, transfer; non in tota latitudine, nego consequentiam. Dixi, omissa minore, quia potest oculus, juxta nostra principia, elevari ad videndum, non solum absentia; verum etiam non existentia, quā & non existibilia, ut dictum est *disp. 6. arr. 13. n. 60. & sequ.*

# ARTICULUS XVII.

Octava sententia.

Pro unitate cognitionis chimerizantis.

LIII. **D**ico 1. Quidam recentiores volunt, universale constitui per plura similia; tanquam per substratum: & tanquam per formam, per cognitionem confundentem, seu præscindentem quidem ex parte actus, at fingentem in naturis carentias differentiarum chimericas.

Dico 2. Contra hanc sententiam est, primo: quia hoc universale est superfluum: cum possit universale commode alio modo constitui, citra omnem fictionem. Et quidem tum intrinsece, juxta nostra principia, tum extrinsece; ex suppositione, quod cognitio sit imago, & imago sit esse extrinsecum objecti, juxta superius tradita.

LIV. Secundo contra est: quia hoc universale non est perfectius nostro, nec universali, constituto per unitatem extrinsecam. Non est perfectius nostro: quia nostrum habet unitatem realem intrinsecam, independentem ab intellectu: hoc vero nequaquam. Non est perfectius universali, constituto per unitatem extrinsecam: quia hæc unitas, per adversarios, vel est ipsa cognitio chimerizans, & fingens carentias chimericas: vel sunt ipsæ carentiæ fictæ chimericæ: si hæc unitas est ipsamet cognitio

tio fingens, & chimerizans; contra est, quia peto: hæc maior perfectio, & maior rigorositas hujusce unitatis, vel desumitur ex ipsa cognitione formaliter, quia scilicet esse est extrinsecū objecti; adeoque cum sit una, reddit illud unum extrinsece: vel desumitur ex ipsa cognitione effective, scilicet ex effectu, quem præstat fingendo, & chimerizando. Si primum; æque est una cognitio fingens, & chimerizans, ac cognitio non chimerizans; si ve de cætero obscura sit, si ve clara: adeoque quo ad hoc æquiparantur. Si secundum; contra est, quia, sicut cognitio chimerizans præstat suum effectum formalem, quod est, chimerizando, fingere carentias, (neque enim vere facit, ut resultent carentiæ illæ, quas fingit) ita cognitio, præscindens confundit; & non, præscindens vere repræsentat plura; qui est effectus formalis utriusque cognitionis: ergo non est, cur cognitio chimerizans dicatur præstare suum effectum formalem magis rigorose; ideoque meliorem unitatem efficere: cum hæc non melius chimerizet, quam cognitio præscindens confundat, & cognitio clara repræsentet. Ceterum, præter hunc effectum formalem, non videtur, quid melius efficiat cognitio chimerizans, quod faciat ad rem. Si hæc unitas sunt ipsæ carentiæ; contra est: quia hæc non est unitas, sed umbra unitatis; adeoque proprie, & rigorose nulla unitas: sicut chimera non est ens, sed umbra entis; adeoque absolute, & simpliciter nullam ens: ut homo pictus est absolute, & simpliciter nullus homo: ergo hæc unitas chimerica non est perfectior unitate extrinseca: quia hæc, licet extrinseca, est tamen vera, & realis.

Tertio contra est, quia hoc universale est ineptum, tum ex parte multiplicatis, tum ex parte unitatis, ut sequentibus asseritionibus innotescet. Nam

LV. Dico 3. Est ineptū ex parte multiplicatis: quia non est unum aptum esse, & prædicari de pluribus. Probatur: vel est ita aptum, quo ad substratum, vel quoad formam: neutrum dici potest; ergo nō est unum aptū esse, & prædicari de pluribus. Minor probatur: quia, non quoad formam: cum hæc, vel sit chimerica, quippe carentia differentiarū identificatarum cum ipsa natura, ut ajunt adversarii; vel sit cognitio ipsa chimerizans: quarum neutra identificatur realiter cum natura: adeoque neutra est prædicabilis cum veritate de illa. Non quoad substratum: quia natura Petri, v. g. quæ deinde cum veritate prædicatur de Pe-

tro, non est natura, quæ prius cognita fuerat per cognitionem illam chimerizantem: ergo substratum cognitionis chimerizantis non est in Petro: nec prædicabile, etiam inadæquate, de illo. Antecedens probatur: natura, quæ est in Petro, & cum veritate prædicatur de Petro, non est objectum chimericum, sed absolute reale: atqui natura, cognita per cognitionem illam chimerizantem, est objectum chimericum: ergo natura, quæ est in Petro, & prædicatur de Petro, non est natura, quæ fuit objectum cognitionis chimerizantis. Major non indiget probatione: nulla enim chimera est revera identificata realiter, adeoque prædicabilis cum veritate de aliquo ente absolute, & simpliciter reali. Minor probatur: quia natura identificata, seu unita cum carentia chimerica differentiæ propriæ, non est objectum absolute, & simpliciter reale, sed chimericum: sicuti non est objectum reale, sed chimericum, divinitas identificata cum carentia Trinitatis: vel Petrus identificatus cum equo. Natura autem, cognita per cognitionem illam chimerizantem, est natura identificata, seu unita cum carentia chimerica differentiæ propriæ.

LVI. Dico 4. Est ineptum ex parte unitatis, & quidem ad hominem: quia, per adversarios, unum ex argumentis, quibus unitas cognitionis confundentis reputatur ab ipsis inepta ad universale constituendum, est illud, videlicet: implicat in terminis unitas extrinseca, sicuti ens extrinsecum: atqui cognitio est extrinseca pluribus: ergo non potest esse eorum unitas. Quod quidem argumentum, quanvis gratis assumat majorem, nec coherentur: cum iidem adversarii supponant, quod omnipotentia sit possibilitas extrinseca effectuum, quos potest producere; contra ipsos retorqueri poterit tali pacto. Quando dicitur, quod unitas debet esse intrinseca; vel sensus est, quod debeat esse intrinseca toti concreto, quod est universale: vel intrinseca substrato ejusdem. Si primum; jam cognitio est intrinseca toti universali, cum quo inadæquate identificatur; sive confundens illa sit, sive clara, utpote ejus forma, & pars constitutiva: ergo male arguunt adversarii, ex hoc capite, contra unitatem confusionis, aut cognitionis, etiam claræ. Si secundum; contra est, quia, per adversarios, unitas universalis, vel est ipsa cognitio chimerizans, vel ipsa carentiæ chimericæ: neutrum est intrinsecum substrato, v. g. multitudini hominum: ergo neutrum est unitas, apta ad universale constituendum. Minor probatur.

batur : quia, cognitio chimerizans est extrinseca , ut patet : carentia chimera est maxime extrinseca : neque enim ulla chimera potest esse intrinseca , sive per identitatem , sive per unionem , ulli multitudini, absolute , & simpliciter reali . Quod si dicas : sufficere , quod sit unitas intrinseca chimerice ; primo , contra est : quia, sicut esse chimericum est absolute , & simpliciter non esse ; ita unitas, intrinseca chimerice, est absolute , & simpliciter non intrinseca : nec ulla natura absolute , & simpliciter realis habet re vera, ullo modo, intrinsecam sibi chimera . Secundo , contra est : quia, si sufficit unitas intrinseca chimerice, id est absolute , & simpliciter non intrinseca, quia absolute , & simpliciter non existens , nec existibilis ; quare non etiam sufficiat unitas extrinseca quidem , sed realis absolute , & simpliciter ?

Dico 5. Est præterea contra adversarios : quia, cum ita philosophentur ; immerito negant deinde, quod dici poterit universale , unus homo , v. g. cognitus cum sui multiplicatione chimera : vel plures homines, cogniti cum sui unitate chimera . Cur enim sufficit unitas , & non multiplicitas cognitionis chimerizantis ? cur unitas ex carentiis chimericis differentiarum , & non ex positiva chimera plurium unitate ?

## A R T I C U L U S XVIII.

### Nona sententia

#### Pro unitate vocali .

LVII. **D**Ico 1. Nominales, omne aliud universale negarunt , præter illud , quod ipsi autumant arbitrarium , scilicet situm in vocibus, seu in aliis signis pro libito manifestantis, quæ, loco rerum, substituuntur . Itaque , per hos auctores, hæc vox , homo , erit universale , præcise quia una vox est, plura significans.

Dico 2. Contra hanc sententiam est : quia universale in essendo vel sunt solæ voces , vel concretum inde resultans . Si solæ voces (idem de hujusmodi signis , sive internis , sive externis) esse illæ non possunt universale in essendo, quod quærimus, vere , & absque ulla fictione , & mendacio de pluribus prædicabile : neque enim vox , & hujusmodi signa identificantur cum rebus, quas significant : neque cum dicimus : Petrus est homo ; sensus est , Petrum esse hanc vocem, homo , aut quodlibet aliud si-

signum materialiter sumptum, quod loco Petri substituitur.

Si tamen universale Nominalium ita explicetur, ut sit concretum, constans ex pluribus similibus, repræsentatis per eandem vocem, aut per idem signum, v.g. homines expressi hoc vocabulo, homo: ita ut plura similia sint substratum, & multiplicitas; vox vero ipsa sit forma, & unitas quædam, qua fiant extrinsece unum; de hoc universali simile esto iudicium, ac de universali per intellectum, constituto per unitatem extrinsecam. Vox enim, cum sit signum objecti, dicitur passim, aliquo modo, repræsentatio, & imago ejusdem; adeoque, in hac hypothesis, esse quoddam extrinsecum illius. Ubi notandum, quod, cum vox, humano modo prolata, mentis conceptum præsupponat; hoc universale, factum ab homine, ut homo est, præsupponeret universale per intellectum.

### DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI.

*Primo, de genere. Secundo, de specie. Tertio, de differentia. Quarto, de proprio. Quinto, de accidente. Sexto, an hæc divisio sit adequata. Septimo, an universale sit genus respectu quinque prædicabilium.*

## A R T I C U L U S XIX.

De genere.

LVIII. **D**ico 1. Quoniam de genere quæri solet primo, quid sit. Secundo, quotuplex sit. Tertio, an sit univocum. Quarto, an essentialiter exigens plures species. Quinto, an habens sub se individua generica; quoad hæc, ordine suo procedendo: genus, quod varias, apud grammaticos, habet significationes: significat enim quandoque sexum, v. g. Marcellus est generis masculini, Berta generis fœminini; quandoque stirpem, v. g. genus Æneadum; quandoque patriam, v. g. Æneas genere Trojanus; hic tamen, pro ut a philosophis sumitur genus, & quidem logicum, quatenus primum, quinque universalium in particulari, quæ communiter quinque prædicabilia nuncupantur; metaphysice est, ex Porphyrio, & Aristotele: quod de pluribus, differentibus specie prædicatur in eo, quod

*quod quid*. Per *Tò*, prædicatur, intelligitur, juxta communem interpretationem, actus primus, aptitudo nimirum, ut prædicetur: non autem prædicatio ipsa in actu secundo, quæ non est de essentia generis: sicuti non est de essentia hominis ratiocinari in actu secundo, sed in actu primo, hoc est aptitudo ad ratiocinandum, scilicet rationalitas. Quæ definitio passim recipitur, utpote rem definitam explicans per genus, & differentiam, nec ullo contra regulas bonæ definitionis vitio laborans. Jam se habent, ut genus, in prædicta definitione verba illa: *quod de pluribus prædicatur*: per quod convenit primum hoc prædicabile cum aliis prædicabilibus, quæ etiam de pluribus prædicantur, utpote universalia: se habent, ut differentia, illa verba: *de differentibus specie, in eo, quod quid*: per quam genus differt ab aliis prædicabilibus. Enim vero per *Tò*, *de differentibus specie*, genus differt a specie: quæ præcise, ut species, non est prædicabilis de pluribus, differentibus specie, sed de differentibus solo numero. Cum autem genus prædicetur de pluribus differentibus specie; necesse est prædicari de illis, secundum id, in quo conveniunt: non autem secundum id, in quo discrepant: adeoque prædicari oportet, non, ut totam essentiam, sed inadæquate, & ut partem, seu quasi partem essentiæ materiam: non autem, ut partem formalem. Per *Tò*, *in eo, quod quid*, genus differt a modo prædicandi, quod competit differentię; quæ prædicatur in quale quid: nec non a proprio, & accidente, quæ apta sunt de suis inferioribus prædicari, in quale pure: quæ, ut melius innotescant,

LIX. Dico 2. Prædicari, in quid, est prædicari essentialiter: nimirum esse constitutivum essentiæ rei, de qua prædicatur. Quando enim inquitur, quid sit res, v. g. quid sit homo; respondetur per essentiam, saltem inadæquatam, dicendo, est animal: quod, utpote genus, & pars definitionis speciei; non potest illi non esse essentialiter: & quidem prædicari in quid, est prædicari essentialiter, & ad modum per se stantis, ut ajunt, seu ad modum subjecti metaphysici, quod per aliquam formam, suo modo, determinetur: cum enim interroganti, quid sit homo, respondetur: est animal; advenire debet ulterius id, per quod determinetur, quale animal illud sit: genus enim, seu prædicatum genericum, cujusmodi est, animal; est suo modo indifferens, ut per hanc, vel illam differentiam contrahatur ad hanc,



hanc, vel illam speciem constituendam. Prædicari in quale quid, est prædicari essentialiter quidem, non autem ad modum per se stantis, sed ad modum formæ, alteri adjacentis; quod est proprium differentię essentialis, ut cum dicitur: Petrus est rationalis. Prædicari in quale pure, est prædicari ad modum formæ, alteri adjacentis, & accidentaliter, hoc est extra essentiam, v. g. Petrus est risibilis, est albus. Itaque idem, quoad rem, significare voluerunt, qui genus definire, per alios terminos, dicendo; genus est id, quod prædicatur de pluribus, in quid incomplete: vel genus est id, quod prædicatur de pluribus, tanquam pars materialis essentię.

LX. Dico 3. Genus, hætenus metaphysice definitum, si sumatur primo intentionaliter; est physice collectio plurium: similitudinem quidem, sed etiam specificè dissimilitudinem, seu differentium inter se: nempe confundibilium, per cognitionem, ortam ex connotatis propriis illius collectionis, ut sunt sensationes in omnibus animalibus: sed discernibilium aliunde, per cognitionem minus obscuram. Genus vero, secundo intentionaliter sumptum, physice importat eandem collectionem, prout substantem cognitioni, seu unitati extrinsecæ. Utriusque assertionis probatio, & explicatio constat satis ex supra dictis.

. Dico 4. Hinc deducitur, quodnam sit definitum in definitione generis, & cuiuscunque alterius universalis, proportionè servata. Scilicet in definitione generis, primo intentionaliter sumpti, definitum sunt plura similia, sed aliunde, & specie diversa inter se. In definitione generis, secundo intentionaliter sumpti, definitum est totum concretum, resultans ex collectione prædicta, & cognitione, quæ est unitas extrinseca. Quandoquidem hoc concretum est unum, aptum inesse, & prædicari de pluribus, differentibus specie, in quid: ita tamen, ut definitum denominative, in recto, & ut quod, sit ipsa collectio: quæ se habet, ut subjectum, seu substratum, de quo verificatur, fieri unum extrinsece: definitum vero in obliquo, & ut quo sit ipsa cognitio: quæ se habet, ut forma, quæ prædicta collectio evadit unum extrinsece: simili modo, quo discurremus in definitionibus aliorum concretorum accidentalium, ut cum dicitur: album est affectum albedine; videns est affectum visione; sanctum est affectum sanctitate, ut ad huiusmodi denominationes requiritur.

Ant. Forti.

LXI. Di-

LXI. Dico 5. Triplex recenseri solet genus, nimirum primo supremum, secundo subalternum, seu medium, tertio infimum. Genus supremum, quod etiam appellari solet genus generalissimum, est, quod, in eadem linea, non habet aliud genus supra se, ut, in arbore Porphyrii, substantia reputatur. Genus subalternum, seu intermedium dicitur a philosophis, quod tum supra se, tum sub se, habet aliud genus, cujusmodi est vivens, quod, in arbore Porphyriana, sub se habet animal, & supra se corpus. Genus infimum est, quod non aliud genus, sed duntaxat species, sub se continet. Dari autem hoc genus infimum, pro certo passim supponitur. Cæterum hujus generis exemplum assignare mihi difficillimum est: vulgo assertur animal, quod de homine, equo, leone, ave, pisce, quæ sunt varix species animalium, prædicatur. Sed adhuc animal videtur continere sub se plura genera: multæ enim aves, & pisces inter se reputantur differre specie, ut aquila a corvo, delphinus a murena: verum in his, & similibus, quo ad modum loquendi, servanda statuta philosophorum.

Dico 6. Prædicta generis definitio tum generi supremo, tum subalterno, tum infimo, univoce competit: quodlibet enim genus prædicatur in quid de pluribus, differentibus specie. Quod si genus supremum, & subalternum, prædicari etiam possint de differentibus genere; non obstat prædictæ definitioni: siquidem quæ differunt genere, differunt etiam specie. Hinc quodlibet genus, immo etiam quodlibet universale, & prædicabile, etiam si fiat per unitatem extrinsecam cum fundamento in re; univocum est. Assertio probatur: univoca sunt, quorum nomen commune est, ratio vero, per nomen significata, est omnino eadem, idest similis, & confundibilis; adeo, ut cognosci possint per unam cognitionem, qua v. g. appellantur substantia, corpus, vivens &c. sed hujusmodi est genus, immo etiam quodlibet universale, in ea ratione, in qua est tale: ergo univocum. Quod si Aristoteles doceat, sub genere, latere æquivocationes, adeoque non esse unum; sensus est, ex Divo Thoma, quod collectio plurium, quibus constituitur genus, v. g. collectio animalium, ita contineat similia; ut eadem simul sint dissimilia; quatenus omnia confundibilia sunt per cognitionem, ex vi cuius appellari possint animal: licet non sint confundibilia per cognitionem, ex vi cuius omnia appellari possint rationale, & rugibile,

Phil. Neg. Log.

H h h

le,

le, homo, & leo; adeoque omnia sint unum genus, non una species. Ex dictis,

LXII. Dico 7. Genus requirit essentialiter plures species. Probat: quia genus in unica specie salvari non potest, ut patet ex ipsa definitione: cum genus sit id, quod prædicatur in quid de pluribus, differentibus specie: adeoque si solus homo possibilis esset, & non alia animalia, ex vi prædicati hypothetis, animal non esset genus: quia non esset prædicabile de pluribus, differentibus specie, neque prædicabile in quid: non enim prædicaretur de homine, ut pars materialis, quæ nimirum ex se esset indeterminata ad hanc, vel illam speciem constituendam, & determinaretur a rationalitate, tanquam a forma.

Dico 8. Dicitur communiter genus habere sub se sua individua generica: non solum, quia ex parte objecti, quodlibet individuum dici potest genus, inadæquate sumptum, hoc est pars generis, sumpti in tota sua latitudine: licet quodlibet individuum sit, per similitudinem, tota collectio generica, juxta nostra principia; sed etiam, quia ex parte actus, hi conceptus: hoc animal, hoc vivens, hoc corpus, sunt ex una parte conceptus, aliquo modo, individuales: cum importent aliquam hæc- ceitatem, ut patet: ex altera parte sunt generici, quatenus important gradum genericum, in ordine ad quem, quodlibet individuum sit confundibile cū aliis, animalibus, v.g. per cognitionem obscuram, ex vi cujus, appellari possit animal. Prædicta individua generica passim appellantur, individua incompleta: non quia ex parte objecti quid incompletum importent; sed quia eorum conceptus, formaliter præcisi vi, sunt inadæquati ex parte actus: cum non explicent speciem, & essentiam, ea claritate majore, qua illam explicant hi conceptus: hic homo, hic equus, hic leo; qui ideo conceptus specifici, & completi nuncupantur. Utrum autem genus, in actuali prædicatione de suis inferioribus, totam suam universalitatem, puta genericam, ut antea, retineat; idem esto judicium, ac de universalī in communi *dispositio* *hæc n. 20.* Jam Arriaga, & Oviedus volunt, hanc prædicationem formaliter esse specificam, materialiter genericam: Comptonus, esse absolute genericam.

A R T I C U L U S XX.

Solvuntur objectiones.

LXIII. **O**bjicies 1. Genus non solum prædicatur de pluribus differentibus specie; verum etiam de pluribus differentibus numero: ergo falsa est generis definitio: Antecedens probatur: quia non solum dicitur: homo est animal, equus est animal; sed etiam, Petrus est animal, Paulus est animal.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam: quia, licet genus prædicetur etiam de pluribus differentibus numero; id tamen necesse non fuit apponere in definitione. Primo, quia, facile subintelligitur: quod enim continet totum, continet partes: si ergo dicimus, genus continere sub se species, & prædicari de speciebus; subintelligitur, continere etiam individua, & prædicari de illis, quæ sunt partes specierum, sub quibus continentur: sic, qui in aliqua linea Petrum superat; a fortiori superat eos, qui superantur a Petro in eadem linea. Secundo, non fuit necesse; id apponere in definitione: quia genus sufficienter intelligitur constitutum, & distinctum ab omni alio prædicabili, per hoc, quod prædicetur de differentibus specie: etiam si ulterius non prædicaretur de aliis differentibus solo numero: nam etiam si unus esset homo, & unus leo, adhuc respectu illorum, animalis esset genus.

**O**bjicies 2. Pars non potest in recto absolute, & simpliciter prædicari de toto: sed genus est pars speciei: ergo non potest in recto absolute, & simpliciter prædicari de specie.

Respondeo, distinguo majorem in pars physica, transeat: pars metaphysica, nego majorem; & distinguo minorem: genus primo intentionaliter sumptum, nego; secundo intentionaliter sumptum, subdistinguo: est pars metaphysica speciei, concedo: pars physica, nego minorem, & consequentiam. Pars physica est, quæ, cum alia comparte realiter distincta, componit totum physicum: ejusmodi sunt anima, & corpus unita, quibus physice componitur homo: & de his partibus dicitur, quod singula non possint prædicari in recto absolute, & simpliciter, & adæquate de toto, rigore loquendo: neque enim dicitur, homo est anima, homo est corpus: sed, homo inadæquate sumptus, est anima; homo inadæquate sumptus, est corpus. Pars vero

H h h 2

met a-

metaphysica potest in se, absolute, & simpliciter, prædicari adæquate (ex parte objecti loquendo) de ipso toto metaphysico: quia realiter, & intrinsece sunt unum & idem: cum pars metaphysica realiter, & objective sit eadem numero res, cognita per cognitionem præcisivam, & inadæquatam ex parte actus: ita; nimirum obscuram, ut, per ipsam, res non possit discerni ab omni non ipsa: & in hoc sensu dicitur, genus secundo intentionaliter sumptum esse pars speciei: quatenus scilicet Petrus, v.g. qui est homo; cognitus cognitione tali, qua possit appellari animal, præcise ex vi talis cognitionis, non potest discerni ab omni eo, quod non est homo. Caterum genus, primo intentionaliter sumptum, secundum omnem sui latitudinem, non est pars speciei, immo addit aliquid aliud supra speciem: importat enim plures species, idest plura individua, specificè diversa inter se: quæ individua varias constituunt species, de quibus genus est prædicabile.

Objicies 3. Genus respectu speciei se habet, ut pars metaphysica: ergo genus male communiter dicitur, esse totum potentiale, seu potestativum, respectu ipsius speciei.

Respondeo, nego consequentiam. Genus dicitur pars metaphysica speciei, juxta prædicta, quatenus conceptus genericus non exprimit ex parte actus totam essentiam, modo sæpius explicato. Dicitur etiā totum potentiale, seu potestativum, respectu ejusdem speciei: quia illam, simul cum aliis speciebus, veluti sub se continet, de quibus, tanquam de suis inferioribus potest, ut superius, prædicari: quæ ratio totius, propria est cujuscunque universalis, respectu suorum inferiorum.

Objicies 4. Ergo male genus vocatur, etiam totum actuale.

Respondeo, nego consequentiam: dici etiam potest genus totum actuale, sub diversa consideratione, & respectu: pro ut scilicet constitutum a suis prædicatis, v.g. animal ex vivente, & sensitivo; quanvis in hoc sensu, potius ut species, quam ut genus consideretur.

Objicies 5. Tradita definitio generis competit etiam accidenti, quinto prædicabilem: ergo competit alteri a definito. Antecedens probatur: color, v.g. prædicatur de pluribus, differentibus specie, inquit: nam prædicatur de albedine, nigredine: atqui color est accidens, quantum prædicabile: ergo &c.

Re-

Respondeo, distinguo antecedens: competit accidenti, ut genus est, concedo; ut accidens est, nego antecedens, & consequentiam: ad cujus probationem, distincto, eodem modo, consequente, nego consequentiam, & explico distinctionem. Tradita definitio generis competit accidenti, considerato respectu suorum inferiorum, seu specierum, v. g. colori, respectu albedinis, & nigredinis: respectu quorum, color est genus, sicut animal, respectu hominis, & equi; non autem competit accidenti, considerato respectu subsectorum, quibus accidit: respectu quorum, color consideratur, ut accidens.

Objicies 6. Tradita definitio est manca: ergo rejicienda. Antecedens probatur: genus, non solum prædicatur de differentiis specie, sed etiam de pluribus differentiis: dicitur enim, rationale est animal, hinnibile est animal.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo antecedens: genus prædicatur de differentiis, substantive acceptis, concedo; de differentiis, adjective sumptis, subdividuo: prædicatione indirecta, concedo; directa, nego antecedens, & consequentiam. Differentiæ, substantive acceptæ, sunt species: & idem est dicere in hoc sensu: rationale est animal; ac dicere: homo est animal. Genus, cum prædicatur de differentiis, adjective sumptis; prædicatur prædicatione indirecta: de qua proprie, & per se non curant logici.

Objicies 7. Aristoteles 7. *metaphysicorum* appellat genus formam: ergo genus non prædicatur de speciebus, ut pars materialis, seu ut subiectum; sed ut pars formalis, nimirum ut forma.

Respondeo, nego consequentiam: genus enim appellatur quandoque forma, quatenus, suo modo, dicitur pars essentiæ, ac speciei: nam essentia, & quælibet essentiæ pars, forma nonnunquam a philosophis nuncupatur.

LXIV. Objicies 8. Nequit explicari, an in homine v. g. sit totum genus, necne: ergo non hæcenus bene explicata est essentia generis.

Respondeo, nego antecedens: & dico, juxta nostra principia de universali in communi, deque ejusdem prædicabilitate, & prædicatione; genus esse inadæquate in singulis, rigoroſe; minus rigoroſe, adæquate in singulis suis inferioribus: quod aliqui

qui explicant sub illis terminis: esse nimirum in singulis intensive, licet non extensive, idest non in tota sua latitudine: quatenus nimirum formaliter, sicut verificatur de homine, quod sit animal; ita de equo, leone: licet homo rigorose non sit tota collectio animalium. Sic, inquirunt, intensive & formaliter æque palmus est quantus, ac ulna: æque enim de palmo, ac de ulna verificatur definitio corporis quanti: licet extensive, & materialiter sit magis quanta, seu magis extensa ulna, quam palmus. Et, in casu nostro, æque verificatur de homine, quod sit animal, seu principium sentiendi, ac de omnibus, & singulis aliis animalibus; licet, rigorose, homines omnes, & equi, & leones, & alia bruta sint plura animalia, quam solus homo, idest quam sola species humana. Quid autem sit species, secundum prædicabile, mox videbitur.

## A R T I C U L U S XXI.

De specie.

LXV. **D**ico 1. Quoniam de specie, secundo prædicabili, quæri solet, primo, quid sit. Secundo, quotuplex sit. Tertio, an possibilis species numero immultiplicabilis; ordinate præcedendo, quoad hæc: species, cujus nomen varias habet significationes apud grammaticos; nunc enim significat elegantem corporis formam, seu pulchritudinem; unde vulgatum illud, species digna imperio: nunc significat imaginem, aut similitudinem rei alicujus, suo modo, representativam: nunc aliud; pro ut hic accipitur a philosophis, dicitur natura completa, importans per modum unius genus, & differentiam, ex quibus coalescere intelligitur, modo suo.

Dico 2. Species dividitur in subalternam, & infimam. Subalterna, quam alii vocant intermediam, seu interjectam, est, quæ ita est species completa; ut etiam sit genus, respectu diversorum, in ordine ad quæ considerabilis est: quia nimirum ita constat ex suo genere, & differentia; ut insuper sit prædicabilis de pluribus differentibus specie: hujusmodi est animal, quæ est species viventis, constituta ex vivente, & sensitivo: & præterea continet sub se alias species, hominem nimirum, bovem, leonem, de quibus prædicari potest. Species infima, quam alii specialissimam appellant, est, quæ ita est quid completum; ut nequeat de aliis, differentibus specie prædicari: sed, ad summum, de differentibus numero, v. g. homo, scilicet species

cies humana, quæ, non nisi de Petro, Paulo, Marcello, qui inter se, solo numero differunt, prædicabilis est.

Dico 3. Dividi etiam solet communiter species in subijcibilem, & prædicabilem. Species subijcibilis est species, relate ad genus, sub quo collocatur, quodque de ipsamet specie prædicatur. Species prædicabilis, est eadem species, relate ad inferiora, quæ collocantur sub ipsa, & de quibus ipsamet species prædicatur: quæ divisio, quia celebris, ut melius innotescat,

LXVI. Dico 4. Species subijcibilis, ex Porphyrio *cap. 3.* dicitur, quæ collocatur sub assignato genere, puta immediate: cujusmodi non est individuum, qua tale, quod immediate collocatur sub specie. Seu, ut alii loquuntur, species subijcibilis est, de qua genus prædicatur in quid: idem enim est, speciem collocari sub genere, ac genus de specie prædicari. Nec circulus vitiosus committitur, explicando speciem per genus, genus per speciem: correlativa enim, ut notat Aristoteles 6. *topic.* nisi ad invicem, definiri vix possunt. Sic Pater, non nisi in ordine ad filium; filius, non nisi in ordine ad patrem. Tunc autem, committeretur circulus vitiosus, quando neutrum illorum supponeretur cognitum aliunde. Jam, in casu nostro, quid sit, plura differre specie, non explicatur formaliter per genus, sed aliunde; nempe per differentiam, plus, quam pure numericam: quod aliunde supponitur satis notum.

Dico 5. Etiam si species aliqua unicum duntaxat possibile individuum haberet; adhuc esset species subijcibilis: semper enim verum esset, quod illa subiceretur generi, & quod genus de illa prædicaretur in quid. Quandoquidem species subijcibilis, præcise ut talis, non est universalis; nec prædicabilis. Dixi, præcise ut talis: quia omnes species subijcibiles, cum sint similes inter se, possunt constituere universale; idest collectionem specierum subijcibilium: de quibus, ut genus, prædicetur hic conceptus, qui est, esse speciem subijcibilem.

Dico 6. Species prædicabilis dicitur, quæ prædicatur in quid de pluribus, differentibus numero: seu, ut alii explicant, est, quæ prædicatur de suis inferioribus, ut tota essentia: puta, excepta hæc eitate, quæ logice non dicitur ingredi conceptum essentia, v. g. homo, species prædicabilis est, relate ad Petrum, Paulum, Marcellum. Hinc species prædicabilis, in unico indivi-



dividuo salvari minime potest. Ratio est, quia species, ut prædicabilis, ex ipsa definitione respicit plura individua, de quibus cum veritate prædicari possit. Species autem realis, quæ in unico individuo reali tota consisteret; comparata cū impossibilibus individuis, non esset universale: nec absolute, & simpliciter de illis prædicari posset cum veritate; quidquid in contrarium velint cum Gaetano passim Thomistæ: nec enim hoc, quod est, v. g. esse Deum, est absolute, & simpliciter cum veritate de diis chimericis prædicabile.

## A R T I C U L U S XXII.

Solvuntur objectiones.

LXVII. **O**bjicies 1. Prædicta definitio speciei competit etiam differentiæ: quæ prædicabilis est de differentibus numero, ut tota essentia: dicitur enim, Petrus est animal rationale, Bucephalus est animal hinnibile, Melampus est animal latrabile: ergo est falsa, quippe competens alteri a definito.

Respondeo, omisso antecedente, nego consequentiam: quia, prædicari de Petro definitionem hominis, est prædicari hominem, idest ipsam speciem: quandoquidem definitio, ex Aristotele 7. *metaph. test.* 34. nihil aliud importat, nisi definitum, clarius explicatum. Dixi: omisso antecedente, quia sunt, qui illud negent: differentia enim est, rationale: quod non prædicatur de homine, ut tota essentia. Si autem sumatur tum animal, tum rationale; sumitur ipsamet species, ut diximus, magis clare. Et sunt, qui hoc ipsum distinguant: animal rationale prædicatur de Petro, ut tota essentia, ad modum plurium, transeat: ad modum unius, negant antecedens, & consequentiam. Quia, inquirunt, prædicatio propria speciei est prædicatio ad modum unius, & totius essentia. Quæstio videtur esse de puro nomine.

Objicies 2. Differentia, proprium, & accidens, quæ sunt alia tria prædicabilia, de quibus infra; prædicantur de differentibus solo numero: & quidem explicando totum subjectum propositionis, præter hæcceitatem: ut, cum dicitur: rationale Petrinum est rationale: risibile Petrinum est risibile: ergo tradita definitio speciei competit alteri a definito.

*Ant. Forti.*

Re-

Respondeo, distinguo antecedens: prædicatur, modo prædicato, considerata præcise, ut sunt, differentia, proprium, & accidens, nego: ut species, subdistinguo; relate ad sua individua numerica inferiora, concedo: relate ad subjectum, cujus sunt differentia, proprium, & accidens, ut tale; nego antecedens, & consequentiam. Non dicitur: Petrus est rationale, est risibile; ita ut explicetur tota essentia Petri, etiam hæcceitate seclusa: ergo non habetur de Petro prædicatio propria speciei. Dicitur vero: rationale Petrinum, idest hoc rationale, est rationale: risibile Petrinum est risibile; quia Tò, rationale, Tò risibile, consideratum per se, est species, quæ includit sub se rationale, & risibile Petrinum, Paulinum: de quibus prædicatur, ut tota essentia in sua linea; utque de differentibus, solo numero: ut prædicatur homo de Petro, Paulo, Marcello. Sunt, qui negent, prædictam esse ullo modo prædicationē specificam: quia ad hanc requirunt, subjectum propositionis esse completum: cujusmodi, inquirunt, in subjecta materia, est, homo, non vero rationale, risibile.

LXVIII. Sed contra: nam sicut, in linea hominis, est individuum completum, Petrus; ita, in linea rationalis, est individuum completum, rationale Petrinum; & in linea risibilis, risibile ejusdem: ergo sicut, homo, consideratur, ut quid completum; adeoque ut species, quæ in sua inferiora possit distribui; ita & considerari potest, rationale, seu intellectivum humanum; adeoque ut species, quæ de suis individuis numericis, proportionē servata, possit cum veritate, ut tota quidem essentia, in linea sua, prædicari. Nec mirum est, idem tum physice, tum metaphysice, sumi posse, tum ut partem respectu totius, quod constituit; ut manus respectu corporis: tum etiam, ut totum completissimum, in sua linea; ut manus completa, & adæquata, in linea manus: juxta ea, quæ sæpe alibi dicta sunt, & infra dicenda erunt.

Obijciēs 3. Deus prædicatur de pluribus, differentibus numero, nempe de tribus divinis Personis; & tamen non est species prædicabilis: ergo falsa est tradita definitio speciei.

Respondeo, nego antecedens: Deus est prædicabilis de pluribus, in ratione Personæ, transeat: de pluribus, in ratione Deitatis, nego antecedens, & consequentiam. Deitas non est universalis in sensu, quo hic loquimur: cum non multiplicetur in plures Deos: adeoque non est species prædicabilis, quæ talis. Non negaverim tamen, Personam, ut sic, dici posse universalem, qua-

tentus prædicatur de Patre, & de Filio, & de Spiritu sancto, & quidem ita, ut ratio Personæ multiplicetur in illis: cum sint tres Personæ, non una persona tantum. Cæterum, utrum Personalitates divinæ, specie, vel solo numero differant inter se; adeoque, utrum ratio Personæ respectu illarum, se habeat, ut genus, vel ut species; theologi controvvertunt: neque est hic disputandi locus.

LXIX. Objicies 4. Non potest explicari, an hic definiatur species infima, an subalterna, an utraque: ergo falsa est tradita definitio.

Respondeo, nego antecedens: & dico, definiri speciem infimam, de qua solum verificatur, prædicari, modo prædicto, tantum de pluribus, differentibus solo numero.

Objicies 5. Non potest explicari, an quælibet species essentialiter debeat esse prædicabilis; ita, ut repugnet species, quæ tantum sit subijcibilis, utpote contenta in unico individuo reali: ergo falsa est tradita definitio, ac divisio speciei.

Respondeo, nego antecedens: dubii decisionem habet

## A R T I C U L U S XXIII.

An sit possibilis species numero Immultiplicabilis.

LXX. **D**ico 1. Status quæstionis est: an species, ex suo conceptu, sit essentialiter multiplicabilis numero, seu sub aliis terminis: an sit possibilis species creata, essentialiter immultiplicabilis numero: seu, an sit possibile individuum creatum, in quo solo sistat tota species; adeo, ut essentialiter hæc immultiplicabilis sit: & neque per absolutam Dei potentiam fieri possit aliud individuum simile, idest, solo numero, diversum ab illo individuo, in quo dicatur sistere tota species. Jam variz sunt auctorum sententiæ.

Prima sententia docet, dari defacto creaturam essentialiter immultiplicabilem, modo prædicto: hujusmodi sunt, juxta hæc principia, omnes substantiæ spirituales completæ: itaque, per hos doctores, singuli angeli specie differunt inter se essentialiter. Hæc est communis, apud thomistas, quibus adherent Polizius *tract. un. metaph. disp. 44. sect. 2.* & alii contententes, hanc esse sententiam Divi Thomæ.

Se-

Secunda sententia addit supra primam, non solum dari deesse huiusmodi creaturam spirituales: verum etiam implicare substantiam spirituales completam, quæ talis non sit. Hæc opinio est etiam communis apud thomistas, quos sequitur Polizius citatus, Granadus in 1. part. Silvester Maurus in *quest. philosoph.* & alii.

Tertia sententia, prædictæ extreme opposita, sustinet, repugnare substantiam spirituales completam, ut est angelus, specie diversam ab alia. Ita Sfortia Pallavicinus *lib. 9. ass. theol. cap. 5.*

Quarta sententia negat, quod omnis species, etiam non censens ordinem ad materiam, sit essentialiter immultiplicabilis. Ita Scotus cum suis, Albertus, Suarez, Valentia, Vasquez, Hurtadus, Arriaga, quos sequitur Comptonus *disp. 2. met. sect. 1. num. 3.* & alii.

Quinta sententia absolute docet, impossibile esse creaturam essentialiter immultiplicabilem. Ita Bupalus 1. *part. quest. 50. art. 4.* citans pro se Molinam, Vasquez, Valentiam, Suarez, & alios, quos sequitur Giattinus *art. 7.* & Semeri *disp. 5. log. q. 3.* & recentiores non infrequentes.

Sexta sententia negat, creaturam immultiplicabilem substantialem possibilem esse: concedit tamen accidentalem. Ita non nemo ex neoterjicis.

Septima sententia admittit possibilem huiusmodi creaturam, sive accidentalis, sive substantialis illa sit; sive spiritalis, sive materialis. Ita passim recentiores.

LXXI. Dico 2. Ut certa ab incertis sejungantur, sciendum est, questionem non procedere de individuo increato: certum enim est, Deum esse individuum essentialiter immultiplicabile: cum habere nequeat aliam Deum, sibi similem, a quo differat, solo numero: siquidem Deus est essentialiter unicus, ut etiam ratione probatur in *theol. lib. 1.* Loquendo igitur de individuo creato, de quo præsens est controversia;

Dico 3. Non est reputanda impossibilis creatura essentialiter immultiplicabilis, modo præexplicato. Assertio probatur: prædicatum tractivum essentialis immultiplicabilitatis, de qua loquimur, non videtur pugnare cum conceptu individui creati: ergo non est reputandum impossibile individuum creatum essentialiter immultiplicabile, modo prædicto. Antecedens probatur:

non videtur pugnare cum conceptu individui creati hoc, quod est, formaliter continere perfectionem totius integræ speciei: atqui hoc, quod est, formaliter continere perfectionem totius integræ speciei, est prædicatum tractativum immultiplicabilitatis: ergo non videtur pugnare, cum conceptu individui creati, prædicatum tractativum essentialis immultiplicabilitatis. Major hujus syllogismi probatur: formaliter continere perfectionem totius integræ speciei non pugnat primo, cum conceptu individui: nam Deus est individuum; & tamen continet perfectionem speciei: implicat enim individuum, solo numero, diversum a Deo. Secundo, non pugnat cum conceptu creaturæ: quandoquidem tota species humana, est quid creatum; & tamen implicat, extra omnem speciem humanam, individuum, solo numero, ab illa diversum. Tertio, non pugnat cum conceptu individui creati, indivisibiliter sumpto: cum talis repugnantia non appareat: ergo hoc, quod est, continere perfectionem totius integræ speciei, non videtur pugnare cum conceptu individui creati. Minor ejusdem syllogismi probatur: implicat, extra omnem speciem, individuum, solo numero, diversum, ab illa: sed formaliter continere perfectionem totius integræ speciei, est esse adæquatam speciem; sicuti formaliter continere perfectionem totius integri individui, est esse totum, & adæquatam individuum: ergo formaliter continere perfectionem totius integræ speciei, est prædicatum tractativum essentialis immultiplicabilitatis. Major probatur: quia individuum, extra omnem speciem, solo numero, diversum, ab illa; esset, & non esset extra speciem: ergo implicat. Antecedens probatur: quia esset extra speciem, ut supponitur: non esset extra speciem, quia, solo numero, differret ab alijs; adeoque esset in eadem specie cum illis: ergo esset, & non esset extra speciem.

Hujus argumenti summa hæc esse potest: non videtur implicare individuum creatum, adunans in se formaliter perfectionem totius integræ speciei: atqui tale individuum esset essentialiter immultiplicabile: ergo non videtur implicare individuum creatum essentialiter immultiplicabile. Dixi, *formaliter*, scilicet non duntaxat intensive, aut æquivalenter, aut per meram similitudinem; sed etiam extensive, identice, rigoroſe: ita nimirum, ut ipsum sit tota species: ut Deus, quin ullum possibile individuum habet, a se, solo numero, diversum: immo nec impossibile, ut infra videbitur.

A R.

A R T I C U L U S XXIV.

Solvuntur objectiones.

LXXII. **O**bjicies 1. Si esset possibilis creatura immultiplicabilis; daretur concretum sine forma: consequens est absurdum: quis enim dixerit, dari posse sapientem sine sapientia, album sine albedine, calidum sine calore? ergo & antecedens. Sequela majoris probatur: daretur implicans sine implicantia: ergo daretur concretum sine forma. Antecedens probatur: creaturæ huic similes implicarent sine implicantia: ergo daretur implicans sine implicantia.

Respondeo, nego sequelam majoris: ad cujus probationem, nego primum, & secundum antecedens.

Objicies 2. Ex una parte, creaturæ, huic similes, repugnant; aliter hæc non esset immultiplicabilis: ex altera parte, nulla est implicantia talium creaturarum similium: ergo illæ repugnant sine repugnantia:

Respondeo, nego secundam partem antecedentis: & dico, ipsasmet creaturas huic similes, sicut, & omnem aliam chimeram, esse suimet intrinsicam repugnantiam: haberent enim prædicata, involuentia contradictionem: nam, si illæ darentur; essent, & non essent, solo numero, diversæ ab hac, de qua controvertitur, an sit possibilis: essent, ut assumitur: non essent, quia hæc continet perfectionem totius integræ speciei; adeoque est implicans multiplicari. At retorquendo,

LXXIII. Objicies 3. Creatura immultiplicabilis, esset, & non esset immultiplicabilis: ergo repugnat. Probatur antecedens: esset immultiplicabilis, ut supponitur: non esset, quia sibi similes non repugnant: ergo creatura essentialiter immultiplicabilis, esset, & non esset, talis.

Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem, nego secundam partem antecedentis: & dico, eas repugnare, quia essent, & non essent huic numerice similes: essent, & non essent absolute, solo numero, diversæ, ut supra probatum est.

Objicies 4. Rerum impossibilitas non bene probatur hoc pacto: non implicat, quod, A, repugnet: ergo, A, repugnat: atqui possibilitas creaturæ immultiplicabilis, idest implicantis multiplicari, est impossibilitas creaturarum similium: ergo possi-

bilitas creaturæ immultiplicabilis non bene probatur, quia illa non apparet repugnans.

Respondeo, concesso enthymemate, nego minorem subsumptam: & dico: creatura, in se formaliter adunans perfectionem totius integræ speciei, trahit ex suo conceptu, ipsam esse immultiplicabilem, & non posse habere similes, solo numero, a se diversas. Cæterum illa non est talium creaturarum formalis impossibilitas: & quidem non extrinseca, quæ est ipse Deus, ut, suo loco, videbitur in metaphysicis: non intrinseca, quæ sunt ipsamet creaturarum intrinseca prædicata, involventia contradictionem: quæque ideo non possunt existere.

LXXIV. Ob: 5. Est, possibilitas creaturæ immultiplicabilis non sit formalis impossibilitas creaturarum similium; est tamen tractivum essentialiale talis impossibilitatis: ergo non bene probatur, per non apparentiam repugnantiam.

Respondeo, distingo antecedens: est tractivum physicum, nego; logicum, subdistinguo: sine quo, illæ adhuc repugnarent, concedo; secus, nego antecedens, & consequentiam. Est, nequeat admitti possibilis huiusmodi creatura, quam nos defendimus; quin implicent sibi similes, solo numero, ab ea diversæ; illæ tamen intelliguntur repugnare, sive de cætero hæc admittatur possibilis, sive dicatur esse impossibilis.

Nam, si primum; evidens est, illam, solo numero, multiplicari non posse: cum sit evidens, extra totam speciem non posse dari individuum ejusdem speciei. Si secundum; sic argumentor: nullum ens reale differt, solo numero, a chimera: ergo, si creatura, de qua controvertitur, repugnat; nullum possibile individuum est, solo numero, diversum ab illa. Cæterum, quoties, assignata, & bene philosophice perpenſa essentia alicujus creaturæ, illa non videtur repugnare; non est reputanda impossibilis. Dixi autem, huiusmodi creaturam non esse tractivum physicum impossibilitatis sibi similium: quia physice non trahit impossibilitatem illarum: quæ impossibilitas, ut dicebam, intrinseca, est aliquod impossibile: adeoque physice essentialiter intrahibile, utpote inexistentiale, idest implicans existere.

LXXV. Ob: 6. Tunc valet, pro rei possibilitate, argumentum ex non apparentia repugnantiam, quando favet divinx omnipotentiam, illius sphaeram, saltem materialiter, & extensive, dilatando: atque per possibilitatem creaturæ essentialiter immultiplicabilis non dilata-

latatur, sed restringitur sphaera divinae omnipotentiae: ergo non bene a nobis probatur possibilitas creaturae immultiplicabilis.

Respondeo, nego minorem: & dico: sphaera divinae omnipotentiae dicitur, quidquid factibile est: sicut sphaera divinae sapientiae reputatur, quidquid cognoscibile est; adeoque huiusmodi sphaera nequit a nobis magis, minusve dilatari, aut restringi: vel primo, quo ad se: non enim facere possumus ad arbitrium, ut res implicent, vel non implicent contradictionem ad libitum; quod ne quidem Deus ipse praestare valet: vel secundo, quoad nos, nisi ad summum materialiter, extensive, terminative, improprie: quatenus scilicet, qui putat, in aliqua re, seu objecto involvi contradictionem; videtur illam rem, seu objectum eximere sphaerae divini domini, & potentiae: cum a numero possibilium removeat: qui vero negat, in re, vel objecto contradictionem involvi; videtur ampliare sphaeram divini domini, & potentiae: dum ita numerum rerum, vel objectorum, a Deo factibilem, amplificat, & extendit. Ceterum, certum est, quo ad omnes, nemine excepto; Deum facere posse quidquid factibile est, seu quidquid fieri non implicat.

LXXVI. Ob: 7. Qui agnoscit possibilem creaturam immultiplicabilem; negat infinitas creaturas illi similes: ergo extensive, & materialiter limitat sphaeram divinae omnipotentiae.

Respondeo, distinguo antecedens: negat creaturas, quarum, etiam negata possibilitate talis creaturae, repugnarent, transcat: quarum, negata possibilitate talis creaturae, non repugarent, nego antecedens, & consequentiam. Creaturae, quae sunt similes, scilicet solo numero diversae ab aliqua creatura, continente formaliter perfectionem totius integre suae speciei; repugnant ex suo conceptu, sive possibilis, sive impossibilis illa sit: ergo eque, ac adversarii, nos, quo ad has creaturas similes, sphaeram divini domini dilatamus. Nos vero praeterea creaturam, quae formaliter contineat perfectionem totius integre speciei, possibilem admittimus: divinaeque omnipotentiae tribuimus: eam ipsi denegant: ergo in hoc melius sentimus de Deo: dum novum genus entis, quod ipsi negant; praeter omnia possibilia, quae ipsi mittunt, possibile esse arbitramur: adeoque materialiter, & extensive sphaeram divini domini, libertatis, omnipotentiae dilatamus.

LXXVII.



LXXVII. *Objicies 8.* Qui negat creaturam immultiplicabilem ; dilatat objectum divine omnipotentię, admittendo, omnes creaturas numero multiplicari posse in infinitum : ergo nos, hujusmodi creaturam possibilem admittendo, restringimus objectum divine omnipotentię.

Respondeo, nego antecedens. Qui creaturam immultiplicabilem admittit possibilem ; præter creaturas omnes, numero multiplicabiles, ab adversariis admissas, agnoscit alium gradum entis, & aliam creaturam possibilem, cui Deus prædicatum immultiplicabilitatis communicet : quod prædicatum communicari alicui creaturę, sicut prædicatum intellectivi, volitivi, spiritalis ; non evincitur esse chimera.

*Objicies 9.* Qui negat creaturam immultiplicabilem ; illam admittit possibilem, sed spoliata prædicato immultiplicabilitatis : ergo nihil denegat divino dominio, etiam extensive, ac materialiter.

Respondeo, nego antecedens, quod implicare videtur in terminis : nam creatura hæc, spoliata suo prædicato essentiali, esset alia, & quidem omnino chimerica : sicuti homo, spoliatus rationalitate, aut risibilitate ; & equus spoliatus hinnibilitate, suisque proprietatibus essentialibus. Neque adversarii concedere possunt, possibilem esse creaturam, quæ formaliter contineat perfectionem totius integræ speciei ; quin illam, numero immultiplicabilem, admittant : ut supra probatum est.

*Objicies 10.* Ditiior censeretur mercator ille, qui haberet centum gemmas, specie diversas ; ita tamen, ut cujuslibet gemmæ proferre posset æqualem : quam alius mercator, qui unam haberet, cujus æqualem proferre minime posset : ergo major esset sphaera divini domini, negata creatura immultiplicabili, quam admissa possibili.

Respondeo, distingo antecedens : ditiior esset ille mercator, si alius haberet nonagiuta novem gemmas cum similibus, & centesimam sine simili, esto antecedens : si alius haberet totidem gemmas cum similibus, & præterea aliam sine simili, nego antecedens, & consequentiã. Deus, juxta nostra principia, præter numerum creaturarum omnium numero multiplicabilium, quæ admittuntur ab adversariis ; habet etiam in thesauro suæ omnipotentię alium gradum entis, quod ipsi negant : adeoque nos melius sentimus de Deo : deque ejus omnipotentia magis benemeriti sumus,

*Ant. Forti.*

inus,

mus, materialiter saltem, & extensive. Similiter respondendum ad exemplum viridarii, habentis flores similes, vel diversos: semperque dicendum, pulcherrimam esse in suo genere, ornatissimam, & ditissimam divinam omnipotentiam; ex eo quia, quidquid fieri non repugnat, illa facere possit: defacto tamen res produxerit ad arbitrium, ad suos fines altissimos, & divinos: quos perscrutari, nec possumus, nec debemus, quin opprimamur a gloria, & majestate.

LXXVIII. Objicies 11. Non implicat, quod omnis creatura possibilis sit numero multiplicabilis: ergo implicat aliqua creatura essentialiter immultiplicabilis.

Respondeo, nego antecedens: prius enim vero consideranda sunt particularia prædicata, & determinata essentia creaturæ, de qua controvertitur; & deinde de ea philosophandum: asserendo, repugnare quidquid destruit talem essentiam, in qua aliunde nulla appareat repugnantia. Jam, in conceptu creaturæ, formaliter continentis perfectionem totius integræ speciei, nulla apparet repugnantia: implicat autem evidenter, talem creaturam numero multiplicari: ergo dicendum, implicare, quod omnis creatura possibilis sit multiplicabilis: nisi aliunde assignetur particularis repugnantia creaturæ: de qua controvertitur, utrum sit admittenda possibilis. Ita discurremus in aliis creaturis possibilibus, specie diversis ab his, quæ defacto sunt, fuerunt, aut erunt: in quibus nullam agnoscimus repugnantiam, v.g. in creatura composita ex subjecto, & forma spiritali; in creatura infinite extensa; & aliis sane infinitis. Nec contra tales creaturas bene quis argumentaretur, dicendo: non implicat, quod omnes partes cujuscunque compositi possibilis sint materiales; quod omnis quantitas sit successive pertransibilis, & finita; quod omnis species creata sit vel angelus, vel homo, vel arbor; & sic de singulis, quæ defacto dantur, vel fuerunt, vel erunt: vel, non implicat, quod omnis creatura possibilis sit coexistibilis cum omnibus carentiis, quæ defacto sunt, vel fuerunt, vel erunt; vel cum carentiis, quæ sint specie similes carentiis illis, quæ sunt, fuerunt, vel erunt. Retorqueo deinde argumentum: non implicat, quod aliqua creatura sit essentialiter immultiplicabilis: ergo implicat, quod omnis creatura possibilis sit immultiplicabilis: ergo, stante hoc arguendi modo, quo utuntur adversarii contra

*Phil. Neg. Log.*

K k k

nos;

nos ; omnes aliæ creaturæ specie diversę , saltem de quibus controversitur , repugnabunt.

LXXIX. Objicies 12. Quando talis est essentia alicujus creaturę , ut nequeat Deus circa illam præstare omnia , quę præstat circa alias creaturas ; est reputanda impossibilis : nisi aliunde certo constet , esse possibilem : atqui creatura , continens formaliter perfectionem totius integrę speciei ; talis est , ut Deus nequeat circa illam præstare , quidquid circa alias creaturas præstare potest : cum non possit illam numero multiplicare , ut omnes alias potest : ergo , nisi aliunde certo constet , hujusmodi creaturam esse possibilem ; censenda est repugnare . Sed non certo aliunde constat , esse possibilem : ergo.

Respondeo , nego majorem : aliter nullius creaturę , controversę , possibilitas probari amplius poterit efficaciter : quælibet enim creatura habet suam essentiam , cui Deus , etiam per absolutam potentiam , nequit contradicere : puta , aut illam simul ponendo cum sui contradictorio ; aut ponendo , sine miraculo , cum aliquo sibi naturaliter contrario ; aut cum carentia rei naturaliter exactę . Et sane creatura , quæcunque sit , non est a Deo ponibilis simul cum omnibus carentiis , cum quibus componi possunt aliæ creaturę , cum ea essentialiter non connexę : siquidem ipsa non potest componi cum propria carentia , cum qua illę alię creaturę possunt componi , quoad existendum : ergo talis creatura , nequit censeri possibilis , nisi aliunde certo constet , esse possibilem . Idem potiori jure dicendum de modis , quos adversarii admittunt ; si non defacto , saltem de possibili . Nam modi sunt creaturę , ita essentialiter addictę subjectis suis , ut nequeat Deus exercere circa illas quidquid potest circa alias creaturas : nequit enim Deus separare unionem modalem ab extremis , eam conservando . Et in universum , idem dici poterit de omni alia creatura , quę communiter reputatur possibilis : cum circa illam nequeat Deus exercere , secundum quid , idest sine miraculo , etiam de potentia absoluta , quidquid potest circa alias creaturas exercere sine miraculo.

LXXX. Cæterum , ut alibi fufe , & præsertim in *theol. lib. 6. de Sacramentis* , connexiones essentielles non debent reputari impossibiles (eodem modo discurrendum de oppositionibus , item essentialibus , ob rationis identitatem) nisi efficaciter probentur esse chimericę : non tamen , per hoc præcisę , quod sint possi-

possibiles, debent admitti defacto: nisi ulterius probetur efficaciter, quod existant in rebus, quibus adstruuntur.

Objicies 13. Immultiplicabilitas est prædicatum, quod vocant negativum: idem enim est dicere, creaturam immultiplicabilem, ac creaturam, quæ non possit multiplicari: ergo tale prædicatum probari debet, per aliquod prædicatum positivum, in quo fundetur: sed hujusmodi prædicatum non est assignabile: ergo non satis a nobis probatur creatura immultiplicabilis, etiam de possibili.

Respondeo, omisso enthymemate, in sensu, in quo immortalitas Dei, & aseititas: & indivisibilitas cujuscunque individui, dicuntur prædicata negativa: quod, ob vocabulorum penuriam, negative explicentur, cum sint revera aliquod positivum; nego minorem subsumptam, & primo dico: prædicatum positivum illius creaturæ esse hoc, quod est, continere formaliter tum intensive, tum extensive perfectionem totius integræ speciei: secundo dico: hujus prædicati possibilitatem a nobis probari ex non apparentia repugnantæ, probabiliter: tertio dico: hujusmodi prædicatum trahere immultiplicabilitatem numericam; probari a nobis, ni fallor, evidentem, ut constat ex ratione fundamentali, aut præcedente.

LXXXI. Objicies 14. Sequeretur ex nostra conclusione, posse conservari genus in unica specie possibili: sicuti potest species conservari in unico individuo possibili: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, nego sequelam majoris: disparitas, ut innuebam, ubi de genere; desumitur ex definitione generis, in qua expresse requiritur, quod illud prædicabile sit de pluribus, differentibus specie: species vero mere subijcibilis, cujuscumque esset hæc, de qua loquimur; non exigit ex suo conceptu, esse prædicabilem de pluribus, differentibus numero. Ad prædictum adversariorum argumentum, aliqui, cum quibus Polizzius, concessa sequela majoris, negant minorem. Sed immerito: quia nequit excogitari objectum possibile, quod non conveniat in aliquo prædicato cum alio possibili, saltem cum Deo, a quo specie differat: ergo nequit excogitari genus possibile, quod sub se nullam prorsus speciem possibilem complectatur: quodque creatura, immultiplicabilis specie, seu genus immultiplicabile in species, appellatur.

LXXXII. *Objicies 15.* Ex Bubalo apud Polizzium, id, quod ait Aristoteles : scilicet individuum creatum definiri non posse : eo quia definitio, explicans essentiam, nullius individui potest esse propria . Sed, si daretur individuum, numero immultiplicabile ; recte definiri posset per propriam essentiam : ergo hujusmodi individui possibilitas contradicit doctrinæ peripateticæ.

Respondeo , distinguo majorem : individuum multiplicabile, transeat : immultiplicabile, nego majorem : &, omiſſa minore, nego consequentiam . Aristoteles loquitur de speciebus, numero multiplicabilibus , quæ regulariter defacto dantur : & docet , definitionem non esse propriam unius individui , idest non verificari de uno individuo tantum : sed habere objectum universale, cujusmodi sunt omnia individua totius speciei , quæ participant eandem essentiam . Itaque, quando dicitur : homo est animal rationale; hæc definitio non est propria solius Petri, vel Pauli, sed communis omnibus hominibus . Cæterum dici posset , hujusmodi individuum, per propriam essentiam, definiri posse; quæ speciem, non præcise, quæ individuum.

*Objicies 16.* Articulos nonnullos Parisienses, præsertim, nonagesimum sextum: dicere, quod Deus non possit multiplicare individua, sub una specie, sine materia ; error : ergo.

Respondeo primo, dato antecedente, nego consequentiam. Secundo, contra est : ergo species creata materialis, idest cum materia, numero immultiplicabilis, dari poterit . Tertio, articuli illi, sicut & alii ejusdem universitatis, neque a Pontifice, neque ab Ecclesia, neque ab ullo Concilio fuere unquam recepta, quoad ea, quæ opponuntur Divo Thomæ . Quarto, id intelligi potest, ad summum, de creaturis defacto.

LXXXIII. *Ob: 17.* Creaturæ, absolute & simpliciter similes huic, de qua loquimur, solo numero ab illa diversæ; vel sunt reales, vel chimeræ : si primum; ergo fieri possunt a Deo: si secundum; ergo etiam nostra hæc creatura est chimera : non enim potest, ut supra dictum est, aliquid ens reale solo numero differre ab ente chimerico.

Respondeo : quoniam, a chimera arguens, loquitur absolute, & simpliciter; nego majorem, tanquam de subjecto non supponente : aliquid enim ens esse essentialiter immultiplicabile, est, non posse habere aliud, sibi absolute, & simpliciter simile : itaut ab eo, absolute & simpliciter, differat solo numero : sicut Deum esse

esse immultiplicabilem, est, dari non posse alterum, absolute & simpliciter, Deum. Chimera, quæ fingi possunt similes Deo, vel nostræ huic creaturæ immultiplicabili, soloq; numero ab ea diversæ; essent, & non essent tales: essent, ut supponit argumentum: non essent, quia plusquam numero differrent: quippe, differentia, quæ est inter ens, & non ens; longe major est, quam sit differentia inter hinnibile, & rationale. Itaque hæ, & similes propositiones: nempe, implicat creatura absolute, & simpliciter, differens solo numero a creatura, continente perfectionem totius integræ speciei; vel negandæ, ut supra: vel, ut verum sensum contineant; resolvendæ per has, aut similes propositiones: *creatura, continens formaliter perfectionem totius integræ speciei; est essentialiter immultiplicabilis. Vel, nullum est excogitabile possibile, solo numero diversum a creatura, continente formaliter perfectionem totius integræ speciei: juxta ea, quæ dicta sunt disp. 6. art. 6. assert. 9. de ente rationis metaphysico.* Retorqueo deinde argumentum: alter absolute & simpliciter Deus, solo numero diversus a Deo; vel est realis, vel chimera: si primum; ergo datur: si secundum; ergo Deus est chimera: quippe solo numero diversus a chimera.

LXXXIV. Objicies 18. Ex Giattino: non posse habere similem, est perfectio superans limitationem creaturæ: ergo implicat creatura, numero immultiplicabilis: utpote, quæ non posset habere sibi, specie, similem.

Respondeo, nego antecedens: sicut enim non est perfectio, superans limitationem creaturæ, esse unum individualiter: adeoque non posse habere aliud, quod sit absolute, adæquate, & rigorose ipsa; ita nec superat limitationem creaturæ, esse unum specificæ: adeoque admittere non posse aliud individuum, sibi specie simile, & differens solo numero.

Objicies 19. Cum eodem: non posse habere similem, soli Deo tribuitur in scripturis, de quo dicitur: *non est, qui similis sit tibi. Et, quis similis tui, Domine? Et, Deus quis similis tibi?* ergo inde colligitur, esse proprium solius Dei, non posse habere sibi similem, soloque numero diversum.

Respondeo, distingo antecedens: non posse habere similem in infinita, & illimitata perfectione, concedo: in finita, & limitata, nego antecedens: & distincto, eodem modo, consequente; nego consequentiam.

Ob.

Obijcies 20. Ex eodem : ergo etiam creaturæ immultiplicabili poterit dici : non est , qui similis sit tibi .

Respondeo , concedo consequentiam : vel distinguo consequens , diverso modo , ac de Deo , concedo ; eodem modo , nego consequentiam . Nam de Deo dicitur , quod non possit habere similem , ex infinita perfectione : adeoque , quod nec possit habere meliorem se : de creatura tamen dici poterit , quod non possit habere similem ; possit tamen habere meliorem , & meliorem in infinitum .

LXXXV. Obijcies 21. Rem laudare solemus præcise , quia non habet similem : ergo immultiplicabilitas præcise , est perfectio propria solius Dei .

Respondeo , nego antecedens , vel distinguo : quia non habet similem in perfectione , concedo ; in imperfectione , nego antecedens , & consequentiam . Hinc enim inferri legitime poterit , quod non habere similem in perfectione , sit aliqua laus : & quidem , non habere similem in perfectione illimitata , & infinita , quæ nec similem , nec se perfectiorem alium agnoscere possit ; est summa laus , & propria solius Dei : at vero , non habere similem in perfectione limitata , & finita : posse tamen habere alium meliorem se , etiam in creatis ; est quidem aliqua laus , sed valde limitata , & alicui creature communicabilis . Cæterum , præcise non habere simile ; non est laus ex suo conceptu , sed præscindit : nam non ideo laude dignum existimamus *Thersitem* , aut *Megæram* , quod sibi similem , corporis deformitate , non habeat : nec præcise ex hoc capite , sufficienter dicimus , repugnare creaturam imperfectissimam : nempe , quia dicere cum veritate posset , se non habere , nec posse habere similem : immo hoc reputaretur illius summum dedecus , & opprobrium .

Obijcies 22. Stante hoc modo philosophandi , posset etiam probari possibilis creatura omnium perfectissima : & aliæ hujusmodi creaturæ , quæ communiter chimericæ reputantur . Probatur sequela : posset quis ita philosophari : non posse habere perfectiorem se , primo , non pugnat cum prædicato entis : Deus enim est ens omnium perfectissimum : secundo , non pugnat cum prædicato creaturæ : nam omnis creatura possibilis , est quid creatum ; & tamen supra numerum creaturarum omnium possibilium , qui est infinitus , nulla est possibilis perfectior creatura : ergo &c .

Respon-

Respondeo, distinguo sequelam: si non probetur, aut supponatur in illis specialis aliqua repugnantia, concedo; secus, nego sequelam: & ad ejus probationem, distinguo consequens, si ex alio capite non probentur, aut supponantur repugnare, concedo; secus, nego consequentiam.

LXXXVI. Objicies 23. Qualibet creatura possibili excogitata, potest Deus facere aliam meliorem: ergo multo magis aliam æqualem. Consequentia probatur: quia minus est facere rem alteri æqualem, quam meliorem.

Respondeo, omisso antecedente, quod negatur ab Arriaga, *disp. 13. phys. sect. 3.* & Aureolo, & ab aliis paucis, apud Giattinum, contra communem sensum Ss. Patrum, & theologorum, præsertim D. Thomæ *quæst. 1. de potent. art. 2.* quem citat, & sequitur Phasolus *disp. 11. num. 4.* nego consequentiam. Creatura, omnium perfectissima, aliunde supponitur repugnare: non ita creatura immultiplicabilis, de qua præsens est controversia. Ad probationem antecedentis, distinguo antecedens: minus est, quoad potentiam creatas, si cætera sint paria, transeat: quoad omnipotentiam divinam, nego antecedens, & consequentiam. Divina omnipotentia, eadem facilitate, producere potest mundos perfectiores, & perfectiores in infinitum; ac unam paleam. Quod, si aliquod producere Deus non possit; id provenit ex eo, quod talis essentia sit chimerica. Neque hoc arguit defectum, aut impotentiam in Deo, sed summam perfectionem. Immo, si posset Deus chimeras efficere; id esset non exiguum summi artificis dedecus, imprudentia, & imperfectio: quippe ille opus intentum, & operæ pretium faceret, & non faceret. Hinc fateamur omnes, summam Dei perfectionem esse, quod nequeat rerum essentias variare, v. g. faciendo hominem non rationalem: aut creaturam, a divina omnipotentia independentem in fieri, aut conservari; aut factum infectum. Retorqueo deinde argumentum: quolibet individuo creato assignato, v. g. una formica; potest Deus producere individuum perfectius: ergo multo magis poterit aliud producere, quod sit adæquate, absolute, & rigorose idem.

Objicies 24. Hæc creatura immultiplicabilis, a nobis admissa, esset perfectionis essentialiter infinitæ: ergo repugnat: quia hoc est proprium solius Dei. Antecedens probatur: hujusmodi creatura contineret in se perfectionem totius integræ speciei; adeo-



adeoque esset æquivalens in perfectione creaturis infinitis : ergo esset essentialiter infinita in perfectione.

Respondeo , nego antecedens . Ad cujus probationem , concesso antecedente , nego consequentiam . Infinitum in essentia , absolute , & simpliciter est solus Deus : quia continet omnem perfectionem possibilem : adeout eo absolute perfectius nihil excogitari possit ; quod requiritur ad tale infinitum , scilicet in essentia . Æquivalere autem infinitis entitatibus , non est esse absolute , & simpliciter infinitum in perfectione , & in essentia , nisi quæstio fiat de nomine ; sed ad summum , est esse infinitum secundum quid , hoc est æquivalenter . In quo sensu non solum angelus , & homo ; verum etiam musca , & formica dici possunt infinitæ perfectionis secundum quid : quatenus infinitæ species creaturarum possibles sunt , non solum angelo , & homine , sed etiam musca , & formica imperfectiores : immo in hoc sensu quælibet creatura , in sententia communi , dici poterit infinita secundum quid : quatenus nulla est assignabilis , adeo imperfecta , ut illa imperfectiores in infinitum e thesauro divinitæ omnipotentæ extrahi non possint .

LXXXVII. Objicies 25. Ergo dari poterit aliqua creatura essentialiter independens a Deo , saltem immediate , vel pro aliquo tantum instanti : cōsequens est absurdum : ergo & antecedens .

Resp. nego consequentiam : quia hujusmodi creatura aliunde supponitur repugnare , ex ipso conceptu creaturæ , juxta communem sensum Patrum , & theologorum : unde est , ut ne quidem hanc denominationem , independentis , recipere possit ab extrinseco creatura : ita nimirum , ut , per aliquod Dei decretum , eximatur vel pro uno instanti , ab hujusmodi dependentia : adeout , illa existat , & ab ipso Deo non dependeat ; adeoque a fortiori hujusmodi denominationem , & veluti privilegium habere possit innatum , & ex intrinsecis suis : ad eum modum , quo , si quis adeo vilis sit , & ignobilis , ut nequeat fieri eques Hierosolymitanus ex gratia ; idem , a fortiori , eques Hierosolymitanus fieri non poterit ex iustitia . Hæc , de creatura immultiplicabili , logicis dicta sint satis . De hujus generis creaturis controversis , ut de creatura indestruibili , de inelevabili , de irrevelabili , & incredibili ; de peccato irremissibili ; tum in philosophia , tum in theologia , alibi sæpe redibit sermo . Hactenus de specie , secundo prædicabili .

*Ans. Forti.*

A R-

## ARTICULUS XXV.

## De differentia.

LXXXVIII. **D**ico 1. Quoniam de differentia, tertio prædicabili, quæri solet, primo, quid sit: secundo, quotuplex sit: tertio, respectu cuius illa exerceat munus universalis: quarto, an differentia inferior includat, in suo conceptu, differentiam superiorem: quinto, an dari possit differentia simplex, & differentia composita: ordinatim procedendo quo ad hæc: differentia in universum, ex Porphyrio, est, qua aliquid alicui sit diversum. Dicitur, *diversum*, non mere *distinctum*: *diversum* enim, rigorose loquendo, dicit aliquid aliud supra *distinctum*: siquidem, in sententia communi, & nostra, dari possunt duo distincta, quæ non sint diversa: sed omnino inter se similia: licet passim hi duo termini, *distinctum*, & *diversum*, etiam apud viros doctos, inter loquendum, confundi soleant. Unde differentia, pro ut hic accipitur, nimirum, ut prædicabilis de suis inferioribus; dicitur communiter, esse, quæ prædicatur, in quale quid, de pluribus, differentibus specie. Verum hæc definitio competit quidem differentię subalternę: non autem infimę, puta, quæ non habeat sub se varias species: cuiusmodi, in sententia communi, hinnibilitas reputatur. Ideo illa passim afferri solet amplā differentię definitio: est, quę de pluribus prædicatur, in quale quid: puta, ut pars formalis, constitutiva essentię, per modum alteri adjacentis, seu denominantis: sive de cetero huiusmodi essentiæ absolute, & simpliciter appelletur completa, ut homo; sive incompleta, ut animal.

Dico 2. Vox hæc, differentia, tripliciter sonare potest, scilicet, primo: significando differentiam communem: secundo, propriam: tertio, propriissimam. Differentia communis, idem est, ac accidens, quantum prædicabile: differentia propria, idem est, ac proprium, quantum prædicabile; de quibus agendum infra. Differentia propriissima, de qua hic loquimur, est differentia essentialis, quę scilicet facit differre essentialiter: cuiusmodi supponitur esse in homine rationalitas, in equo hinnibilitas, in leone rugibilitas, in cane latrabilitas. Hæc differentia quadruplex munus dicitur exercere: nam primo, dividit, & contrahit genus, quod est animal, v. g. secundo, constituit cum eodem genere speciem, quæ est homo: tertio, speciem constitutam di-

Phil. Neg. Log.

LII

versu.

versificat ab aliis speciebus, ut a leone, equo, &c. quarto, de suis inferioribus prædicatur. Unde, relate ad hæc quatuor munera, quatuor sortitur definitiones differentia propriissima. Enimvero in primis, ut divisiva, & contractiva generis, dicitur: esse id, quo genus dividitur: secundo, ut constitutiva speciei: id, quo species abundat a genere: videlicet, esse id, quod species importat præter genus: tertio, ut diversificativa, seu distinctiva speciei: id, quo singula essentialiter differunt: puta præsciindendo ab hæcœitate, & differentiis individualibus, quæ a logicis non appellantur essentia: quarto, ut prædicabilis, definitur ut supra. De hujusmodi differentia

LXXXIX. Dico 3. Quæritur: respectu cuius, exerceat munus universalis. Jam non respectu generis, v. g. rationale non est universale respectu animalis. Probatur: universale, respectu illorum, est tale; respectu quorum, est prædicabile: atqui differentia non est prædicabilis respectu generis: illud enim respicit, duntaxat limitando, & dividendo; non autem ut suum inferius: ergo differentia non est universale respectu generis.

Dico 4. Differentia, neque est universale respectu speciei: rationale, v. g. non est universale respectu hominis. Probatur: quia universale debet magis late patere, quam sua inferiora singillatim: atqui differentia non magis, sed eque late patet, ac species: ergo differentia non est universale respectu speciei; sed illam tantum constituit, ut pars metaphysica; non autem de ea prædicatur, ut quid superius. Itaque, procedendo cum distinctione,

Dico 5. Differentia subalterna est universale respectu specierum generis, v. g. sensitivum est universale respectu specierum animalis: quia hæc, ita de singulis est cum veritate prædicabilis; ut singulis amplior sit in tota sua latitudine. Differentia infima, est universale respectu individuorum speciei: cuiusmodi est rationale respectu Petri, Pauli, Marcelli: quia & de his, singillatim sumptis, est cum veritate prædicabilis, & singulis amplior in tota sua latitudine.

A R T I C U L U S XXVI.

Solvuntur objectiones.

Xc. **O**bjicies 1. Differentia est unum prædicabile; ergo non potest prædicari in quale quid.

Respondeo, nego consequentiam: vel distinguo consequens: divisibiliter, concedo; indivisibiliter, nego consequentiam. Prædicari in quid pure, convenit uni prædicabili: prædicari in quale pure, competit alteri: prædicari in quale, & in quid indivisibiliter, competit differentiz. Sic sentire brutorum est; intelligere angelorum; intelligere simul, & sentire hominis.

Objicies 2. Aristotelem, docentem: *accidens significat quale quid*: ergo prædicari in quale quid, non competit soli differentiz.

Respondeo: nego consequentiam: quia Aristoteles, loco citato, non agit de modo, quo accidens prædicetur; sed docet, quod accidens significet, quale sit aliquod determinatum, seu quale individuum illud sit.

Objicies 3. Prædicari in quale quid, est prædicari, ut adiacens alteri, quod supponitur aliunde constitutum: sic prædicatur rationale de animali: sed differentia infima non prædicatur de individuis, ut adjacens: ergo differentia infima non prædicatur in quale quid de individuis; adeoque non est, respectu illorum, differentia prædicabilis, seu universalis.

Respondeo, nego minorem: ratio est, quia differentia infima, v.g. rationale, est superior individuis: de quibus prædicatur, ut, in illis, adjacens alteri parti essentiz, quæ est animal; ideoque dicitur prædicari de illis, in quale quid: non quasi vero proprie adjacere intelligatur ipsi individuo, quod constituit; sed generi, quod, in individuo, invenit constitutum.

Xci. Objicies 4. Differentia infima, v. g. rationale, prædicatur de hoc, & illo rationali, ut species est: ergo etiam differentia.

Respondeo, nego consequentiam: vel distinguo consequens: ut species est, concedo; ut differentia est, nego consequentiam. Collectio omnium differentiarum, v. g. omnium rationalitatum, est collectio similium: adeoque species, & non differentia, respectu illarum, utpote inferiorum; & qua talis, de illis prædicabilis. Neque novum est, quod idem, sub diversa consideratione, sit species,

& dif.

& differentia : sicut quod idem , respectu diversorum , sit totum , & pars : nam duo , v. g. respectu binarii , sunt totum ; respectu quaternarii , pars .

## A R T I C U L U S XXVII.

An differentia inferior includat in suo conceptu genus , aut differentiam superiorem.

XCII. **D**ico 1. In universum ; differentia , precise ut differentia est , non includit in suo conceptu formali genus . Assertio probatur , & explicatur : rationalitas , rugibilitas , & similes , quæ sunt differentia , animalis ; non includunt in suo conceptu formali , animalitatem , quæ est genus ; licet cum eo realiter identificentur : & sic de aliis differentiis , proportionem servata , in linea sua : ergo in universum , differentia non includit formaliter genus . Antecedens probatur : quia reputatur diversus conceptus differentia a conceptu speciei : unde diversum constituunt prædicabile : quippe in specie intelligitur includi differentia , ut pars : atqui , si rationalitas , rugibilitas , & similes differentia includerent , in suo conceptu formali , genus , puta animalitatem ; conceptus formalis differentia non esset diversus a conceptu formali speciei : ergo rationalitas , rugibilitas , & similes differentia non includunt , in suo conceptu formali , animalitatem , quod est genus . Minor probatur : si rationalitas , rugibilitas , & similes differentia includerent , in suo conceptu formali , animalitatem , quod est genus ; rationalitas , rugibilitas , & similes differentia , constituerent formaliter animal rationale , animal rugibile : ergo hominem , & leonem : ergo speciem : ergo conceptus formalis differentia non esset diversus a conceptu formali speciei . Hinc Aristoteles 4<sup>to</sup> top. c. 1. docet : *manifestum , quoniam non participat genus differentia* .

Dico 2. Dixi , in differentia , precise ut differentia est , non includi formaliter genus ; quia , si construi velit , ut quidem potest , arbor , in qua ita , disposita in seriem , rei alicujus prædicata considerentur , ut id , quod alioquin considerari posset , ut differentia , veniat ut species ; tunc de hoc discurrendum , ut de aliis speciebus : quæ sane genus includunt , in suo conceptu formali : cum species coalescat ex genere , & differentia , ut dictum est

est supra. Sit assertionis ratio, & exemplum, rationalitas. Nam si quis, ita disponat arborem (sunt enim hæ diversæ intellectus philosophantis cognitiones) intellectivum, bifariam dividitur: unum est, *intellectivum pure* (deficit enim vero unica vox, quæ id exprimat) alterum est, *intellectivum dependenter a sensibus*: quis neget, in tali consideratione, *rationale*, esse speciem *intellectivi*, constitutam ex, *intellectivo*, tanquam ex genere; & ex, *dependenter a sensibus*, tanquam ex differentia? Nonne, eodem modo, proportionem servata, *homo*, ex *animali*, ut genere; & ex *rationali*, ut differentia logice, seu metaphysice coalescit? Quod autem una, eadenque realiter entitas considerari possit diversimode, nunc ut superior, nunc ut inferior; nunc ut prior, nunc ut posterior; nunc ut pars, nunc ut totum, præsertim respectu diversorum; novum non est in philosophia, & theologia, ut alibi sæpe, ac sæpius dictum est.

Dico 3. Differentiæ inferiores collaterales, v. g. *rationale*, rugibile, non includunt in suo conceptu formali differentias, item collaterales, superiores, v. g. *sensitivum*. Assertio probatur: differentiæ collaterales, inferiores, & superiores (harum systema videri poterit in arbore Porphyriana, de qua dictum est *disp. 7. art. 6. n. 24.*) habent, & respiciunt diversa connotata: ergo concipi possunt per diversos conceptus, cum fundamento in re: ergo nec inferiores in superioribus, nec superiores in inferioribus formaliter includuntur: quia, ad distinctionem formalem ex parte actus, de qua dictum est *disp. 7. art. 10.* satis est connotatorum diversitas. Antecedens probatur: rationalitas dicit ordinem ad ratiocinium, rugibilitas ad rugitum: sensitivum vero dicit ordinem ad sensationem: atqui nec sensatio, præcise ut talis, formaliter est ratiocinium, & rugitus: nec ratiocinium, aut rugitus, formaliter est sensatio, sed taleitas sensationis: quam sensationem ipsa non importat inclusive: cum non includat; sed præsuppositivè duntaxat: quatenus eam præsupponit: ergo differentiæ collaterales, inferiores, & superiores diversa respiciunt connotata. Et sane, quomodocunque, ob vocabulorum penuriam, explicetur connotatum rationalitatis, aut rationalis, quod diximus esse ratiocinium, seu ratiocinationem, puta intellectionem dependenter a sensibus; illud non includit formaliter sensationem, in suo conceptu: sed illam præsupponit, aut connotat: dicit enim, in suo conceptu formali, taleitatem quan-

dam

dam intellectiōis, dicentem ordinem ad sensationem, aut sensitivitatem; non autem formaliter includentem id, quod est terminus talis ordinis, seu connotationis, aut habitudinis formalis: a quo termino formaliter constitutive præscindit, ex parte actus. Neque hoc novum in philosophia, quod nimirum aliquod formaliter includat ordinem ad aliquod specificativum: non autem ipsum terminum, qui respicitur: sic visio, in suo conceptu formali, immo & physice considerata, importat habitudinem ad objectum, non autem importat ipsum objectum visum, nisi relative prædicamentaliter, seu connotative, & terminative, ut infra explicabitur *disp.* 10. ubi de relatione.

## A R T I C U L U S XXVIII.

Solvuntur objectiones.

LCIII. **O**bjicies 1. Genus inferius, v. g. animal, includit in suo conceptu genus superius, v. g. vivens: ergo differentia inferior, v. g. rationale, includit in suo conceptu genus, seu differentiam superiorem.

Respondeo, nego consequentiam. Genus inferius includit genus superius; quia respectu illius se habet, ut species, quæ necessario includit genus, & differentiam, ut partes, ex quibus metaphysice constituitur: sic animal, v. g. includit vivens, & sensitivum; quia ex illis formaliter componitur: differentia, tamen inferior non constituitur ex genere, neque ex differentia superiore; sed est taleitas quædam, quæ illis supervenire intelligitur.

Objicies 2. Rationale, v. g. est substantia: ergo includit in suo conceptu formali substantiam: ergo differentia inferior includit superiorem in suo conceptu formali.

Respondeo, nego consequentiam: licet enim rationale realiter sit substantia, corpus, vivens, animal; formaliter tamen ab his omnibus præscindit, per intellectum.

Objicies 3. Rationale formaliter, ex suo conceptu, est substantia: ergo includit formaliter genus generalissimum, quod est substantia. Antecedens probatur: rationale formaliter non est accidens: ergo formaliter est substantia.

Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Rationale, ex suo conceptu

ceptu formali, non est accidens, nec substantia; sed præcisive se habet, & importat formaliter, esse taleitatem animalis.

XCIV. Obijcies 4. Hinnibilitas includit formaliter in suo conceptu sensitivitatem, & sic de reliquis: ergo differentia inferior includit formaliter superiorem. Antecedens probatur: hinnitus includit formaliter sensationem: ergo hinnibilitas includit formaliter sensitivitatem. Antecedens probatur: non potest concipi hinnitus, quin concipiatur sensatio: est enim hinnitus taleitas sensationis: ergo hinnitus formaliter includit sensationem.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, negor iterum antecedens: & ad hujus probationem, distinguo antecedens: non potest concipi hinnitus, quin concipiatur sensatio, præsuppositive, & in obliquo, concedo; formaliter, & in recto, nego antecedens, & consequentiam. Qui concipit hinnitum, aut rationem hinnitus, formaliter ut talem; concipit formaliter, & in recto modificationem sensationis, seu taleitatem, quæ accidere intelligitur sensationi; quam sensationem concipit quidem, sed præsuppositive, & in obliquo: utpote id, cui ratio hinnitus metaphysice advenire intelligitur. Eodem modo discurrendum de sensitivo respectu viventis, & de sensatione respectu actus vitalis: sensatio enim formaliter non est actus vitalis, sed taleitas actus vitalis, cui metaphysice concipitur adjacere, ut limitativum, seu determinativum in linea sua.

Obijces 5. Rationale includit in suo conceptu rationem intellectivi: ergo differentia inferior includit prædicatum superius.

Respondeo, distinguo antecedens: rationale, ut species, concedo; præcise ut differentia est, nego antecedens, & consequentiam: vel distinguo consequens: ergo differentia, ut species est, includit prædicatum superius, ut genus, concedo; differentia, ut differentia est, nego consequentiam. Rationale, in diversa linea, considerari potest, ut species, & ut differentia: ut species intellectivi includit intellectivum: quod considerari potest, ut genus, respectu intellectivi rationalis, idest dependenter a sensibus, ut in homine; & respectu pure intellectivi, idest independenter a sensibus, ut in angelo: rationale vero, ut differentia est animalis, non includit formaliter intellectivum, sed connotat.

XCv. Obijcies 6. Differentia inferior, v. g. rationale, dividit animal: ergo includit formaliter animal. Consequen-

tia



cia probatur: membra dividentia debent, participare rationem, divisi: sed rationale dividit animal: ergo rationale includit animal.

Respondeo, distinguo antecedens: rationale dividit animal, ut per quod, concedo; ut in quod, nego antecedens, & consequentiam: ad probationem consequentiæ, distinguo majorem: membra dividentia, in quæ, concedo: per quæ, nego majorem, & distincta minore, ut supra, nego consequentiam. Membra dividentia, in quæ fit divisio, debent participare rationem divisi; non autem membra dividentia, per quæ fit divisio. Itaque animal cum dividatur in brutum, & hominem; tam brutum, quam homo formaliter includit, in suo conceptu, animal, ut sui partem: animal vero dividitur per rationalitatem, & brutalitatem; adeoque neutra ex his differentiis includit animal, sed illi advenit, ut modificativum.

Objicies 7. Homo formaliter, ex suo conceptu, est animal: sed homo formaliter, ex suo conceptu, est rationale: ergo rationale, ex suo conceptu, est animal; adeoque differentia includit genus.

Respondeo, distinguo majorem: homo formaliter, inadæquate, est animal, concedo; adæquate, nego majorem: & distinguo minorem eodem modo: homo inadæquate sumptus, concedo: adæquate, nego minorem, & consequentiam. Homo, ex suo conceptu formali, est animal; sed non animal tantum: sicut etiam est rationale, sed non rationale tantum; quod idem est, ac dicere: homo, ex suo conceptu formali, importat tum animalitatem, tum rationalitatem, ut partes sui metaphysicas: partes autem ipsæ non includuntur ad invicem: aliter quælibet, ut pars, esset æqualis toti, constituto ex genere, & differentia, de qua ponderabit

## A R T I C U L U S XXIX.

An dari possit differentia simplex, & differentia composita.

XCVI. **D**ico 1. Dari potest differentia infima, simplex. Est sententia communissima ex Aristotele, & Porphyrio, contra Boetium, secutum platonicos, & alios, qui.

*Ant. Forti*

quibus accedere videtur auctor philosophiæ burgundicæ, de universalibus generatim *quæst. 3. art. 2. concl. 1.*

Assertio probatur: differentia infima, seu specifica; simplex, quæ etiam dicitur intra genus, est illa, quæ ad duplex genus infimum non pertinet, ut notat Arriaga hic *subsect. 2.* nec conflat ex duplici differentia subalterna inadæquata: sed non videtur repugnare huiusmodi differentia: ergo dari potest differentia infima, simplex. Major est explicatio terminorum. Minor probatur: tum quia, non est assignabilis repugnantia: tum paritate differentiarum subalternarum simplicis: tum quia, huiusmodi reputantur esse in equo, hinnibile; in leone, rugibile; in homine rationale, idest principium ratiocinandi dependenter a sensibus.

Dico 2. dari potest differentia infima, composita. Est sententia communis, præsertim apud recentiores, ex Aristotele 2. *post. cap. 14. & 1. top. cap. 3.* contra Albertum, & alios.

Probatur: differentia infima composita, est, quæ pertinet ad duplex genus: & conflat ex duplici differentia inadæquata subalterna: & dici solet extra genus: quod scilicet non ad unicum genus pertineat: atqui non videtur repugnare huiusmodi differentia: ergo dari potest differentia infima, composita. Minor probatur: quia, ex una parte, non est assignabilis repugnantia: ex altera vero parte, huiusmodi reputantur communiter, primo, exigentia albedinis, & exigentia dulcedinis in lacte, quæ est substantia dulcis alba: secundo, ordo ad motivum obedientiæ, & ordo ad motivum temperantiæ in uno, eodemque actu: qui simul sit obedientiæ, & temperantiæ: mistus videlicet, & constituens tertiam quandam speciem, quæ nec sit pura obedientia, nec pura temperantia: tertio, ordo ad motivum scientiæ, & ordo ad motivum opinionis, & ordo ad motivum fidei in uno, eodemque actu: qui sit tertia quædam species, scilicet indivisibiliter scientia, opinio, fides; humana saltem, & naturalis: quarto, ordo ad plures causas, vel effectus, specie diversos, in una eademque actione: quinto, ordo ad plura objecta, specie diversa, in una eademque visione, aut cognitione: sexto, addunt alii, ita de facto esse intellectivum, & volitivum in homine: alii septimo, in eodem homine, rationale, & mortale: alii octavo, in angelo, rationale, & immortale: nono, prædicari in quid, & prædicari in quale, in ipsamet differentia, tertio prædicabili, de quo sermo est in præsentia. Sed quidquid sit de his.

*Phil. Neg. Log.*

M m m

XCVII.

XCVII. Probatur secunda pars antecedentis, exemplificando : quia v. g. differentia lactis, non reputatur solum prædicatum exactivum albedinis, hoc enim reperitur etiam in nive ; quæ tamen specie differt a lacte : neque solum prædicatum exactivum dulcedinis : quia hoc reperitur etiam in melle ; quod specie differt a lacte : ergo differentia lactis, juxta principia communia, constatur indivisibiliter ex prædicato naturaliter exactivo albedinis, & dulcedinis : adeoque lac est sub duplici genere, scilicet sub genere albi, & sub genere dulcis. Ita discurrendum de aliis, in antecedente relatis : atque hæc, quoad differentias inadæquatas. Enim vero

Dico 3. Differentia composita, seu duplex, adæquata repugnat. Assertio probatur : differentia adæquata est illa, quæ cum genere, se sola, independenter ab omni alia differentia, constituit speciem : sed implicat, quod duæ, vel plures differentiz sint hujusmodi : ergo implicat differentia adæquata, composita, idest duplex, aut multiplex. Major est explicatio terminorum : aliter erit quæstio de vocabulo. Minor probatur : quia implicat, quod idem omnino compositum metaphysicum constitutur a duplici prædicato seorsim : ita ut idem omnino sit constitutum, quanvis per diversa constitutiva, nempe per diversa prædicata, & formalitates : sicut implicat, quod forma, A, constituat cum materia illud, omnino idem, compositum physicum, quod cum eadem materia constituit forma B.

## A R T I C U L U S XXX.

### Solvuntur Objectiones.

XCVIII. **O**bjicies 1. Contra primam assertionem : Aristoteles pluribus in locis docere videtur, omnes differentias infimas esse compositas : ergo dari nequit differentia infima simplex.

Respondeo, distinguo antecedens : differentias accidentales, transeat : differentias propriissimas, de quibus loquimur, nego antecedens, & consequentiam. Docere vult Aristoteles, quod sepe intellectus noster, cum pertingere nequeat rerum differentias essentielles, illas definiat, explicando per differentias quasdam, compositas ex aggregato plurium accidentium. Verum non sumus in casu.

Ob.

**Obijcies 2.** Contra secundam assertionem : non potest explicari, in quo sensu differentia illa diceretur composita : ergo revera non esset talis.

Respondeo, nego antecedens, & explico: realiter, & ex parte objecti, non esset composita; sed quid omnino unum, & indivisibile: illæ enim semidifferentiæ essent inter se identificate. Ex parte actus; vel primo, cognoscerentur seorsum: una sine altera; & in hoc sensu, essent duæ: vel secundo, simul indivisibiliter, ac per modum unius; & tunc esset una, sed virtualiter divisibilis, & composita: vel tertio, cognoscerentur simul, sed non ad modum unius; & tunc esset una differentia, formaliter divisibilis, & composita.

**Obijcies 3.** Contra eandem: repugnat, ex Aristotele in antepredicamentis, species, quæ sit sub duplici genere: sed species, per hanc differentiam constituta, esset sub duplici genere: ergo repugnat.

Respondeo, distinguo majorem: repugnat species, quæ sit sub duplici genere, adæquate, concedo; inadæquate, nego majorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis *asser. 3. art. superiore.*

**XCIX. Obijcies 4.** Contra eandem: sequeretur, quod unum genus contraheretur ab alio: & quod duæ substantiæ essent sibi mutuo superiores, & inferiores: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela majoris probatur: quia, album, v. g. contrahitur a dulci, & dulce ab albo: nam sicut album, aliud est pure album, aliud album dulce; ita dulce, aliud est pure dulce, aliud dulce album.

Respondeo, distinguo sequelam majoris: sub diversa consideratione, concedo; sub eadem, nego majorem: & distinguo minorem: consequens est absurdum, in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Hæc pendet ex nostro modo concipiendi: qui, non est absurdum, quod varius, diversusque sit, etiam circa idem: cum idem diversimode possit considerari. Et sane, in hoc sensu, substantia contrahit spirituale; spirituale vero contrahit substantiam: nam, sicut substantia, alia est spiritualis, alia materialis; ita spirituale, aliud est substantia, aliud accidens.

**Obijcies 5.** Contra eandem: differentiæ sunt inter se forma-

M m m 2

liter

liter ex parte actus distinctæ, & diversæ: ergo non possunt confluere ad unam speciem constituendam.

Respondeo, distinguo antecedens: differentiæ adæquatæ, concedo; inadæquatæ, subdistinguo: sunt distinctæ ex parte actus, concedo; ex parte objecti, nego antecedens, & consequentiam. Argumentum probat, non posse plures differentias, inter se formaliter distinctas, constituere unam duntaxat formalitatem, cum re vera sint plures formalitates: non autem probat, non posse plures formalitates unam, adæquatam, constituere compositam differentiam, tertium prædicabile, de quo hætenus. Nunc de quarto.

## A R T I C U L U S XXXI.

### De Proprio.

C. **D**ico 1. Proprium varie sumitur a grammaticis: nam interdum idem sonat proprium apud ipsos, ac, quod non est aliis commune: ut, hæc purpura est propria regis: interdum, quod non est alienum a re, de qua sermo est: ut, pugnare virorum proprium est; non mulierum: interdum, quod non est translatum, aut metaphoricum: ut, videre non est proprium pratorum, sed metaphoricum. Verum his, & aliis acceptionibus, quæ non faciunt ad rem nostram, prætermittis; proprium, a logicis quadrifariam sumitur. Primo, ab ipsis proprium dicitur, quod convenit soli, sed non omni: ut, esse musicum competit soli homini, sed non omni homini. Et hoc potius est accidens commune, quam proprium. Secundo, quod convenit omni, sed non soli: ut, esse bipedem, convenit quidem omni homini, sed non soli homini: convenit enim etiam avibus. Tercio, quod convenit omni, & soli, sed non semper: ut, risus competit quidem omni, & soli homini, sed non semper: neque enim homines semper rident. Quarto, quod competit omni, soli, & semper: ut, risibile in homine, quod est prædicatum, realiter identificatum cum illo.

Dico 2. Nomine proprii, quarti prædicabilis, venit apud philosophos, quasi antonomastice, & rigoroſe loquendo, proprium, quarto modo acceptum. Est expressa sententia Aristotelis, & Porphyrii: quia, juxta horum doctrinam, proprium, quartum prædicabile, dici, seu prædicari debet ad convertentiam

tiam cum re, cuius est proprium: atqui huiusmodi non est, nisi proprium, quarto modo acceptum: ergo proprium, in hac acceptione, rigoroſe quartum prædicabile reputandum: licet etiam, minus rigoroſe proprium dici quandoque ſoleat, quod alicui ſoli competit. Unde Ariſtoteles: *proprium eſt, quod ſoli ineſt, & converſim prædicatur de re*. Itaque, proprie loquendo, quartum prædicabile eſt proprium metaphyſicum, non vero proprium phyſicum: quia proprium metaphyſicum eſt convertibile cum re, non vero proprium phyſicum: dicitur enim cum veritate: homo eſt riſibilis; riſibilitas eſt homo, realiter loquendo: non vero dicitur: ignis eſt calor; calor eſt ignis. Jam proprium metaphyſicum, quod alii vocant, attributum, ſeu proprietatem rei metaphyſicam; eſt proprietas realiter identificata cum eo, cuius dicitur proprietas; ab illo ſolum per intellectum diſtincta: cuiuſmodi eſt riſibilitas reſpectu hominis. Proprium vero phyſicum, quod alii paſſionem, ſeu phyſicam proprietatem appellant; eſt quid, phyſice diſtinctum ab eſſentia rei, ab illa tamen exactum, v. g. frigida reſpectu aquæ. Et hoc, ſaltem regulariter, poteſt violenter, aut ſaltem divinitus, a re, cuius eſt proprium, ſeparari. Quibus præmiſſis,

CL. Dico 3. Proprium, ut ſpecies univerſalis metaphyſici, definitur communiter: *eſt aliquid extra eſſentiale pluribus, ab illis tamen exactum, convertibile cum ipsis*. Per Tò, convertibile, definitur proprium, juxta ſenſum ſecundæ præcedentis aſſertionis: niſi enim addatur, convertibile cum ipsis; definitio communis erit tum proprio metaphyſico, tum phyſico. Proprium vero, ut ſpecies univerſalis logici, definitur communiter: *quod aptum eſt prædicari de pluribus, in quale per ſe, ſeu neceſſario*.

Dico 4. Utrunque proprium, nimirum tum metaphyſicum, tum logicum, bifariam dividitur in genericum, & ſpecificum. Genericum eſt, quod pluribus, differentibus ſpecie: ſpecificum, quod pluribus, differentibus numero ineſt, & de illis eſt prædicabile. Itaque proprium, qua tale, erit univerſale, ſuperius reſpectu ſpecierum, ſi eſt genericum; reſpectu individuum, ſi eſt ſpecificum. Si autem conſideretur proprium in communi, reſpectu huius, & illius proprii in particulari; erit ſpecies comparata cum individuis, in ſua linea. Ex dictis,

Dico 5. Gratia ſupernaturalis non eſt proprium phyſicum reſpectu naturæ rationalis; quia non exigitur ab illa; cum ſit ſupra

supra ejus naturā, vires, & exigentiam potius, viceversa, dici poterit proprium gratiæ, esse in subiecto rationali, seu intellectivo: quia, gratiæ, ex suppositione, quod existat; exigit connaturaliter non esse extra, sed esse in natura rationali, quod est ejus subiectum physice proprium. Sit de quinto prædicabili

## A R T I C U L U S XXXII.

## De Accidente.

CH. Dico 1. Porphyrius definit accidens: *quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem*. Ubi particula, &, idem sonat, ac, vel: idem enim non potest eidem adesse simul, & abesse. Quæ definitio coincidit cum illa, quæ habetur ex Aristotele: *accidens est, quod inesse, ac non inesse eodem potest*. Sic, v. g. albedo est accidens respectu parietis: quia sive adsit, sive absit albedo; essentia parietis, per hoc præcisè, non deficit.

Quando autem dicitur: quod si adsit, vel absit accidens, rei essentia non deficit, aut destruitur; intelligendum est, illam non destrui physice, aut saltem logice. Nam, si vulnus mortale infligatur homini, quod illum occidat, ac destruat; addito illo vulnere, intelligitur quidem destrui homo, ac deficere, non tamen, logice: in quantum, habere, vel non habere vulnus, aliqui mortale; non est contra conceptum hominis metaphysicum.

Dico 2. Porphyrius præterea definit accidens: *quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque proprium: quod tamen semper est in subiecto subsistens*. Quæ definitio est negativa, & potius explicat, quid non sit accidens, quam quid sit. Per id vero, quod additur: *semper in subiecto subsistens*; intelligendum est, non, quod subiectum illud debeat semper subesse accidenti, v. g. paries albedini; sed, quod accidens, v. g. albedo, si existat, exigat inesse alicui subiecto, ut articulo præcedente asser. 5. inquebam, de gratiâ supernaturali.

Dico 3. Si velimus clarius definire accidens, ut species est universalis metaphysici, dicere poterimus: *accidens est aliquod, extra essentiale, in pluribus: ab illis non exactum*. Tò, extra essentiale in pluribus, se habet ut genus; per quod accidens convenit cum proprio. Tò, ab illis non exactum; se habet ut differentia, per quam accidens differt a proprio, quarto prædicabili. Unde

Acci-

Accidens, ut species est universalis logici, definiri poterit: quod aptum est prædicari de pluribus in quale, contingenter. Per Tò, *aptum prædicari de pluribus in quale*; convenit cum proprio, non autem cum differentia, quæ prædicatur in quale quid. Per Tò, *contingenter*; differt a proprio, quod prædicatur in quale necessario, ut supra diximus.

CIII. Dico 4. Accidens, ut constituat quintum prædicabile; comparandum est cum illis inferioribus, de quibus *accidentaliter*, hoc est contingenter, prædicatur, ut album respectu hominis, parietis: non autem comparandum est, cum hoc, aut illo accidente in particulari, sive accipiatur in abstracto, sive in concreto: quia, ut tale consideratū, non est accidens, sed genus, vel species: sic color, vel coloratum; albedo, vel album; respectu talis, vel talis coloris, aut colorati; talis, vel talis albedinis, aut albi; se habent, ut genus, vel species: non autem, ut accidens, de quo loquimur.

### A R T I C U L U S XXXIII.

Solvuntur objectiones.

CIV. **O**bjicies 1. Quando dicitur: Philippus est pater Alexandri; prædicatum est accidens, nempe, esse patrem; & tamen prædicatio est, in quid, quia fit per nomen substantivum: ergo accidens non prædicatur in quale.

Respondeo, distinguo secundam partem antecedentis: & tamen prædicatio est, in quid, grammaticaliter, concedo; logice, nego antecedens, & consequentiam. Id prædicatur, in quid, logice, quod est essentiale rei, de qua prædicatur; quomodoque proferatur, quoad voces.

Objicies 2. Quando dicitur: Petrus est armatus; Darius est purpuratus; prædicatio fit, in quale; & tamen prædicatur substantia, non accidens: ergo. Antecedens probatur: arma enim, & purpura sunt substantia.

Respondeo, distinguo secundam partem antecedentis: substantia, non accidens physicum, concedo; logicum, nego secundam partem antecedentis, & deinde consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo antecedens: arma, & purpura, sunt substantia physica, concedo; logica, nego antecedens, & consequentiam. Duplex est accidens, unum logicum, seu prædicabile.



dicabile ; alterum physicum , seu prædicamentale . Primum est, quod definivimus , sive de cætero illud sit substantia physica, sive accidens physicum ; dummodo rei competat contingenter : cujusmodi sunt arma respectu Petri , purpura respectu Darii . Secundum est, entitas, physice contradistincta a substantia: quæque non per se , sed in gratiam substantiæ intenditur a natura : cujusmodi est color , calor , frigus.

Obicies 3. Definitio tradita non competit accidenti inseparabili : ergo non competit omni definito : ergo non est legitima.

Respondeo , nego antecedens : nam accidens , seu separabile illud sit a subjecto naturaliter, saltem cum violentia , ut calor respectu aquæ : sive naturaliter inseparabile omnino , ut sua albedo respectu hominis; semper verum est , quod a subjecti natura, absolute , & simpliciter non exigatur . Esto possit esse tale , ut ex suppositione, quod positum fuerit in subjecto; nequeat ab eo, deinde naturaliter, immo & supernaturaliter, separari . Hactenus de quinque universalibus , seu prædicabilibus singillatim . De omnibus illis collective , quærit

#### A R T I C U L U S XXXIV.

An divisio prædicabilium sit adæquata : & , utrum universale sit genus respectu prædicabilium .

CV. **D**ico 1. Divisio prædicabilium fieri potuisset per membra pauciora . Probatur : quia potuisset fieri per duo , dicendo videlicet : prædicabile aliud est essentiale, aliud extra essentiale : seu, aliud est prædicabile in quid , aliud in quale : seu , aliud est prædicabile complete , aliud incomplete : quæ duo membra deinde potuissent subdividi, juxta regulas bonæ divisionis .

Dico 2. Divisio prædicabilium potuisset etiam fieri in plura membra, quam quinque . Probatur : quia potuisset hoc modo dividi , ac subdividi prædicabile ut sic : prædicabile aliud est directum , aliud indirectum . Deinde tam directum , quam indirectum est quincuplex , genus nimirum, species, differentia , proprium , & accidens . Jam genus est triplex , universalissimum , subalternum , & infimum : & sic de singulis.

*Ant. Forti.*

Dico

Dico 3. Communis tamen divisio est adæquata : quia desumitur ex diversitate inexistendi , & prædicandi , quæ est quincuplex : nam res , vel existit in subiecto , & prædicatur de illo essentialiter , vel non essentialiter . Si essentialiter ; vel ut tota essentia , vel ut pars : si ut tota essentia ; erit species : si ut pars ; rursus peto : vel ut pars materialis , vel ut pars formalis : si ut pars materialis ; erit genus : si ut pars formalis ; erit differentia . Si vero non essentialiter ; peto : vel , ut necessario exacta , vel non : si primum ; erit proprium : si secundum ; erit accidens prædicabile .

Dico 4. Neque obstat , quod prædicamenta sint decem , ut videbimus : quia numerus prædicamentorum desumitur ex diversitate rerum , seu conceptuum diversorum , quo illæ concipi possunt coordinate : numerus vero prædicabilium desumitur ex diversitate modi inexistendi , & prædicandi . Præterea prædicabilia sunt in ordine ad constitutionem prædicamentorum , tum in recta linea , tum in laterali , quæ constat ex differentiis , puta ex tractivio suarum proprietatum . Quod si Aristoteles , 1. *top. cap. 3.* assignans prædicamenta rerum , seu prædicabilia , enumeret genus , proprium , definitionem , quam vocat terminum , & accidens ; dicendus sibi vel non enumerasse rigorose prædicabilia : vel nomine definitionis , intellexisse speciem , in qua includitur differentia : adeoque de omnibus quinque prædicabilibus meminisse : in ordine ad quæ ,

CVI. Dico 5. Universale est genus respectu quinque universalium in particulari , idest quinque prædicabilium , quæ se habent , ut species quædam universalis . Assertio probatur : quia omnia prædicabilia , quæcunque illa sint , sunt similia in hoc , quod sint universale , hoc est unum in pluribus , & aptum prædicari de illis : licet sint etiam specificè inter se dissimilia in modo , quo de suis inferioribus prædicantur : ergo universale est genus respectu quinque prædicabilium : sicuti animal respectu hominis , equi , & aliorum animalium .

Dico 6. Absurdum non est , quod idem , sub diversa consideratione , sit inferius , & superius : quod nimirum universale , respectu generis , sit superius , & inferius : superius , quia universale , respectu omnium prædicabilium , se habet , ut genus ; inferius , quia est species respectu generis in communi : cum sit unum ex generibus in particulari . Sic idem , sub diversa consideratione ,

*Phil. Neg. Log.*

N n n

etiam

etiam respectu ejusdem, potest esse dexterum, & sinistrum; prius, & posterius: & idem potest esse definitio, & definitum reflexe, ut cum dicitur: omnis definitio est oratio, explicans naturā rei; quæ definitio, ut patet, reflectit inadæquate supra seipsam: cum sit definitio, adeoque propositio universalis: de cujus hætenus natura locuti sumus.

## ARTICULUS XXXV.

Analysis prædictorum in argumenta  
negativa.

**CVII.** **D**ico 1. In hac *disp.* 8. præter definitiones, ac divisiones, de quibus generatim in clavi, & pluries in aliarum disputationum præcedentium analysi, dictum est: & præter alia quædam minutiora, de quibus idem esto judicium: cum omnia eodem, aut fere eodem modo, ultro citroque probentur: ut etiam ex dictis in clavi facile constat; illa sunt puncta præcipua:

Primo, universale dari a parte rei, beneficio similitudinis. Tandem aliquando probatur: quia ex una parte universali, per similitudinem constituto, non est assignabile, quodnam, ex requisitis ad verum universale, deficiat: aut quare non sufficiat, idem esse unum, & multiplex, in eadem linea, in eadem ratione, v. g. in linea, & in ratione hominis: sed præterea requiratur, esse unum multiplex, per unitatem, & multipliciter rigorem, & adequatam, quod certe involvit contradictoria, ut mox videbitur: ex altera parte non apparet, quomodo aliter, commodius, aut æque commode salvari possit universale, quod quærimus, pro objecto scientiarum.

Secundo, in actuali prædicatione, non retinere totam suam universalitatem: sed nec omni universalitate carere. Probatur, quoad primam partem: quia non apparet, quomodo tota sua universalitas coherere posset cum veritate propositionis, quæ universale prædicatur de inferioribus singillatim. Quoad secundam partem, probatur: quia non est, quare, sicut unitas similitudinis est sufficiens, ut plura sint unum: ita eadem, non sit sufficiens, ut unum sit plura, puta pluralitate similitudinis, quatenus est idem cum pluribus, id est illis simile.

Ter-

Tertio, non aliter, independenter ab intellectu, aut simili potentia repræsentativa. Probatur, quia non est explicabile, quomodo, præscindendo ab unitate similitudinis, independenter ab intellectu, possit idem esse unum multiplex, quin sit unum, non unum, adeoque manifesta chimera.

Quarto, dependenter ab intellectu permitti posse: at illud non esse nostro universali perfectius. Probatur, quia non est ratio, quare unitas, quanvis extrinseca intentionalis; perfectior sit unitate similitudinis, in sua linea.

Quinto, eo permissio, fieri etiam posse universale per cognitionem claram, non confundentem: quin & per multiplicem cognitionem, exprimentem unum quomodocunque: & a fortiori, per cognitionem unam, repræsentantem unum, ad modum plurium: & proportionem servata, per visionem, picturam, & aliam objecti imaginem, vel effigiem, externam quoque, ac materialem. Probatur, quia non assertur potior ratio, pro uno, quam pro omnibus aliis, id genus, universalibus.

Sexto, possibilem esse speciem creatam subijcibilem, non prædicabilem, scilicet creaturam essentialiter immultiplicabilem. Probatur, quia, ex una parte, non apparet repugnantia in hoc prædicato, quod est: *creatura continens, formaliter, perfectionem totius integræ speciei*: ex altera parte, non est assignabile, quomodo salvari possit hoc prædicatum, quin trahat essentialem immultiplicabilitatem in creatura.

Septimo, differentia collateralis inferiori non includi genus, nec differentiam superiorem collateralem. Probatur, tum quia, si includeretur; non posset assignari, quomodo differentia inferior differret a specie, puta rationale, v. g. ab homine: tum quia nulla est necessitas dicendi, quod includatur.

Octavo, possibilem esse differentiam simplicem, & compositam inadæquatam. Probatur, quia neutra convincitur repugnans.

Nono, repugnare plures differentias adæquatas. Probatur, quia non potest intelligi, quomodo idem possit constitui, adæquate, per suum duplex esse, seu distinctivum; quin evadat manifesta chimera.

CVIII. Dico 2. Contra nos ita arguunt adversarii, sustinendo partes oppositas: nempe, quoad primum, quia non est assignabile, quomodo plura similia sint unum aptum ad universa.

le constituendum: cum, ex suo conceptu formali, similitudo opponatur unitati, quippe relatio: adeoque quomodo plura similia, sint unum, in eadem ratione, in qua sunt plura; prout requiritur ad universale constituendum.

Quoad secundum, in ordine ad primam partem: quia gratis dicitur, quod universale, in actuali prædicatione de inferioribus, amittat suam universalitatem, quam antea possidebat: & quare hæc præcise componi non possit cum veritate. In ordine ad secundam partem: quia non videtur intelligibile, quomodo unum individuum dici cum veritate possit universale.

Quoad tertium: quia non est ratio, quare, si potest universale constitui, independenter ab intellectu, beneficio similitudinis; non possit beneficio distinctionis formalis ex natura rei, aut alterius æquivalentis; saltem, dato, & non concessio, quod huius generis distinctio daretur a parte rei: immo quare, non etiam beneficio præcisionis objectivæ, ex hypothesi, quod daretur.

Quoad quartum: quia unitas confusionis, non dicit, ex suo conceptu, pluralitatem: cum repræsentet plura ad modum unius: adeoque non est assignabile; quare, quantum est præcise ex hoc capite, non sit reputanda unitas perfectior unitate similitudinis. Itaque

Quoad quintum: quia sola cognitio, confundens plura, repræsentat plura, ad modum unius: adeoque illa omnia unum, extrinsece ex parte actus, denominat, & constituit. Aliæ vero cognitiones, aut imagines plurium objectorum, aut unius tantum, diversæ, quomodocunque ponantur, non est explicabile, quomodo possint plura, cognita ut plura, reddere unum intentionaliter: aut unum, viceversa, reddere plura.

Quoad sextum: tum quia non apparet repugnans, quod omnis creatura possibilis, possit per divinam omnipotentiam multiplicari: neque enim apparent repugnantia individua similia, qualibet data creatura possibili excogitabili: ergo creatura essentialiter immultiplicabilis non est possibilis. Tum quia non videtur, quare, eodem prorsus arguendi modo, quo nos utimur ad probandam possibilem creaturam immultiplicabilem, non possit quis uti, ad probandam possibilem quamlibet aliam creaturam contrariam: immo ad probandam possibilem creaturam essentialiter per-

perfectissimam, essentialiter imperfectissimam; quin & essentialiter improductam, & essentialiter independentem ab ipso Deo.

Quoad septimum: quia nequit intelligi hujusmodi differentia, quin includat suam superiorem: aliter, v. g. non videtur, quoniam pacto, rationalitas differat ab intellectivitate, præcise accepta.

Quoad octavum, & nonum: quia eadem videtur esse ratio de omnibus his differentiis: ergo vel omnes tres repugnant, vel nulla.

*Corollarium.*

Sed hæc, tam nostra, quam adversariorum argumenta, sunt Negativa, ut constat ex dictis in clavi: ergo, in hac disputatione octava de universali, tam nos, quam adversarii, Negative philosophamur.



DISPUTATIO NONA  
De propositione particulari, seu singulari,  
ubi  
de individuo.

*Primo, de individuo primæ, & secundæ intentionis.*

*Secundo, de individuo signato, & vago.*

*Tertio, an ratio individui sit univoca,  
seu, an abstrahi possit ratio  
communis univoca ab om-  
nibus individuis.*

ARTICULUS I.

Quid sit individuum primæ, & secundæ intentionis;  
signatum, & vagum.

I. **D**ico 1. Propositio particularis, seu singularis, pro ut opponitur propositioni universali, seu plurali, de qua hactenus; est propositio, quæ subjectum continet particulare, seu singulare; quod quidem est individuum. Itaque de individuo præsens est disputatio. Jam, quoniam quadrifariam dividitur individuum, scilicet in primæ, & secundæ intentionis; in signatum, & vagum; ordine suo gradiendo; individuum primæ intentionis, seu primo intèntionaliter sumptum, idest consideratum in ordine ad esse, quod habet independentè ab intellectu, describitur a Porphyrio: *illud, cujus collectio proprietatum in alio reperiri nequit*: subintelligitur, saltem naturaliter: & de iisdem accidentibus, non solum per identitatem, verum, etiam per omnimodam similitudinem: propter Arriagam, qui notat, saltem in ordine nascendi naturaliter, duo individua non esse omnino similia: cum unum ante aliud nascatur: nec possint naturaliter compenetrari. Prædicta proprietatum collectio, in ordine ad quam describitur individuum, trito illo disticho continetur:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus,  
Unum perpetua, reddere lege solent.

Reputatur autem prædicta communiter, descriptio potius, quam rigorosa definitio: quia non explicat id, unde individuum forma-

maliter constitutur; sed accidentia, quæ se habent, ut signa ex quibus individuum cognoscatur: præterea, quia proprie, & rigorose, loqui videtur de individuis humanis, de quibus dicitur, esse cives: individua enim brutorum, & insensatorum, patriam, & nomen proprie, & rigorose non habent, nec dicuntur cives hujus, aut illius patriæ: sed minus proprie, & metaphorice.

Dico 2. Magis exacte individuum, primo intentionaliter sumptum, definitur a D. Thoma: *individuum est, quod in se indivisum*: & claritatis gratia additur, *ac a quolibet alio divisum*: individuum scilicet est, quod dividi non potest, seu multiplicari in aliud, quod sit adæquate, absolute, & rigorose ipsum, juxta ea, quæ diximus de unitate.

II. Dico 3. Individuum secundæ intentionis, seu secundo intentionaliter, est individuum, consideratum in ordine ad esse, quod habere potest dependentè ab intellectu. Subdividitur in prædicabile, & subjicibile: individuum prædicabile definitur a Porphyrio *cap. de specie: quod de uno solo prædicari potest*, v. g. Petrus. Individuum subjicibile definitur ab eodem: *est id, quod subjicitur speciei*: sub intelligitur, immediate, & qua tale.

Dico 4. Individuum signatum dicitur esse, aliquod unum, completum, determinatum, & certum: quod scilicet certis, & determinatis signis significetur. Unde individuum signatum, erit primo, quod nomine proprio significatur, v. g. Marcellus. Individuum signatum, erit secundo, quod significatur termino communi, affecto particularitatis signo determinato, v. g. hic homo; ille equus; tale album. Individuum signatum, erit tertio, quod per talem determinationem significatur, quæ uni competit, & nomini proprio, aut pronomini demonstrativo æquivalet. Atque huc reducuntur antonomasie, & similia, v. g. Virgo, idest Maria Sanctissima; Tuba Spiritus Sancti, idest D. Paulus Apostolus.

III. Dico 5. Individuum vagum definitur: individuum, seu singulare incertum, & indeterminatum: seu, ut alii explicant, terminus communis, affectus signo particulari syncategorematico, idest indeterminato, v. g. aliquis homo, aliquis oculus, aliqua navis. Alii cum Oviedo *contr. 4. log. punct. 3.* individuū vagum ita definiunt: *est certa res determinata, & singularis, quæ nequit demonstrari proprio nomine, vel termino distincto, ex vi cognitionis*, v. g. aliquis homo currit. Alii aliter sed omnes, si recte



recte explicentur, in idem recidunt. Arriaga *disp. 7. log. sect. 4. subsect. 5.* prædictam Oviedi definitionem impugnare videtur, ita arguendo: quando dicitur, v. g. aliquis homo currit; *T*<sub>0</sub>, aliquis homo, est individuum vagum; & tamen potest, proprio nomine, designari: ergo non recte definitur individuum vagum, modo prædicto. Sed contra Arriagam est: quia ipse, deinde post pauca verba, cum addat: *quia, ex vi modi significandi*, non magis hoc, quam illud denotatur, explicaturque per hunc terminum, aliquis; aut per particulam disjunctivam inter terminos, alioqui determinatos, v. g. *Petrus, vel Paulus*; manifeste coincidit cum Oviedo, dicente: individuum vagum designari non posse, non quidem in re, sed, *ex vi cognitionis*, puta tantæ claritatis, quanta cognosci, & dici possit: aliquis homo currit: non ulterius determinari, & discerni, utrum ille sit Petrus, Paulus, aut Marcellus.

## A R T I C U L U S II.

An detur individuum vagum.

IV. **D**ico 1. In re conveniunt omnes, non dari individuum vagum a parte rei, independenter ab intellectu: quia quodlibet individuum habet suum esse certum, & determinatum a parte rei: neque est hæc, vel illa res indeterminata, sed determinate hic angelus, hic homo: unde, quando dicitur, *aliquis discipulus loquitur*; licet designare non possim, quis ille sit; in se tamen determinatus est discipulus ille, qui loquitur. Sic, quando Christus ad discipulos inquit: *unus vestrum me traditurus est*: quanvis, apud ipsos, indeterminatum, & vagum esset hoc individuum; in se tamen erat determinatum, scilicet Judas, & non alius: & defacto bene discernebatur a Christo, perfectissimo cordium, rerumque omnium inspectore. Hæc sane videntur certa, fere apud omnes; quidquid in contrarium sentire videatur Lynceus *lib. 9. dialect. tract. 4. cap. 6. n. 78.* Ex dictis,

Dico 2. Datur individuum vagum per intellectum, quoad nos, qui res noscimus imperfecte. Quandoquidem, cum dicimus: aliquis homo cantat; vel Petrus, vel Paulus loquitur; tunc, præcise ex vi talis cognitionis obscuræ, nescimus, quinam determinate sit ille, qui cantat, aut loquitur: cum non possimus illum

*Ant. Forti.*

appel-

appellare nomine proprio, aut aliter demonstrare determinate: licet in se determinatus ille sit, ut supra innuebam. Hoc autem est, dari individuum vagum per intellectum, quoad nos: aliter erit questio de vocabulo. Itaque

Dico 3. Datur etiam individuum vagum in nostra voluntate, modo suo: quia, licet obscuritas, sicut etiam claritas, se teneat proprie ex parte intellectus, modiq; cognoscendi; non autem ex parte voluntatis, quæ est, ex natura sua, potentia cæca, quin plusquam cæca: quippe non privata, sed, ut ita dicam, negata visu, cujus est incapax; potest nihilominus voluntas amare, vel odio habere aliquod, quod, obscure cognitum, ipsi proponatur ab intellectu, non potente discernere, quodnam determinate illud sit, modo hætenus explicato. Contra vero,

V. Dico 4. Non datur individuum vagum in intellectu divino. Ita Oviedus supra citatus, & Hurtadus *disp. 6. logica sect. 8. paragr. 28.* contra Polizzium *in log. tract. 4. de universali disp. 31. sect. 4. subsect. 3. num. 56.* & Arriagam hic *num. 99.* & Lynceum supra citatum.

Assertio probatur: individuum vagum, in intellectu, oritur ex imperfectione cognitionis: ergo non habet locum in intellectu divino perfectissimo. Antecedens probatur: quia, v. g. (ut utar exemplo ipsius Arriagæ) quando dicitur: aliqua auditio missæ est necessaria ad servandum præceptum; vel sensus est absolutus, ita, ut vere, & realiter in se habeatur una auditio missæ, ad id necessaria: vel sensus est conditionatus, scilicet, aliquam auditionem missæ necessariam esse, ex suppositione, quod nulla alia haberi possit, aut hic & nunc non habeatur: si primum; propositio erit manifeste falsa: quandoquidem a parte rei dari non potest, ex superius dictis, nisi auditio missæ A, B, C, omnino determinata: atqui neque de auditione A, neque de auditione B, neque de auditione C, neque de ulla alia determinata auditione verificari potest, quod sit necessaria absolute ad observantiam præcepti: ergo sensus non est absolutus. Si vero dicatur secundum; peto: quando dicitur: una auditio sacri est necessaria conditionate, scilicet ex suppositione, seu in circumstantiis, in quibus nulla alia auditio sacri haberi posset, aut saltem nulla alia, hic & nunc, haberetur; vel omnes variae circumstantiarum combinationes possibiles, in quibus una tantum esset auditio sacri, discernuntur, vel non: si non discernuntur; dicimus

Phil. Neg. Log.

O o o

nos

nos facere individuum vagum, ex ignorantia, & imperfectione cognitionis; non autem Deus, cujus scientia omnium, etiam conditionatorum, est perfectissima. Si autem discernuntur varieg omnes circumstantiarum combinationes possibiles, in quibus una tantum adesset auditio sacri (ut clarissime a Deo discernuntur) discernitur profecto, quænam sit hæc auditio, quæ, hic & nunc, sola remaneret, & esset in illis circumstantiis necessaria; adeoque individuum vagum non habet locum in intellectu divino; & consequenter

VI. Dico 5. Nec in voluntate divina locum habet individuum vagum. Est contra Hurtadum: qui, licet ab intellectu divino excludat individuum vagum; illud tamen tribuit divinæ voluntati: in quo, ut contra ipsum notat Arriaga; videtur Hurtadus non procedere cohærenter.

Assertio probatur: Deus nequit absolute velle, quod non cognoscit possibile: nec cognoscere potest possibile, nisi, quod vere dari potest a parte rei: sed individuum vagum dari non potest a parte rei: adeoque nec a Deo cognosci possibile; aliter Deus falleretur: ergo nequit Deus absolute velle individuum vagum, & indeterminatum. Major est certa: si enim Deus posset velle, quod non cognoscit, esse possibile, & quod vere non est possibile; Deus esset imprudens, & infelix desiderando: imprudens; quia exponeret se periculo frustrandi suum desiderium absolutum: infelix, quia nunquam obtinere posset, quod absolute consequi vellet. Minor constat ex dictis. Consequentia est legitima.

Dico 6. Deus, exigens in scriptura par turturum, aut duos pullos columbarum, volebat aliquod determinatum, & certum, sub conditione; scilicet unum, in circumstantiis, in quibus non haberetur alterum: quandoquidem Deus, cum clarissime discerneret omnes circumstantiarum combinationes possibiles, in quibus deficeret par turturum; pro illis circumstantiis determinate volebat pullos columbarum: cumque discerneret etiam omnes circumstantiarum combinationes possibiles, in quibus deficerent duo pulli columbarum; pro hujusmodi circumstantiis, determinate, par turturum exigebat; quæ circumstantiæ, quia a nobis clare non discernuntur; ponitur indeterminatio, & confusio in nobis, obscure cognoscentibus, indeque volentibus imperfecte: non autem in voluntate increata, sicuti nec in intellectu divino perfectissimo.

A R-

A R T I C U L U S III.

Solvuntur Objectiones.

VII. **O**bjicies 1. Datur a parte rei individuum vagum, & indeterminatū ex parte objecti: ergo illud cognoscitur a Deo: cum sit omniscius: ergo potest Deus illud velle: ergo prima, & quarta, & quinta conclusio, sunt falsæ. Antecedens probatur: Deus cognoscit, ex duobus oculis, unum necessarium esse ad videndum: & hoc cognoscendo; cognoscit verum: & tamen ex parte objecti non est determinatus oculus, qui revera sit necessarius ad videndum: sic etiam dum cognoscit, aliquam navem necessariam esse ad navigandum: ergo datur a parte rei individuum vagum ex parte objecti.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo secundam partem antecedentis: ex parte objecti, non sunt absolute determinata, oculus, qui sit necessarius ad videndum; & navis, quæ sit necessaria ad navigandum, concedo; non sunt conditionate determinata, nego antecedens, & consequentiam. Deus perfectissime cognoscit, omnes combinationes circumstantiarum possibiles: adeoque discernit, quinam, determinate ex duobus oculis, sit necessarius ad videndum, ex suppositione, quod alter desit; quænam navis, ex suppositione, quod omnes aliæ desint, ad navigandum.

Objicies 2. Ergo, si uterque oculus desit; neuter est necessarius ad videndum.

Respondeo, distinguo consequens: neuter est necessarius, pro circumstantiis, in quibus uterque desit, concedo; pro circumstantiis, in quibus alter tantum desit, nego consequentiam. In circumstantiis enim, in quibus uterque oculus deest; impossibile est naturaliter videri: adeoque neuter est sufficiens, aut necessarius ad videndum, pro illis circumstantiis, idest in sensu composito cum iisdem.

VIII. **O**bjicies 3. Pro circumstantiis, in quibus uterque oculus deesset; neuter esset necessarius ad videndum: ergo sine utroque naturaliter videri posset. Consequentia probatur: sine eo, quod necessarium non est ad aliquem effectum; haberi potest effectus ille: ergo, si pro circumstantiis, in quibus uterque oculus deesset, neuter esset necessarius ad videndum; utique in his circumstantiis sine utroque videri poterit.

Respondeo, concessio antecedente, in sensu supra explicato; nego consequentiam: ad ejus probationem, distinguo antecedens: sine eo, quod necessarium non est ad aliquem effectum, poni potest effectus ille, nisi repugnet aliunde, transeat; secus, nego antecedens, & consequentiam. In sensu conjuncto cum defectu utriusque oculi, impossibile connaturaliter est, videre: ergo, cum implicet, componi visionem naturaliter cum his circumstantiis, ad visionem, quæ pro his circumstantiis est chimera; neuter oculus est necessarius, neuter sufficiens. Sic, si quis ita arguat: hic calamus non est necessarius ad producendum hircocervum: ergo sine hoc calamo produci potest hircocervus; respondendum, fallaciam esse de subjecto nō supponente: supponendum enim prius, rem esse possibilem: & deinde assumendum, illam poni posse sine eo, quod non est necessarium ad ipsam producendam; si tamen, habeatur, quod est sufficiens. De individuo vago plura etiam dicta sunt in *theol. lib. 1. de Deo disp. de prædest.* ubi de necessitate vago assentiendi alicui auxilio divinæ gratiæ.

#### A R T I C U L U S IV.

An ratio individui sit univoca, seu an ab omnibus individuis abstrahi possit ratio communis univoca.

IX. **D**ico 1. Omnia individua constituunt suum universale. Probatur: quia omnia individua sunt collectio similium, in ratione individui: sed collectio similium est universale, juxta nostra principia: ergo omnia individua sunt universale, in ratione individui. Major probatur: omnes homines sunt collectio similium, in ratione hominis: ergo omnia individua sunt collectio similium, in ratione individui. Consequentia probatur: ideo omnes homines sunt collectio similium, in ratione hominis; quia conveniunt in hoc, quod sint homo: & de singulis verificari potest, est homo, dicendo: Petrus est homo, Paulus est homo: sed etiam omnia individua conveniunt in hoc, quod sint individuum: & de singulis verificatur, quod sint individuum, dicendo, v. g. Petrus est individuum, Bucephalus est individuum, Melampus est individuum: ergo omnia individua sunt collectio similium, in ratione individui.

Dico

**Dico 2. Ratio individui est univoca. Probatur:** quia omnia individua univoce conveniunt, in ratione individui: ergo ratio individui est univoca. Antecedens probatur: omnes homines univoce conveniunt, in ratione hominis; omnia animalia, univoce conveniunt, in ratione animalis: ergo omnia individua, univoce conveniunt, in ratione individui. Consequentia probatur: ideo omnes homines univoce conveniunt, in ratione hominis; quia eorum nomen commune est: & ratio, significata per nomen, est omnino eadem, idest similis: itaut confundi possint per aliquam cognitionem, præcisivam ex parte actus, cui correspondeat hoc nomen; homo, seu animal: sed etiam hoc nomen, individuum, est commune omnibus individuis: & ratio, significata per nomen, est omnino eadem, idest, similis: itaut confundi possint per aliquam cognitionem, cui correspondeat hoc nomen, individuum: ex vi cuius, non minus significetur unum, quam alterum individuum; nec, præcise per hoc nomen, eorundem differentia discernantur: ergo & omnia individua univoce conveniunt, in ratione individui. Ideoque, loquendo per phrases, apud philosophos usitatas; constat ex dictis, abstrahi posse ab omnibus individuis rationem communem univocam. Ita Huradus, Aversa, Arriaga, Oviedus, & recentiores communiter: qui citant pro hac sententia D. Thomam, contra Lynceum, Bonasphem, & alios apud ipsos.

## A R T I C U L U S V.

### Solvuntur objectiones.

**X. Obijcies 1. Ex Porphyrio individuum prædicatur de uno tantum: ergo omnia individua non sunt univocale.**

**Respondeo**, distingo antecedens: unum individuum prædicatur de uno tantum, concedo; omnia individua, nego antecedens, & consequentiam. Unum individuum prædicatur de uno tantum, quia identificatur cum uno tantum: omnia individua prædicantur de omnibus, puta rigoroſe, quia identificantur cum omnibus: licet quodlibet, per similitudinem, sit unum, & idem cum omnibus: juxta nostra principia, de universali, constituto per unitatem similitudinis.

Ob-

Objicies 2. Ipsa collectio individuum similium, vel dici potest individuum, vel non: neutrum dici potest: ergo non est universale.

Respondeo, nego minorem: & eligo partem affirmativam: quia ipsa collectio individuum est quid unum, adeoque individuum: cum sit indivisibilis in aliud, quod sit absolute, rigore, & adæquate ipsa collectio.

Objicies 3. Omnia individua, simul sumpta, vel constant genus, vel speciem: neutrum dici potest: ergo non sunt universale.

Respondeo, nego minorem: & dico, quod constituent genus, quia prædicantur in quid de pluribus, specificè, idest plurquam numero, differentibus.

Objicies 4. Singularitas, seu individuatio est ratio disconveniendi: ergo non potest esse ratio conveniendi.

Respondeo, nego consequentiam. Eadem enim est ratio conveniendi, & disconveniendi, realiter loquendo: quod nihil aliud importat, nisi quod eadem singularitates, seu individuationes, sint confundibiles inter se, per unam cognitionem, minus claram; ex vi cuius, appellari possint individuum: & sint discernibiles inter se per alteram cognitionem clariorem; ex vi cuius, vocari possint Petrus, Paulus, Marcellus, ut sæpius dictum est.

Objicies 5. Licet omnibus individuis unum, idemque commune sit nomen; non tamen hominibus, omnino eadem est ratio individui, significata per nomen: ergo non univoca conveniunt inter se, juxta ea, quæ dicta sunt de univocis in *summ. disp. 1. n. 9.*

Respondeo, nego antecedens, quoad secundam partem. Et dico ut de omnibus, & singulis animalibus verificatur, *principium sentiendi*; ita de omnibus, & singulis individuis verificatur, esse *indivisum in se, & divisum a quolibet alio*: atqui ita de omnibus, & singulis animalibus verificatur, esse *principium sentiendi*; ut *ratio animalis*, præcisa, seu abstracta ab omnibus, sit una, & eadem, idest omnino similis, adeoque prorsus univoca: ergo & de omnibus, ac singulis individuis, ita verificatur, esse *indivisum in se, & divisum a quolibet alio*; ut *ratio individui*, præcisa, seu abstracta ab omnibus, sit una, & eadem, idest omnino similis, adeoque prorsus univoca. Ubi notandum, quod, si fortasse sub alio nomine individuum proferatur, aut describatur; poterit in-

de

de formari conceptus individui non univocus : si nimirum tale sit illud nomen , ut etiam , præcise ex vi illius , exprimitur diversitas rerum , per ipsum nomen significatarum : v. g. si ita describatur individuum , ut in ipsamet sui descriptione , & conceptu exprimitur diversitas , puta , *habentis nomen proprium , & patriam , vel proprie , & per se ; vel per accidens , & metaphorice* : hæc utique ratio individui non erit univoca , juxta ea , quæ dicta sunt in summulis *disp. 1. n. 8. & seq.* Ubi notandum , ut innuebam hic *art. 1. n. 1.* quod , quanvis quædam individua brutorum , aut insensatorum dicantur habere nomen *proprium* , ut canis Melampus , equus Bucephalus , mons Ætna , flumen Oretus ; Tò , *proprium* , sumitur minus proprie : nam vel sermo est de proprio physice , vel civiliter : si primum ; est falsum : quia nomen illud non est physice exactum ab illo determinato bruto , vel insensato : ergo non propriū , juxta ea , quæ dicta sunt *disp. 8. n. 100.* Si secundum ; contra est : quia nec civiliter solet imponi nomen cunctis , & singulis brutis , aut insensatis ; ut solet civiliter imponi cunctis , & singulis hominibus : ergo nec a quolibet individuo brutali , vel insensato exigitur civiliter : ergo neque est nomen civiliter proprium , & per se , sed per accidens , & minus rigorose proprium . Sic in ordine ad *patriam* : quatenus patria moraliter , seu civiliter sonat locum nativitatis , non quomodo-cunque , sed nativitatis , unde sumatur denominatio civilis : quæ proprie non competit brutis , aut insensatis ; sed personis , quæ proprie sunt capaces civilitatis , & denominationis civium .

XI. Objicies 6. Si singularitas , seu differentia individualis resolvi posset in suum genus , & differentiam ; etiam quodlibet aliud genus , & differentia posset successive resolvi in aliud , & sic in infinitum : ergo daretur processus in infinitum .

Respondeo , distinguo antecedens : infinitate ex parte objecti , nego ; ex parte actus , subdistinguo , syncategorematicè , transeat ; categorematicè , nego antecedens : & , distincto eodem modo consequente , nego consequentiā . Hoc nihil aliud importat , nisi , quod de quacunque re singulari possint fieri conceptus , & elici cognitiones , ex parte actus præcisivæ , clariores , & clariores sine fine ; itaut illarum numerus cohiberi possit arbitrio voluntatis . Quid in hoc absurdi ? Nonne Deus cognosci , amarique potest a nobis , per cognitiones , & actus amoris , perfectiores , & perfectiores in infinitum ; quin unquam perveniatur

ad



ad ipsum cognoscendum, & amandum, quantum cognoscibilis, & amabilis est?

## ARTICULUS VI.

Analysis prædictorum in argumenta negativa.

XII. **D**ico 1. Quæ, in hac brevi disputatione non agitata sunt, continent primo, individui definitionem, atque divisionem: secundo, individui vagi existentiam, aut non existentiam a parte rei, aut in intellectu nostro, aut divino; & in voluntate: tertio, rationis individui univocationem. Jam, quoad primum punctum de definitione, & divisione; sat est, quod diximus in clavi, disputatione prima, & in aliarum præcedentium disputationum analysi replicavimus. Quoad secundum punctum de individuo vago; nos illud, quoad nos, affirmamus: quia nihil aliud importat, quoad nos, nisi cognitionem obscuram, præscindentem ex parte actus: & volitionem, inde etiam imperfecto modo provenientem: neque enim assignari potest, quid aliud sibi velit individuum vagum, seu indeterminatio, quoad nos, ut cognoscentes, aut amantes, aut odio habentes. In se tamen, a parte rei, vagum individuum non agnoscimus: quia non apparet, quomodo individuum in se indeterminatum, & vagum, revera existere possit a parte rei: & quomodo omnis veritas objectiva, quæ absolute vaga, & indeterminata dicitur; non resolvatur tandem in veritatem, quæ sit revera conditionate fixa, & determinata. Quoad tertium punctum de univocatione individui; asserimus, discurrendum, ut de aliis rationibus, quæ ab ipsis adversariis univocæ reputantur: cum non sit assignabilis, quoad conceptum individui, dispar ratio.

XIII. Dico 2. Adversarii contra nos, quoad primum punctum, ut in clavi, & alibi supra dictum est. Quoad secundum; quia non videtur, quomodo quoad nos, citra falsitatem, dari possit individuum vagum, adeoque indeterminatio ex parte intellectus, & voluntatis; quin etiam dari possit a parte rei, adeoque in ipso intellectu, & voluntate divina, citra imperfectionem. Quoad tertium punctum; quia non est assignabile, quomodo ratio individui, utpote particularitas, singularitas, hæcceitas,

*Ant. Forti.*

di-

disconvenientia, esse possit universalitas, pluralitas, & ratio  
conveniendi: quæ, non apparet, quomodo inter se, non pugnent  
ex ipsis terminis.

*Corollarium.*

Sed prædicta omnia, tam nostra, quam adversariorum ar-  
gumenta, sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1.  
ergo tam nos, quam adversarii, in hac disputatione nona, sicut  
in præcedenti octava; agentes nimirum de propositione particu-  
lari, sicut de universali, ejus correlativa, procedimus Negative.  
Quid autem sonet, esse correlativum; explicabit



*Phil. Neg. Log.*

Ppp

Q P

## DISPUTATIO DECIMA

De propositione comparativa, seu relativa,  
ubi  
de Relatione.

*Primo, quid sit metaphysice relatio: Secundo, an detur  
relatio independenter ab intellectu. Tercio, in quo  
physice consistat: ubi aliorum sententia referuntur,  
& impugnantur: & traditur regula  
partium. Quarto, quotuplex sit relatio.  
Quinto quaedam relationis  
proprietates.*

## ARTICULUS I.

Quid sit relatio metaphysice.

I. **D**ico 1. Agendum hoc loco esset de propositionum varietate, deducta ex varietate materię, circa quam, idest rerum, circa quas versantur propositiones, artificio logicę, divisibiles. Jam prædicta materia communiter reputantur categorię, prædicamenta videlicet, seu rerum classes, ad quas rerum omnium series diversa reduci potest. Hęc celeberrima illa est categoriarum decas, de qua facete agebat Ammonius, ut vacet in stabulo, ita in hac decade res omnes, philosophorum arbitrio, collocari. Unde est, ut aliquibus nimium scrupulosis religio sit, Deum optimum maximum vel sub prædicamento substantię collocare, ut eum collocant defacto recentiores: non ideo impii, aut fortasse irreligiosi. Celeberrima, & communissima est prædicamentorum decas solemniss. Quanvis illorum omnium, alia divisio magis, vel minus ampla coordinari potuisset, ut notant auctores passim, & nuperrime Le Vayer in schola principum *log. capit. 5.* Est prædicamentorum decas, ut ajunt, primum excogitata ab Archyta tarentino; deinde recepta ab Aristotele, & fere omnibus. Numeratur primo, substantia: secundo, quantitas: tertio, qualitas: quarto, relatio: quinto, actio: sexto, passio: septimo, quando: octavo, ubi: nono, situs: decimo, habitus, & hęc prudenter: siquidem

Pri-

Primo, interroganti : quid res sit , respondemus per substantiam , v. g. homo.

Secundo, interroganti : cujus molis sit , respondemus per quantitatem , v. g. septipalmaris.

Tertio, interroganti : qualis sit , respondemus per qualitatem , v. g. calidus.

Quarto, interroganti : cujus sit , respondemus per relationem , v. g. ad patrem , ad filium.

Quinto, interroganti : quid agat , respondemus per actionem.

Sexto, interroganti : quid patiat , respondemus per passionem.

Septimo, interroganti : quo loco sit , respondemus per ubicationem.

Octavo, interroganti : quo tempore existat , respondemus per durationem.

Nono, interroganti : quomodo collocetur , respondemus per situm.

Decimo, interroganti : quomodo vestiatur , ornatur , armatur ; respondemus per habitum.

II. Primo autem, substantia est ens , per se existens . Et huc reducitur materia , forma , unio substantialis , & subsistentia , in sententia illorum , qui eam sustinent positivam , ut terminum , seu complementum substantiæ. Ubi notandum, quod aliqui, quodlibet individuum substantiale, primam substantiam dicunt : quodlibet genus, aut speciem substantialem, secundam substantiam appellant.

Secundo, quantitas est , quæ reddit corpus impenetrabile naturaliter cum alio corpore , id est non ponibile naturaliter in eodem loco cum illo.

Tertio, qualitas est id , per quod ens denominatur quale, puta calidum , frigidum : & importat omnia accidentia perfecta: ut sunt primæ qualitates , quæque ab illis proficiuntur , & aliæ.

Quarto, relatio est , de qua mox agendum ex professo.

Quinto, actio est id , quo causa producit effectum.

Sexto, passio est id , quo effectus producit , & subiectum patitur.

Septimo, ubi, seu ubicatio est id , quo res redditur præsens huic , vel illi loco.

Octavo, quando, seu duratio est id, quo res redditur existens pro hoc, vel illo tempore.

Nono, situs est dispositio partium rei quantæ, in ordine ad locum, v. g. sessio, statio, &c.

Decimo, habitus est id, quo subjectum denominatur vestitum, ornatum, armatū, aut alio modo se habens. Sed quoniam in valuit usus, ut de reliquis prædicamentis agatur sparsim in tota philosophia, & in logica solum de relatione; de hac præsens est disputatio, ubi agitur de propositione relativa. Propositio enim relativa est, quæ versatur circa terminos relativos. Igitur de relatione

III. Dico 2. Apud Aristotelem nomen hoc, relatio, in abstracto non invenitur: a latinis tamen Platonem imitantibus usurpatur. Aristoteles autem *cap. ad aliquid*, duplicem assertit relativorum definitionem: primam, quam a Platone accepisse creditur: *ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet ad alterum*: id est, relativa sunt illa, quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur: secundam in calce ejusdem capitis: *ad aliquid sunt; quibus hoc ipsum est, esse ad aliud, quodammodo se habere*: id est relativa sunt ea, quorum esse est ad aliud: scilicet, quorum esse est referri, seu ordinari ad aliud, seu ad alterum. Ex quibus relativorum definitionibus in concreto, illa communiter relationis in abstracto definitio circumfertur: relatio est esse alicujus ad alterum. Probat: quia hujusmodi conceptus competit omni, solique relationi: & salvat, quæ de relatione salvanda sunt: ergo hic est conceptus metaphysicus relationis. Antecedens probatur: quia relatio est id, per quod aliquod, sive unum illud sit, sive multiplex; constituitur formaliter relativum: sed aliquod formaliter constituitur relativum per esse sui ad alterum: ergo relatio est esse alicujus ad alterum. Major probatur: quia taleitas, in omni linea, est id, per quod aliquod constituitur tale, in illa linea, v. g. humanitas est id, per quod aliquis constituitur formaliter homo. Totalitas est id, per quod aliquod constituitur formaliter totum. Trinitas est id, per quod aliquod constituitur formaliter trinum: ergo relatio est id, per quod aliquod constituitur formaliter relativum, seu relativum. Minor constat ex definitione relativorum, ab Aristotele tradita: qua supposita, relationem in concreto definire contendimus. Ex dictis constat, in quo sensu

pas-

passim relatio dici soleat : ratio formalis , qua unum refertur ad aliud , puta ipsa referentia , seu ipsum referri unius ad alterum : respectus , seu respicientia , idest ipsum respici unius ab altero : nexus , seu ordo , idest , ipsum necti , in suo genere , unum cum altero : ipsum ordinari unius ad alterum , in sua linea . Hinc , ad vitandas æquivocationes , & lites de nomine , quæ regulariter ab æquivocis ortum habent ;

IV. Dico 3. Omnes formæ , seu quasi formæ , respectu subiecti , seu quasi subiecti , quod , suo modo , denominant ; sumi possunt absolute , & relative . Si absolute sumantur ; important formalè determinativum , in suo genere , ut aliqua resultet denominationio , v. g. Albedo est , in hoc sensu , forma denominans parietem album . Unio est forma , denominans unum unitum cum altero . Si relative sumantur ; important ipsum adæquatum denominationis constitutivum , v. g. albeitas , importat ipsum esse album ; idest ipsum parietem , & albedinem in ipso . Unitio unius cum altero , importat ipsum uniri unius cum altero : quod totum & per unum , & per alterum , & per unionem eorundem constituitur , & coalescit : quæ sunt valde notanda , ad meliorem constitutivi physici relationis intelligentiam , de quo infra .

V. Dico 4. Relativum , seu relatum , qua tale , est concretum , seu compositum , seu totum quoddam : sed forma concreti , seu compositi , seu totius , qua talis ; cuiuscunque generis illud sit , sive nimirum accidentale , sive substantiale , non est realiter distincta ab ipso concreto , seu composito , seu toto : cum sit forma metaphysica : ergo forma relativi , seu relati , qua talis , non est realiter distincta à relativo , seu relato , qua tali . Major hujus syllogismi probatur : quia relativum , seu relatum , qua tale , importat unum , prout ad alterum ; adeoque & unum , & alterum , & id , quod determinat unum , ut sit ad alterum : & , si præscindamus ab hoc conceptu metaphysico ; nihil est relativum , seu relatum , ut tale : gratis enim omnino dicitur , esse formaliter relativum , aut relatum , adæquate constitutum , cui talis conceptus metaphysicus non aptatur : cum aliunde certum sit , esse relativum , & relatum , quod est unum , prout ad alterum : ut patet in similitudine , dissimilitudine ; conformitate , disformitate ; convenientia , disconvenientia duorum inter se : quæ , omnium consensu , estimantur relationes predicamentales , & sunt , unum , prout ad alterum , seu esse unius ad alterum , reduplicative acceptum .

Mi-

Minor ejusdem syllogismi principalis probatur etiam : quia forma compositi , seu totius substantialis , qua talis , non est realiter distincta ab ipso toto substantiali : neque enim oportet dari formam aliquam totalitatis ab ipso toto , idest a partibus omnibus , collective acceptis , realiter contradistinctam : sicut non datur humanitas , realiter distincta ab ipsomet homine ; equinitas , realiter distincta ab ipsomet equo : ergo , proportionem servata , eodem modo , discurrendū de forma concreti , seu compositi accidentalis , ob rationis identitatem : si enim humanitas , quæ dicitur forma metaphysica hujus totius substantialis , quod est homo ; non est , quid realiter distinctum ab ipsomet homine , qui physice importat animam , corpus , & unionem substantialem ; nec albeitas , quæ dicitur forma metaphysica hujus totius accidentalis , quod est album , erit quid realiter distinctum ab ipsomet albo : quod physice importat parietem , albedinem , & unionem accidentalem ; & , in subiecta materia , relativitas , seu ratio , quæ est forma metaphysica hujus totius , quod est relativum , seu , relatum , adæquate sumptum , qua tale ; non erit quid realiter distinctum ab ipso toto : adeoque physice importabit & unum , & alterum , & id , quod determinat unum , ut sit ad alterum . Itaque

Aliud est , quærere formam in aliquo concreto accidentali : aliud est , quærere formam ipsius concreti accidentalis : sicut aliud est , quærere formam in aliquo composito substantiali : aliud est , quærere formam ipsius compositi , qua talis , idest formam , totalitatis . Enimvero forma in toto , v. g. in homine , est anima rationalis , quæ est forma physica , relate ad subiectum physicum , quod est corpus : forma vero totalitatis in ipso homine , non est quid , realiter distinctum ab ipsomet toto homine : cum realiter physice importet animam , corpus , & unionem : sitque forma metaphysica , quæ concipitur ad modum physicae , tribuens huic toti denominationem hominis . Et , in subiecta materia , ratio fundandi , cum est realiter distincta ab extremis , v. g. duplex albedo , unita duobus parietibus , potest quidem considerari , ut forma in toto relativo , seu relato : non autem , ut forma ipsius totius relativi , seu relati : siquidem hujusmodi duplex albedo est forma physica , respectu duplicis sui subiecti , cui accidit , quodque denominat album : non autem est forma , adæquate denominans relatum : nam relativum , seu relatum , qua tale , importat hoc totum , quod est , esse unius ad alterum , reduplicative , seu ,  
unum

unum esse ad alterum. Cujus totius formæ totalitatis, metaphysice abstracta, non distinguitur realiter a partibus, collectivè acceptis; quæ sunt unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit, ad alterum; &, in casu nostro, unum parietem, ut sit, sicuti alter paries, in hac qualitate, quæ est albedo. Ex dictis,

VI. Dico 5. In relatione duæ considerari possunt rationes, formalitates, seu prædicata: primo nimirum, esse *in*: secundo, esse *ad*: dicitur relatio esse *in*, suo modo, respectu sui subjecti, in quo ipsa relatio inveniri intelligitur, modo suo. Dicitur esse *ad*, respectu termini, ad quem refert. Jam per Tò, in, relatio convenit cum aliis formis, quæ non sunt relatio, vel non considerantur, ut tales: per Tò, ad, ab illis discriminatur, quæ, ut melius innotescant; notandum, tria requiri ad relationem: primo fundamentum; secundo terminum; tertio rationem fundandi. Fundamentum, quod alii subjectum, seu remotum fundamentum appellant, est id, quod refertur ad alterum. Terminus est illud alterum, ad quod refertur. Ratio fundandi, quam aliqui proximum fundamentum vocant, est id, in quo fundamentum respicit terminum: seu id, quo positò, intelligitur relatio inter fundamentum, & terminum resultare. Itaque, v. g. in relatione paternitatis, pater dicitur fundamentum: filius dicitur terminus: actio prævia, & actio generativa, dicitur ratio fundandi. In relatione similitudinis, paries albus A, dicitur fundamentum: paries albus B, terminus: albedo, utrique unita, ratio fundandi. Ex quibus colligitur, fundamentum, & terminum debere esse inter se realiter distincta, ut inter illa intercedat propria, & rigorosa relatio: quia hæc ex suo conceptu metaphysico, est, esse alicujus ad alterum: ergo ubi non habetur proprie, & rigorose unum, & alterum; proprie, & rigorose relatio non habetur. Hinc cognitio reflectens supra seipsam, & causa, quæ seipsam produceret, non reputantur proprie, & rigorose relativa, & comparativa. Ratio autem ipsa fundandi potest esse, vel cum uno extremo identificata, vel cum utroque, vel etiam ab utroque realiter distincta, ut infra videbitur.

A R-



## ARTICULUS II.

An detur relatio independenter ab intellectu.

VII. **D**ico 1. Datur defacto relatio independenter ab intellectu. Est sententia communis, nec videtur posse negari: quandoquidem primo, in divinis, independenter a nostro modo concipiendi, datur Paternitas, Filiatio, Spiratio: vere, & realiter Pater generat Filium: Filius generatur a Patre: uterque spirat Spiritum Sanctum, qui ab utroque procedit. Atqui hæc sunt veræ, propriæ, & rigorosæ relationes, ut dictum est *in theol. lib. 1. de Deo*. Secundo, etiam in creatis non videntur posse negari relationes, independenter ab intellectu: quia independenter ab intellectu habetur esse unius ab altero: ut, esse creaturæ a Deo; esse lucis a sole; esse filii a patre; &, in universum, esse effectus a causa; independenter ab intellectu habetur esse unius cum altero: ut, materiæ cum forma sibi unita, accidentium cum substantiâ; independenter ab intellectu habetur esse unius in alterum: ut cognitionis, & volitionis in suum objectum; independenter ab intellectu habetur esse unius, sicuti alterum: nam, nemine cogitante, Petrus est homo, sicuti Paulus: paries est albus, sicuti alter paries item albus: lignum bipalmare A, est quantum, sicuti lignum bipalmare B: ergo, independenter ab intellectu, datur diversimode esse unius ad alterum, quod est, dari relationem, & quidem formaliter: quia esse causam, & effectum; esse patrem, & filium; esse simile, & dissimile; æquale, & inæquale; aut alio modo comparabile cum altero; non pendet ab intellectu: sicuti non pendet ab intellectu, quod sol producat, & lux producat; quod Petrus sit homo, & Paulus sit homo; quod paries A, sit albus, & paries B, item albus; quod lignum A, sit bipalmare, & lignum B, pariter bipalmare: ergo intellectus in rebus invenit, non facit relationes.

VIII. Dico 2. Opinio illorum remanet impugnata, qui negarunt, saltem in creatis, dari defacto, nemine cogitante, prædicamentales relationes. Pro qua sententia citatur ab aliquibus Aureolus, sed immerito: eam tamen sustinet Bonaspes *log. tract. 3. disp. 3. resolut. 2.* volens, relationem inter duo consistere formaliter in actu intellectus, quo unum cum altero, in sua linea, confertur, seu comparatur. Quod si per Tò, formaliter, intelli-

Ant. Forti.

gat

gat Bonaspes, & alii cum ipso, intentionaliter, idest formaliter ex parte actus; utique in hoc sensu verum dicit: sed non videtur facere ad rem. Quia certum est, quod relatio, prout cognita, prout secundo intentionaliter accepta, reduplicet actum intellectus: & in hoc sensu, non solum relatio, sed quodvis aliud prædicatum, prout distinctum formaliter ab aliis prædicatis, cum quibus realiter identificatur; habetur dependenter ab intellectu. Verum non ideo bene quis absolute, & simpliciter pronuntiaret, si diceret: non datur in Deo formaliter omnipotentia, non iustitia, non misericordia, non alia attributa formaliter; sed fundamentaliter tantum, independentem ab intellectu. Et ratio est, quia, quando dicitur, *Tò*, formaliter, sine addito, prout opponitur, huic termino, fundamentaliter; significatur, nihil deesse illi rei, ut actu sit talis; adeo nimirum, ut non expectet aliud complementum: atqui Deus, independentem ab intellectu, est actu perfectissime omnipotēs; actu perfectissime intelligēs; actu perfectissime misericors: ergo, independentem ab intellectu, dici debet formaliter talis, absolute, & simpliciter loquendo. Et eadem est ratio de aliis prædicatis, etiam in rebus creatis: & in subiecta materia, de relatione, seu comparabilitate duorum, in linea sua: quæ sane habetur in rebus, independentem ab intellectu, in eo sensu, quo, independentem ab intellectu, habetur in homine animalitas, rationalitas, risibilitas: & in Deo omnipotentia, iustitia, misericordia, & reliqua omnia attributa, seu prædicata.

Dixi, negari a Bonaspe, & aliis cum ipso, independentem ab intellectu, saltem in creatis, relationes. Ceterum, etiam in divinis, contendunt, id sustineri posse, citra ullum absurdum, aut errorem in fide: quatenus, inquiunt, nemine cogitante, datur quidem, in divinis, generatio activa, & passiva, nec non spiratio item activa, & passiva: sed non formalis relatio Generantis, & Geniti, & Spirantis, & Spiritus Sancti. Verum, hæc sustinere etiam in divinis; certo videtur esse contra communem sensum Patrum, & theologorum: quod videlicet in Trinitate, independentem a nostro modo concipiendi, non detur formalis relatio Patris ad Filium; Filii ad Patrem; & utriusque ad Spiritum Sanctum; & Spiritus Sancti ad utrumque. Equidem ab his abstinere, etiam quoad modum loquendi, maxime in divinis, putarem tutius adversariis.

*phil. Neg. Log.*

*Qq q*

*Dico*

Dico 3. Sententia communis prædicta, quod scilicet detur defacto relatio, independenter ab intellectu, probatur ab aliquibus: quia, sicuti imagini artefactæ connexio, oppositio, varietas partium, conciliat unitatem, varietatem, & pulchritudinem; ita congruum fuit, ut natura naturans, idest Deus, supremus, atque admirabilis orbis totius architectus, unitate, connexione, oppositione rerum creatarum inter se, idest varietate relationum, operi suo venustatem conciliaret. Verum hæc moralis congruentia potius est, & politica, quam philosophicum argumentum. Et adhuc respondebunt adversarii: hæc omnia, independenter ab intellectu, dari in rebus fundamentaliter, non formaliter.

### A R T I C U L U S III. Solvuntur Objectiones.

IX. **O**bjicies 1. Relatio duorum est illorum comparatio inter se: sed comparatio habetur ab intellectu: ergo relatio habetur, dependenter ab intellectu.

Respondeo, nego majorem: relatio est comparabilitas duorum inter se, seu fundamentum comparisonis, quod habetur in rebus, nemine cogitante: non autem est ipsa comparatio in actu secundo, quæ quidem habetur ab intellectu: ideo enim intellectus comparat parietem album, A, cum pariete albo, B; quia invenit illum parietem in qualitate, ita se habentem, sicuti hic. Ita, qui fodit thesaurum; illum invenit, detegit, agnoscit, non efficit, generat, aut producit.

Objicies 2. Veteres fere omnes, si Platonem, & Aristotelem excipias, negabant, dari relationes prædicamentales: ergo relatio est figmentum intellectus.

Respondeo, vel concesso antecedente, nego consequentiam: quia, si negabant; immerito negabant: vel potius distinguo antecedens: negabant, dari relationes prædicamentales, distinctas a fundamento, termino, & ratione fundandi, & ab omni ente absoluto, concedo; negabant, dari simpliciter, nego antecedens, & consequentiam. Hinc priscum illud axioma, scilicet: ad relationem non datur per se motus; puta, quia relatio nunquam sola, & quasi per se producitur: siquidem una cum rebus absolutis producitur, quibus realiter ipsa identificatur, ut mox videbitur. Sit, quoad hujusmodi identitatem, AR-

A R T I C U L U S IV.

In quo physice consistat relatio.

X. **D**ico 1. Relatio physice consistit in fundamento, termino, & ratione fundandi. Est sententia communis, tum apud veteres, tum apud recentes. Illam tuentur Nominales, Okamus, Gregorius, Alexander, Gabriel, Aureolus, Ægidius, Hervæus, Vasquez, Suarez, qui vult, eidem sententiæ suffragari Divum Augustinum, Damascenum, Anselmum, & Divum Thomam : quos omnes adducit, & sequitur Augustinus Spino *quæst.* 12. *cap.* 5. quanvis Suarez etiam pro opposita parte, ut infra dicemus, afferri soleat. Pro eadem nostra sententia stant Hurtadus, Delugo, Arriaga, Oviedus, Giattinus, Guarinus, & recentiores sine numero. Assertio probatur : relatio est, unum, seu aliquod esse ad alterum : atqui, unum esse, ad alterum ; physice, importat fundamentum, terminum, & rationem fundandi : ergo relatio, physice considerata, importat fundamentum, terminum, & rationem fundandi. Major constat ex dictis *art.* 1. Minor probatur : hoc, quod est : unum esse ad alterum, physice, & adæquate importat unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum : sed hæc sunt fundamentum, terminus, & ratio fundandi : ergo, unum esse ad alterum ; physice, importat fundamentum, terminum, & rationem fundandi. Major probatur : hoc quod est, unum esse ad alterum, & hæc tria, nempe unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum ; realiter identificantur : ergo hoc, quod est : unum esse ad alterum ; physice, importat unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum. Antecedens probatur : inter hoc, quod est : unum esse ad alterum : & inter hæc tria ; nullum intercedit signum realis distinctionis : ergo hoc, quod est : unum esse ad alterum : & hæc tria ; realiter identificantur. Antecedens probatur : inter hoc, quod est : unum esse ad alterum : & inter hæc tria ; non intercedit separabilitas : nam implicat, etiam per adversarios, haberi, suo modo, hæc tria, & non haberi formaliter hoc, quod est : unum, esse ad alterum : sicuti implicat, haberi materiam, & formam, & unionem ; & non haberi formaliter totum : nec non, e converso, implicat haberi hoc, quod est : unum esse ad alterum, & non haberi, suo modo, hæc tria, nempe, & unum, & alterum, &

Qq 2

id,

id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: nec aliud est assignabile signum realis distinctionis, quod intercedat inter hoc, quod est: unum esse ad alterum; & inter tria prædicta: ergo inter hoc, quod est: unum esse ad alterum; & inter hæc tria, nullum intercedit signum realis distinctionis.

XI. Immo habent signum realis identitatis, quæ habetur inter constitutum, & physica sui constitutiva: quandoquidem ita se habent hæc tria, ut his intellectis, seu præcise habitis, & quocunque alio, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente; habeatur formaliter hoc, quod est: unum esse ad alterum: cum quodvis aliud gratis omnino requiratur. Et, viceversa, aliquo ex his, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente, & habitis quibuscunque aliis; non habeatur formaliter, nec intelligi possit, hoc, quod est: unum esse ad alterum: ut constare videtur ex ipsis terminis. Si enim non intelligatur unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum; implicare videtur, ex ipsis terminis, intelligi adæquate hoc, quod est: unum esse ad alterum: sed hoc est signum realis identitatis, quæ habetur inter constitutum, & physica sui constitutiva: quo negato; tollitur de medio omne signum cognoscendi partes, seu quasi partes constitutivas, ut infra videbimus, & alibi sæpiissime dicitur tum in philosophia, tum etiam in theologia: ergo hoc, quod est: unum, esse ad alterum; & hæc tria, habent signum realis identitatis, quæ habetur inter constitutum, & constitutiva physica ejusdem. Major probatur: quia prædicto modo se habent materia, forma, & unio, in ordine ad hoc, quod est: unum esse cum alio; prædicto modo se habent sol, lux, & actio, in ordine ad hoc, quod est: unum esse ab altero; prædicto modo se habent paries, A, & paries, B, & utriusque albedo cum illis, in ordine ad hoc, quod est: unum esse, sicuti alterum: ergo prædicto modo se habent fundamentum, terminus, & ratio fundandi, in ordine ad hoc, quod est: unum esse ad alterum. Quæ quidem doctrina congruit doctrinæ Aristotelis, ubi docet: detractis omnibus a domino, & servo, præter esse domini, & servi; semper dominum esse servi dominum. Itaque

Primo, relatio convenientiæ Petri cum Paulo, in humanitate; importat physice, utrunque esse hominem: id est ipsum esse Petri, & ipsum esse Pauli: neque hic requiritur ratio fundandi distincta: cum nequeat esse Petrus, & esse Paulus; quin uterque sit homo, unus, sicuti alter.

Se-

Secundo, relatio convenientiæ Petri cum Paulo, in albedine; importat, utrumque esse album : idest esse Petri, & esse Pauli, & albedinem utriusque cum illis, & in illis.

Tertio, relatio convenientiæ Petri cum Paulo in duratione; importat, utrumque durare hodie, idest esse Petri, & esse Pauli, & durationem hodiernam utriusque cum illis, & in illis.

Quarto, relatio inter causam, & effectum importat, unum producere alterum : idest ipsum esse causæ, & ipsum esse effectus, & actionem productivam.

Quinto, relatio inter potentiam, vel cognitionem, & inter suum objectum; importat: unum, ut quod, vel ut quo, cognoscere alterum, seu posse cognoscere : idest ipsam potentiam, vel ipsam cognitionem, & ipsum objectum : & sic de aliis relationibus, proportionem servata.

XII. Dico 2. Nisi physice existat tum fundamentum, tum terminus, tum ratio fundandi; non existit physice tota relatio. Probat: quia non existit physice totum constitutum; nisi physice existant omnia ejus constitutiva; utpote, cum quibus realiter adæquate identificatur: atqui fundamentum, terminus, & ratio fundandi sunt constitutiva relationis, cum quibus hæc realiter adæquate identificatur: ergo non existit physice tota relatio; nisi existant physice tum fundamentum, tum terminus, tum ratio fundandi.

Dico 3. Ex relationibus plures ita se habent, ut possint esse quid permanens: ita nimirum, ut possint simul physice existere, quoad omnem sui partem: ut Petrus, & Paulus, & eorum albedo cum illis, & in illis; Deus, & creatura, & actio, quæ hæc dependet ab illo. Quædam vero ita se habent, ut sint quid successivum; adeoque importent partes, non simul physice coexistentes, sed unam post aliam: cujusmodi est, inter alias, relatio prioris, & posterioris, quoad tempus: non enim simul physice existit totum id, per quod Petrus constituitur tempore antiquior Paulo: cum hoc importet etiam durationes successive præteritas: nihilominus, juxta communem loquendi modum, multæ relationes denominant, in sua linea, quanvis non secundum omnem sui partem physice existant: sic Petrus dicitur antiquior Paulo; licet non existant physice omnia constitutiva antiquitatis: Philippus dicitur pater Alexandri, & Alexander filius Philippi; licet non existant physice omnia constitutiva paternitatis, & filiationis eorundem.

A R.

## ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

XIII. **O**bjicies 1. Si vera esset nostra sententia ; relatio non esset unum. Consequens est falsum : ergo & id, unde sequitur.

Respondeo, nego sequelam majoris : vel, claritatis gratia, di-linguo : relatio non esset unum unitate simplicitatis, concedo ; unitate compositionis, nego sequelam majoris : & distinguo minorem : consequens est falsum in sensu negato, concedo ; in sensu concesso, nego minorem, & consequentiam. Relatio est unum totum compositum, indivisibile in aliud, quod sit absolute, rigoro-se ; & adæquate ipsum : licet non sit, quid physice simplex : ita acervus tritici est unum, in ratione acervi : homo est unum, in ratione hominis : quanvis consent physice ex partibus, inter se realiter distinctis.

Objicies 2. Sequitur in nostra sententia, quod relatio non sit unum per se, sed unum per accidens : ergo nostra sententia est falsa.

Respondeo, distinguo antecedens : physice, concedo ; logice, nego antecedens, & consequentiam. Sic, esse vestitum, non est unum per se physice : constat enim ex homine, & veste, quæ illi accidit : logice tamen loquendo, hoc concretum, quod est : esse vestitum ; habet suam essentiam unam, & indivisibilem, quæ non minus constituit unum hoc concretum, in ratione talis concreti ; quam esse Petri constituat Petrum unum, in ratione hominis ; & hoc est, esse logice unum per se.

XIV. Objicies 3. Sequitur in nostra sententia, quod relatio pertineat ad diversa predicamenta : nam relatio similitudinis, v. g. inter parietem album A, & parietem album, B, includit duas substantias, adeoque pertinet ad prædicamentum substantiæ : includit præterea albedines, adeoque pertinet ad prædicamentum qualitatis : consequens est absurdum : ergo & antecedens.

Respondeo, distinguo sequelam majoris : sequitur, quod relatio pertineat ad diversa prædicamenta, sub diversa consideratione, concedo ; sub eadem consideratione, nego sequelam majoris : & distinguo minorem : in sensu negato, concedo ; in sensu concesso, nego minorem, & consequentiam. Quod idem diversimode

de consideratum, pertineat ad diversa prædicamenta, non est absurdum. Quandoquidem etiam ipsa productio effectus a causa pertinet ad duo prædicamenta: relate enim ad causam dicitur actio; relate ad effectum, seu passum, passio nuncupatur. Esse vestitum, materialiter consideratum, inadæquate pertinet ad prædicamentum substantiæ; formaliter vero acceptum, pertinet ad prædicamentum habitus. Jam relatio, licet plura contineat, quæ, sub alio respectu considerata, pertinere possint ad diversa prædicamenta; præcise tamen, quatenus relatio est, seu præcise ut comparabilitas unius cum altero, diversum prædicamentum constituit: prædicamentorum enim diversitas, non a rerum diversitate physica, sed a diverso modo illas concipiendi, petenda est.

Objicies 4. Denominatio relativi est accidens: ergo relatio est accidens: ergo constitui illa non potest per duplicem substantiam.

Respondeo, *distinguo antecedens*: denominatio relativi est accidens logicum, concedo; physicum, puta adæquate accepta, nego antecedens: & *distinguo eodem modo consequens*: ergo relatio est accidens logicum, concedo; physicum, nego primam, & secundam consequentiam. Quemadmodum, esse vestitum, esse armatum, est quidem accidens logicum respectu Petri: accidit enim Petro, seu essentiæ hominis, jam aliunde perfecte constituti, habere vestem, vel arma; quæ ideo dicuntur accidentia logica, respectu Petri: licet tam vestis, quam arma, physice, sint substantia, idest ens, per se intentum a natura; ita accidit Petro quævis relatio propria, & adæquata: quia relatio, qua talis, importat etiam, suo modo, terminum, qui a Petro distinguitur: adeoque est extra essentiam Petri, & respectu ejusdem, accidens logicum. Non negaverim tamen, relationem constitui posse, & quidem seu inadæquate, seu adæquate, per accidens aliquod physicum: & hujus generis est relatio inter album, & album; vel inter albedinem, & albedinem.

XV. Objicies 5. Plura absoluta non possunt constituere relationem: ergo falsa conclusio.

Respondeo, nego antecedens: & contra sic argumentor: plura absoluta possunt in aliquo convenire, vel disconvenire; & constituere formalem, & adæquatam convenientiam, aut disconvenientiam, & quancunque aliam comparabilitatem sui ad invicem:



cem : sed hoc est constituere relationem , & relatum : ergo possunt plura absoluta constituere unam relationem : sicuti, viceversa, possunt plura relativa , ut sunt , materia , forma , & unio , constituere unum absolutum , v. g. hominem.

Objicies 6. Sequitur in nostra sententia , quod physice , & realiter eadem essent constitutiva paternitatis , ac filiationis: ergo physice , & realiter idem esset paternitas , ac filiatio.

Respondeo , concedo totum. Quid tum? idem, diverso modo consideratum, dicitur paternitas, & filiatio : sicut idem, sub diversa consideratione, etiam per adversarios , actio , & passio , dici potest.

Objicies 7. Si eadem physice , & realiter essent constitutiva paternitatis , & filiationis , sequeretur , quod pater , & filius essent sibi tales ad invicem . Consequens est absurdum : ergo & antecedens.

Respondeo , nego sequelam majoris . Qui dat esse , dicitur pater ; qui recipit , dicitur filius : & quidem ab eadem omnino relatione , physice , & realiter loquendo : quæ in filio , dicitur filiatio ; in patre , paternitas . Paternitas dicitur , cum consideratur pater in recto , filius in obliquo , v. g. Philippus est ad Alexandrum , seu Philippus est pater Alexandri : filiatio , cum consideratur filius in recto , pater in obliquo , v. g. Alexander est ad Philippum , idest a Philippo , seu Alexander est filius Philippi. Nec novum est, quod eadem omnino forma, diversis extremis, diversas tribuat denominationes. Sic eadem visio denominat oculum videntem , & objectum visum ; eadem cognitio intellectum cognoscentem , & objectum cognitum ; idem actus contritionis Deum amatum , & peccatum odio habitum ; duratio Petri hodierna , & durationes ipsius præteritæ , necnon duratio Pauli hodierna , & carentiæ durationum ejusdem præteritarum , denominant Petrum antiquiorem tempore , Paulum vero moderiorem . His profecto , & similibus denominationibus plena est universa philosophia.

XVI. Objicies 8. Independentem ab intellectu, non datur rectum , & obliquum : ergo, independentem ab intellectu , non datur unum ad alterum : ergo, independentem ab intellectu, non datur relatio.

Respondeo , distinguo antecedens : independentem ab intellectu, non datur rectum , & obliquum, secundo intentionaliter

*Ans. Fortis*

sum-

sumptum, concedo; non datur rectum, & obliquum, primo intentionaliter sumptum, nego antecedens, & consequentiam. Rectum, & obliquum, secundo intentionaliter, habentur post actum intellectus: qui, considerans unum in recto, alterum in obliquo; refert, & comparat, in sua linea, fundamentum relationis in casu recto, cum termino, cui comparat, venienti in casu obliquo: cum dicitur v. g. Philippus est ad Alexandrum, nimirum Philippus est pater Alexandri: vel e converso: Alexander est ad Philippum, nimirum Alexander est filius Philippi. Rectum vero, & obliquum, primo intentionaliter sumptum, est ipsa intrinseca, comparabilitas extremorum inter se, quæ habetur in rebus, independenter ab intellectu: licet enim res inter se tali, vel tali modo comparentur ab intellectu; habent tamen independenter ab intellectu hoc, quod est: esse comparabiles inter se tali, vel tali modo.

Objicies 9. Sequitur ex nostra sententia, quod filius sit pars constitutiva patris; & pater sit pars constitutiva filii: consequens est absurdum: ergo etiam id, unde sequitur.

Respondeo, distingo sequelam majoris: pars constitutiva patris, & filii reduplicative, concedo; specificative sumpti, nego sequelam majoris: & distingo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Pater reduplicative dicitur pater, ut pater: idest concretum, importans non solum ipsam entitatem Philippi, sed præterea reliqua constitutiva paternitatis, ut relatio est; in quibus enumeratur ipsa entitas filii, qui est terminus in tali relatione: & in hoc sensu entitas Alexandri, qui est filius, dicitur pars constitutiva patris reduplicative sumpti, seu Philippi, prout patris, seu in esse patris: sicuti cognitio dicitur, & est pars objecti cogniti, reduplicative quæ talis, idest prout cogniti, seu in esse cogniti: cognitio enim est pars hujus concreti, quod est: cognitum, seu Petrus cognitus. Pater vero specificative acceptus importat ipsam entitatem Philippi secundum se: in qua acceptione falsum est, filium esse partem constitutivam patris. Jam simili modo discurrendum est, in ordine ad constitutiva filii reduplicative, aut specificative accepti, & cujuscunque alterius relativi, proportionem servata: quæ sane crita sunt in philosophia.

XVII. Objicies 10. Relatio est ad alterum: sed in nostris principiis nequit intelligi, quomodo relatio sit ad alterum: cum

*Phil. Neg. Log.*

R r r

con-

consistat in ipsis duobus extremis, quæ non sunt ad alterum extra se ipsa: ergo relatio nequit, modo supra explicato, physice constitui.

Respondeo, nego maiorem. Relatum, specificative, est ad alterum: relatio vero est, ipsum esse unius ad alterum, adeoque falsum est rigoroſe, quod relatio, qua talis, sit ad alterum; nisi fortasse consideretur una relatio, prout similis, aut dissimilis, aut alio modo relata ad alterum, a se distinctum. Sic v. g. sol est ad lucem, ut causa ad effectum; lux est ad solem, ut effectus ad causam: hoc vero, quod est: solem esse ad lucem; lucem esse ad solem, quod importat ipsum hoc aggregatum: solis, lucis, & actionis; non est ad alterum in hac relatione. Sic quando dicitur: cognitum est id, quod terminat cognitionem; sensus est specificative: cognitum enim reduplicative, hoc est res cognita, prout cognita, quod est concretum ex re ipsa, & cognitione; non opus est, ut reflexe cognoscatur.

Obijcies 11. Crescentibus æqualiter duobus pueris, crescit æqualitas duorum in statura, non tamen crescit ipsa relatio æqualitatis: ergo relatio non consistit in duobus extremis, & in ratione fundandi, constantibus æqualitatem, similitudinem, conformitatem; aut, e converso, inæqualitatem, dissimilitudinem, difformitatem.

Respondeo, distinguo antecedens: non crescit ipsa relatio formaliter, concedo; materialiter, nego antecedens, & consequentiam. Crescunt pueri, adeoque crescit materia, & constitutum æqualitatis: & hoc est, crescere materialiter ipsam relationem: non tamen crescit formaliter ipsa æqualitas: quia tam nunc sunt æquales inter se pueri quadripalmares, ac prius, cum essent tripalmares. Simili modo, crescentibus iisdem pueris, crescit duplex homo materialiter, non autem formaliter: licet enim crescat corpus, non tamen dicitur formaliter crescere essentia hominis: neque enim puer tripalmaris est minus homo, quam puer quadripalmaris; licet nunc dicatur homo major materialiter, seu potius corpore magis extenso.

XVIII. Obijcies 12. Si relatio consisteret in aggregato ex fundamento, termino, & ratione fundandi; relatio prædicamentalis locum habere posset in Deo: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Major probatur: quia Deus habet aliquam similitudinem, & dissimilitudinem cum creaturis.

Respon-

Respondeo, concedo sequelam majoris; vel, claritatis gratia, distinguo: sequeretur, quod relatio prædicamentalis locum habere posset in Deo, per aliquod, ipsi Deo extrinsece superadditum, concedo; per aliquod, ipsi Deo intrinsece superadditum, tanquam subjecto, nego sequelam majoris: & distinguo minorem: consequens est absurdum, in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Sicuti non est absurdum, quod Deus, & diabolus constituent binarium; ita non est absurdum, quod Deus, & diabolus constituent binarium duarum entitatum similium, in ratione entis, dissimilium in perfectione; adeoque, quod Deus, & diabolus constituent relationem convenientiæ, & disconvenientiæ. Absurdum autem esset, ponere in Deo aliquod accidens ipsi intrinsecum, ut subjecto, per quod referatur ad creaturas: quælibet enim intrinseca mutatio variatio, subjectio, compositio, essentia divini immutabili, invariabili, perfectissimæ, simplicissimæ omnino repugnat.

Objicies 13. Si relativa, qua talia, essent concreta ex multiplici extremo; non posset assignari discrimen inter concreta relativa, & non relativa: ergo falsa conclusio.

Respondeo, nego antecedens: discrimen est, quia concreta relativa important extrema inter se comparabilia, ut talia, v. g. simile importat, ut fundamentum, parietem album, A, quod præbeat intellectui motivum comparandi illum cum pariete albo, B, tanquam cum termino hujus relationis: concreta vero non relativa important extrema, præscindendo ab eorum comparabilitate inter se, v. g. album importat parietem, & albedinem sibi unitam. Quod si in talibus concretis aliqua inveniatur comparabilitas, illaque velit considerari; tunc illa concreta, sub hac consideratione, erunt relativa, non pure absoluta.

XIX. Objicies 14. Qui cognoscit duplicem albedinem, non eo ipso cognoscit illarum relationem inter se, sive hanc identitatem, sive similitudinem velimus appellare: ergo tale aggregatum non constituit relationem.

Respondeo, nego antecedens; seu, claritatis gratia, distinguo: non eo ipso cognoscit relationem, extrinsece acceptam, concedo; intrinsece, nego antecedens, & consequentiam: seu, ut communiter distinguunt: non cognoscit relationem ex parte actus, concedo; ex parte objecti, nego antecedens, & consequentiam. Duplex albedo est conformitas duarum qualitaturn, illarumque

comparabilitas inter se, seu fundamentum dicendi: hæc est, sicuti illa: igitur duplex albedo est relatio. Qui ergo tale binarium cognoscit, cognoscit intrinsece, seu ex parte objecti, relationem; licet, ratione cognitionis obscuræ, & confundentis, non possit quandoque hanc appellare relationem, & discernere ab omni eo, quod non est relatio: & hoc est, non cognoscere relationem extrinsece, & ex parte actus. Sic diximus, loco suo, quod, qui videt, & cognoscit Petrum sive prope, sive a longe; semper cognoscit ex parte objecti nomen, secundum id, quod homo dicit intrinsece; licet, vitio cognitionis obscuræ, ex parte actus præscindentis, nequeat quandoque se determinare ad dicendū, quod illud objectum sit rationale, sit homo, sit Petrus.

Obijcies 15. Si relatio nihil dicit, præter plura absoluta, modo supra explicato; sequitur nihil esse respectivum in hoc prædicamento: quia album, A, priusquam adveniat album, B, est quid absolutum: album, B, adveniens, est etiam quid absolutum: ergo, si deinde, præter hæc duo, nihil consurgit; erunt duo absoluta, nullum relativum.

Respondeo, distingo sequelam antecedentis: sequitur nihil esse relativum, solitarie acceptum, concedo; simul cum aliis constitutivis relationis, nego sequelam, & consequentiam. Licet neutrum ex extremis, solitarie acceptum, sit relativum; si tamen simul sumantur, constituunt relatum, & relationem, idest duo inter se comparabilia: cujusmodi est, v. g. binarium *similium*. Sic album, A, non est binarium, neque album, B, est binarium; & nihilominus simul sumpta binarium constituunt: materia non est homo, anima non est homo, unio non est homo; & tamen hominem constituunt, simul sumpta.

XX. Obijcies 16. Stante nostra sententia, Philippus nunquam dici posset pater Alexandri: consequens est absurdum: ergo & id, unde sequitur. Probatur sequela majoris: paternitas, seu constitutiva paternitatis nunquam existunt simul physice: nunquam enim coexistunt actio prævia genitorum, actio generativa: ergo nunquam Philippus posset dici pater Alexandri.

Respondeo, nego sequelam majoris: ad ejus probationem, concessio antecedente, nego consequentiam. Sufficit ad denominationem patris, quod extiterit actio prævia, actioque generativa: nec requiritur, quod relatio, secundum se totam, physice  
exi-

existat. Ita peccator habitualis dicitur talis; licet peccatum habituale partialiter constituatur per peccatum præteritum, quod jam physice non existit, sed solum moraliter perseverat: ut dictum est *in theol. lib. 7. de Penit.* Ita domus dicitur antiqua; licet physice non existant durationes jam præteritæ, quæ sunt partes constitutivæ antiquitatis: ita aqua dicitur benedicta; licet physice non existat amplius benedictio, sed solum moraliter perseveret: ita, ut dicemus suo loco, hæc propositio: Antichristus erit, dicitur nunc absolute vera; licet non existat nunc Antichristus, qui est pars constitutiva talis veritatis.

Obijcies 17. Posita nostra sententia, nequit explicari, quid sit simile in communi: consequens est inconveniens, & absurdum: ergo & antecedens. Sequela majoris probatur: non potest dici, quod simile in communi sint habentia duas qualitates: siquidem album, & nigrum habent duas qualitates; & tamen non sunt similia, puta, quoad speciem infimam: neque alio modo id explicari potest: ergo absolute non potest, in nostra sententia, explicari, quid sit specificè simile in communi.

Respondeo, nego sequelam majoris: ad cujus probationem, nego secundam partem antecedentis, & dico: specificè simile, in communi, recte explicari per hoc, quod sint duo, aut plura, habentia qualitatem ejusdem speciei: & ita, ut possint, in ea ratione, una cognitione cognosci; una definitione definiri, per differentiam non subalternam. Hæc autem est difficultas, ab omnibus solvenda; etiam a modalistis, quorum est præsens objectio contra nos: nam sicuti, per adversarios, specificè simile, in communi, in hoc sensu, est fundamentum modi; ita, per nos, specificè simile, in communi, est fundamentum cognitionis confundentis: & sicuti, per illos, specificè simile, in communi, non est fundamentum cujusvisque modi: quia sic etiam album, & nigrum essent specificè similia, cum fundent modum convenientiæ in ratione qualitatis; sed talis, & talis modi; ita, per nos, pure specificè simile, in communi, non est fundamentum cognitionis, quomodocunque confundentis; sed tali, & tali claritate, quanta requiritur ad convenientiam pure specificam inter qualitates; quæ dicitur similitudo, in sensu, quem intendit objectio.

XXI. Obijcies 18. Sequitur in nostra sententia, quod non possit quis licite velle, amare, desiderare dissimilitudinem inter malos mores diaboli, seu Judæ, & bonos mores Petri: consequens

quens est absurdum : ergo , & antecedens . Sequela majoris probatur : si quis vellet , amaret , desideraret talem dissimilitudinem ; vellet , amaret , desideraret malos mores , qui sunt pars constitutiva talis dissimilitudinis : ergo non posset hanc licite velle , amare , desiderare .

Respondeo , distinguo sequelam majoris : sequitur in nostra sententia , quod non posset quis licite , velle , amare , desiderare dissimilitudinem inter malos mores Judæ , aut diaboli , & bonos mores Petri , absolute , & simpliciter , concedo ; ex suppositione , & secundum quid , nego sequelam majoris : consequens est absurdum , in sensu negato , concedo ; in sensu concessio , nego minorem , & consequentiam . Ad probationem sequelæ , distinguo antecedens : si quis vellet , amaret , desideraret dissimilitudinem inter malos mores Judæ , & bonos mores Petri , absolute , & simpliciter ; vellet , amaret , desideraret malos mores Judæ , concedo ; si quis vellet , amaret , desideraret prædictam dissimilitudinem , ex suppositione , & secundum quid ; vellet , amaret , desideraret malos mores Judæ , subdistinguo : secundum quid , concedo ; secundum esse simpliciter , nego antecedens , & consequentiam : & explico distinctionem . Dissimilitudo inter malos mores Judæ , & bonos mores Petri , in nostra sententia , est concretum quoddam , constans ex malis moribus Judæ , & bonis moribus Petri : ergo , absolute loquendo , idest , nulla facta suppositione , non potest creatura licite velle , amare , & desiderare simpliciter , quod hæc dissimilitudo existat a parte rei adæquate , & secundum se totam : quia hoc esset simpliciter velle , amare , desiderare malos mores , & peccatum Judæ . Sic , quanvis pœnitentia de peccato commisso sit bona ; quia tamen includit , ut partem , ipsum peccatum commissum præteritum , ut dictum est in *theol. lib. 7. de Pœnit.* non potest quis absolute , idest nulla facta suppositione , licite velle , amare , desiderare simpliciter , ut existat a parte rei pœnitentia : hoc enim esset simpliciter velle , amare , desiderare peccatum : nec sunt facienda , aut desideranda mala , ut eveniant bona . Sic etiam discurrendum de veritate hujus , & similium propositionum , qua quis enunciet : Petrus peccat : quæ veritas , utpote conformitas , dicit , ut sui partem constitutivam , ipsum peccatum , etiam in sententia adversariorum , saltem complurium , ut infra videbitur loco suo . Non militat eadem ratio , si loquamur facta suppositione , & secundum quid : quan-

quandoquidem, facta suppositione, quod jam existant mali mores Judæ; potest quis licite velle, amare, & desiderare, ut talibus malis moribus existentibus superaddantur boni mores Petri, ut inde resultet dissimilitudo inter mores utriusque: enimvero hoc non est velle, amare, & desiderare malos mores absolute, & simpliciter, sed secundum quid: idest velle, amare, & desiderare, ut hi mali mores, ex suppositione, quod jam existant; exercent munus partis: scilicet constituent, simul cum bonis moribus, qui absolute, & simpliciter, & secundum se licite amari, & desiderari possint, prædictam dissimilitudinem. Ita discuntur communitate theologorum, & præsertim recentiores, cum Jo. de Lugo in casu allato de pœnitentia: quam potest quis licite velle, amare, & desiderare, ex suppositione, quod jam extiterit peccatum: idque non est velle, amare, aut desiderare peccatum: sed, ex suppositione, quod peccatum extiterit; velle, amare, desiderare dolorem de illo: & quavis motivum formale sit, ut inde confurgat pœnitentia, quæ conflatur partialiter ex ipso peccato præterito; hinc tamen non infertur, volitum esse, & amatum, & desideratum peccatum simpliciter, & secundum se: sed duntaxat secundum quid, idest amari, & desiderari, ut, ex suppositione, quod peccatum extiterit; exercent munus prædictum, componendo una cum dolore salutari theriacam, ut ita dicam, & antidotum pœnitentiæ.

XXII. Hinc colligitur, non esse moraliter necessariam fugam mali amati secundum quid, modo explicato: quia malum, ita amatum, non deturpat, immo cohonestat potius voluntatem: cum sit constitutivum concreti, quod est valde bonum, & honestum. Verum hæc logicis inquisisse sit satis: de his redibit sermo in theol. lib. 7. de Pœnit. Contendunt aliqui, prædictum, argumentum solvendum etiam esse, in subiecta materia, ab adversariis modalistis: sed immerito: illi enim facile ab hac difficultate se expediunt, dicendo: quod, nulla facta suppositione, non possit desiderari formalis dissimilitudo inter malos, & bonos mores: quia illa necessario præsupponit fundamentum sui, quod partialiter constant mali mores; possit tamen licite desiderari, ex suppositione, quod existant mali mores: & desiderari quidem ex motivo formali dissimilitudinis: quia hæc, per adversarios, est modus superadditus, adæquate distinctus ab extremis: adeoque periculum non est, in eorum principiis, ut voluntas, in hoc motivo formali, aliquod malum attingat, per hoc præcise.

Utrum



Utrum autem, & quomodo possit Deus, etiam nulla facta, suppositione, prædefinire pœnitentiam, quin velit intentive peccatum; dictum est in theol. loco citato.

## A R T I C U L U S VI.

Aliorum sententiæ de physico relationis constitutivo referuntur, & impugnantur.

### Prima sententia modalistarum.

**XXIII.** **D**ico 1. Docent aliqui, esse relationem prædicamentalem, entitatem modalem, fundamento, termino, & rationi fundandi superadditam: quæ per se nullum aliud munus exerceat in natura, quam referendi unum ad aliud. Volunt ideo, habitis patre, filio, & ratione fundandi; illico modum quandam, ranarum instar, pullulare, per quem pater ad filium referatur: & ita in aliis relationibus, proportionem servata. Est sententia plurium, cum Caetano, Ferrariensi, Capreolo, Fonseca, Molina, Rubio, & thomistis communiter: nec non Pontio *disp. 15. log. quest. 3. con. 4.* Comptono *disp. 11. metaph. sect. 7. 8.* qui pro se, præter supra enumeratos, adducit Bañes, Sotum, Joannem à Sancto Thoma, Murciam, & D. Thomam. Contra hanc sententiam est, primo, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est, ad salvandam relationem, huiusce modi necessitas: ergo admittendus non est. Minor probatur: siquidem, per hoc præcise, quod habeatur Petrus, & Paulus, v. g. habetur formaliter unus homo, sicuti alter: atqui hoc est, haberi formaliter relationem, puta esse unius ad alterum: ergo nulla est necessitas talis modi: & sanè, sicut ad hoc, ut Petrus sit formaliter homo, non requiritur modus, superadditus ipsi Petro: neque ad hoc, ut Paulus sit formaliter homo, requiritur modus superadditus ipsi Paulo; ita neque, ut, ex suppositione, quod coexistent; existat binarium hominum, seu unus homo, sicuti alter, requiritur modus, ipsi binario superadditus. Et ita discurrendum, in sensu accommodato, de omni alia relatione: quandoquidem, habito fundamento, termino & ratione fundandi, quæ tria adversarii relationem duntaxat fundamentalem, appellant, idest fundamentum modi; gratis requiritur aliquid aliud ad formalem relationem.

*Ant. Forti.*

Con-

Contra eandem sententiam est secundo, quia prædictus modus, non solum videtur superfluous, verum etiam repugnans: implicat enim, quod modus sit adæquata relatio: quia relatio est, esse unius ad alterum: seu hoc, quod est, unum esse ad alterum: sed implicat, quod modus sit hoc, quod est, unum esse ad alterum: ergo implicat, quod modus sit adæquata relatio. Major constat ex dictis *art. 1.* hoc enim venit nomine adæquatæ relationis prædicamentalis, cujus quærimus physicam essentiam, idest partes constitutivas, unde physice coalescat. Minor probatur: quia hoc, quod est: unum esse ad alterum; adæquate importat unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: sed implicat, quod modus sit unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: ergo implicat, quod modus sit hoc, quod est, unum esse ad alterum. Major constat ex dictis, adhibita regula partium. Minor probatur: quia modus, cum sit una entitas, non potest esse unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: nequit enim unitas esse formaliter binarium, aut ternarium, ut patet ex ipsis terminis.

XXIV. Dico 2. Alii prædictam sententiam modalistarum impugnant:

Primo, quia sequeretur, quod orbis universus continuo, physice, & intrinsece mutaretur: siquidem ad desitionem, vel productionem cujuscunque rei, ut formicæ, existentis hic; deberent semper perire modi antiqui, & advenire modi novi diversarum relationum: quas relationes formica dicit, in ordine ad omnes alias entitates, existentes a parte rei: quin ad quemcunque motum muscæ, vel paleæ; ocyus innumeræ relationes, & modi in ordine ad variatam distantiam, orirentur: atqui hæc videntur in naturalibus mirabilia, & figmenta penitus arbitraria: ergo & id, unde proficiscuntur.

Secundo, quia commode assignari non potest determinativum productionis talium modorum, in locis valde dissitis, & remotis a loco, in quo inveniretur ipsa musca, vel palea.

Tertio, quia ipsimet modi relativi, vel referuntur ad invicem inter se, per se ipsos, vel per alium modum, ulterius superadditum: si primum; ergo sicuti modus, A, & modus, B, per solas suas entitates, possunt esse sibi similes, vel diversi; quare non etiam album, A, & album, B: cum non possint, suo modo, coexistere; quin unum sit, sicuti alterum? Si secundum; rursum

*Phil. Neg. Log.*

S s s

con.

contra est : quia modi, quibus referuntur ipsi modi inter se, vel rursus referuntur ad invicem inter se, per se ipsos, vel per alium ulteriorem modum superadditum : si primum ; ergo, quare non etiam priores duo modi, nec non album, A, & album, B, possint per suas entitates referri ad invicem ? si secundum ; ergo, ita procedendo, abimus in infinitum.

4. Quarto, quia, sicuti unus homo est similis alteri homini ; ita unus numerus denarius, alteri numero denario : & quidem, juxta adversarios, per modum superadditum, qui sit relatio denarii ad denarium : atqui nequit explicari, in quoniam, ex decem hominibus, modus iste subjiçetur : si enim in singulis ; ergo singuli sunt æquales numero denario : cum habeant æqualitatem ad illum : præter quam quod idem modus erit replicatus in pluribus : si in aliquo determinato homine ; assignetur in quo, & cur potius in hoc, quam in illo : si in nullo ; ergo num in concavo lunæ ?

Quinto, quia, in hac sententia, relatio identitatis, idest convenientiæ inter duas substantias, v. g. inter Petrum, & Paulum, esset accidens : sed hoc videtur inconveniens : ergo relatio non est modus.

XXV. Dico 3. His, & similibus argumentis, non videtur utendum : posset enim ab adversariis responderi :

Ad primum, nego minorem : sicut enim mirum non est, nec figmentum, quod in prædictis casibus, assidue producantur in mundo ubicationes, adeoque, & uniones ubicationum cum subiectis, quæ, per ipsas, afficiuntur ; ita nec mirum est, aut figmentum, quod producantur diversæ relationes, quæ ad prædictas ubicationes, adeoque ad prædictas distantias, aut indistantias consequuntur : cum aliunde probari contendant modalistæ, dari necessitatem admittendi entitates hæcæ modales, ad salvandas relationes, quas, sine modis, salvari minime posse arbitrantur ; ut, sine ubicatione, & duratione, & unione superaddita, salvari nequit rerum distantia formalis, & indistantia, conduratio, antiquitas, & similia. Argumentum igitur efficax tandem erit contra modalistas, non nisi, quia non habetur necessitas horum modorum relativorum, sicut habetur necessitas ponendi ubicationes, & uniones distinctas : quæ sane ubicationes, & uniones distinctæ, etiam negari deberent ; nisi actu efficaciter probarentur.

Ad secundum, nego antecedens : determinativum, vel primo esse extrinsecum, & distinctum : scilicet causam primam, ut caput totius

totius naturæ: ad quam non temere recurritur in similibus casibus: in quibus, ex una parte, requiritur productio alicujus effectus, ad præstandam denominationem: ut, in subjecta materia, requiri modos relativos, contendunt adversarii: ex altera parte, causa est remota, nec assignari commode potest ullum determinativum creatum, ipsi causæ debite applicatum, a quo ipsa determinetur: vel secundo determinativum extrinsecum, esse ipsummet terminum, quo posito, fundamentum sibi producit modum relativum: & viceversa, determinativum termini, ut sibi etiam producat modum correlativum, esse fundamentum: neque hinc sequi actionem ullam in distans: siquidem præcise determinare, non est ullo modo agere. Quod autem ita determinentur ad invicem, non esse absurdum: sicut absurdum non est, quod mutuo, & ad invicem referantur, quippe correlativa. Vel tertio, determinativum esse intrinsecum, atque identificatum, utpote situm in ipsamet entitate rei, quæ, ex essentia sua, hanc habeat cum termino sibi inditam sympathiam, ut termino coexistente; ocyus erumpat in modum, quo ad illum prædicamentaliter referatur. Quæ in his omnibus repugnantia? Tota igitur impugnatio, ut sit efficax, eo impetere debet modalistas, quod absque necessitate hosce modos relativos velint admittere, unde cogantur: vel primo, recurrere ad Deum: vel secundo, ad determinativa distincta, & remotissima: vel tertio ad hujusmodi sympathias.

XXVI. Ad tertium, nego hinc sequi processum in infinitum. Modos etenim ipsos esse relationem tum sui, tum suorum extremorum: & quidem, ex hoc ipso capite, ut scilicet vitetur processus in infinitum: cum, ex una parte, sint necessarii: ex altera parte, nisi referant etiam seipsos; indigerent alio modo superaddito, & sic alio, & alio ulteriore, sine fine. Et quidem ita passim etiam illi, qui negant modum in relatione, discurrunt de aliis modalibus entitibus: quas admittunt defacto, vel ad salvandam unionem, vel actionem, vel durationem, vel ubicationem: namque ipsi sustinent, unionem non indigere alia unione superaddita, ut se uniat; nec actionem alia actione superaddita, ut ipsamet producat a causa sua; nec durationem alia duratione distincta, ut ipsa duret; nec ubicationem alia ubicatione superaddita, ut ipsamet formaliter sit in loco. Igitur modalistæ aliunde tandem aliquando impugnandi erunt: quia videlicet, absque necessitate, adstruunt defacto tales modos relativos superadditos: nam sicut, ex

una parte, implicat, quod sibi coexistant duo modi relativi, & non sit unus, sicuti alter; ita implicat, quod sibi coexistant duo parietes albi, & non sit unus, sicut alter: ergo gratis ponitur, inter hos, aliquid aliud superadditum, ut sint formaliter similes, adeoque correlativi. Ex altera parte paritas unionis, actionis, durationis, &c. non probat: siquidem alia omnia extrema, quibus superadditur unio, actio, duratio, ubicatio distincta, vel sunt indifferencia, ut coexistant; nec tamen recipiant prædictos effectus formales in linea sua: vel de ipsis aliunde probatur, formaliter unionem, actionem, durationem, ubicationem, esse non posse.

XXVII. Ad quartum, nego minorem: nam dici posset, vel primo, quod, sicut quilibet homo refertur ad alium hominem, per suum modum relativum: & quilibet modus relativus, per se, refertur ad alium modum relativum similem sibi, & sic de singulis; ita totus numerus denarius tum hominum, tum modorum, cum alio numero denario comparatus; nec opus ulteriore modo superaddito: sicut non opus est alia entitate superaddita; ut decem homines, aut modi, numerum denarium constituent in suo genere: vel secundo, si daretur modus hic, intentus, ulterior; adhuc dici posset: esse modum quendam divisibilem, partitum singulis inædæquate, adeo tamen, ut non quælibet pars huius modi sit adæquata æqualitas ad denarium, sed duntaxat inadæquata. Sic, in sententia multorum (& fortasse etiam ex iis, qui modalistas impugnant hoc argumento) unio, saltem in composito materiali, est divisibilis, partim subiectata in materia, partim in forma: vel tertio, etiam dato, quod modus ille replicaretur in singulis; non inde, per hoc præcise, singulos denominaret æquales toti denario: quia, licet in singulis existeret; ipse tamen non esset singulorum æqualitas cum denario. Hæc trita sunt in philosophia: ut, non præcise, quia actus contritionis terminatur, in linea sua, tum ad Deum, tum ad peccatum; æque denominat tum Deum, tum peccatum amatum, aut odio habitum: cum non sit amor, aut odium utriusque, sed amor Dei, & odium peccati. Vel quarto, dici posset, quod ille modus esset quidem totus in uno homine, qui determinaretur a causa prima. Neque hoc temere: nam, ex una parte, habetur necessitas talis modi: ex altera parte, non est ejus major exigentia in uno, quam in alio homine: nec ratio intrinseca, cur in uno potius, quam in alio sit subiectandus: nec naturaliter potest relinqui sine subiecto, quippe

pe accidens: miracula autem non sunt ponenda sine necessitate: ergo, quoad determinationem subjecti, recurrendum ad causam primam: ut plures, etiam ex illis, qui hoc argumento contendunt premere modalistas, recurrunt ad causam primam, posita homogeneitate graduum, & effectuum; in ordine ad hunc potius, quam illum determinandum, quoad hic, & nunc, primo, secundo, tertio, aut quarto loco producendum, aut destruendum. Hinc satis constat, quod, ad modalistas efficaciter impugnandos, hæc, & id genus argumenta nulla sint: dum ipsi aliunde contendunt, dari necessitatem talium modorum: qua necessitate posita; querendum sane, & admittendum est eorum subjectum, aliqua ex prædictis viis, alioqui non repugnantibus: ut queritur defacto, in sententia communi, aliis modis, aut entitatibus superadditis; & quidem non sine difficultate, ex suppositione, quod aliunde admittantur, in rerum natura. Tota igitur difficultas erit, an revera huiusce modus relativus sit necessarius ad salvandam formalem relationem. Et tandem aliquando urgendi modalistæ, quia absque ulla prorsus necessitate adstruunt talem modum.

XXVIII. Ad quintum, nego minorem: & quidem non est inconveniens, quod motus substantiæ, ubicatio substantiæ, duratio substantiæ, situs substantiæ, habitus substantiæ sit accidens: ergo neque, quod relatio substantiæ sit accidens. Præterea hoc argumentum, etiam si vim haberet, quam re vera non habet; ad summum evinceret intentum, in sola relatione prædicta identitatis substantialis: non autem in aliis relationibus accidentalibus. Neque hæc paritas contra modalistas valeret: nimirum relatio identitatis, inter substantias, non est modus: ergo neque, inter accidentia, aut concreta accidentalia. Nam assignabunt disparitatem ad hominem: quia videlicet, admittere modum relativum accidentalem, in primo casu, est inconveniens; ut ipse arguens assumit, & supponit. Quod autem admittere modum relativum accidentalem, inter accidentia, seu concreta accidentalia, sit absurdum, aut inconveniens; non probatur. En igitur, ut semper opus erit recurrere ad non apparentiam necessitatis modi superadditi relativi, ad adversarios modalistas efficaciter convincendos.

## A R T I C U L U S VII.

Solvuntur Objectiones.

XXIX. **O**bjicies 1. Præscindendo a modo superaddito, habetur quidem similitudo, aut dissimilitudo; æqualitas, aut inæqualitas; & in universum conformitas, aut difformitas; convenientia, aut disconvenientia; & in universum comparabilitas duorum, idest quævis alia relatio; fundamentaliter tamen, non vero formaliter: ergo necessarius est modus, ad formalem relationem constituendam.

Respondeo, nego antecedens: quod omnino gratis assumitur, & absque ulla ratione: nam ita dici etiam poterit, omnia, formaliter, consistere in modo superaddito: entitates vero rerum, quas cernimus, esse res ipsas fundamentaliter, non formaliter. Hanc, quam vocamus albedinem, esse albedinem fundamentaliter; cæterum haberi formaliter albedinem, & album, per modum superadditum: ita de luce, calore, & aliis entitatibus, etiam compositis, dici poterit; si possunt modi ad libitum adhiberi, pro rerum, formaliter acceptarum, constitutivis, & complementis.

Objicies 2. Modus superadditus debet poni, in subjecta materia, ad varietatem, & pulchritudinem universi, ex ordine, & connexionione rerum inter se: ergo relatio debet esse physice modus.

Respondeo, nego antecedens: & primo, contra sic argumentor: varietas, connexio, & pulchritudo, quæ per relationem habetur in universo, sufficienter haberi potest, independenter ab hoc modo superaddito; ut, independenter ab intellectu, rerum relationes sufficienter haberi possunt, ipsis fatentibus adversariis. Secundo, contra est: quia per tot, ut ita dicam, fungini generis modos, orbis universus, vel evaderet pulchrior, vel non: si secundum, ut contendere sane quis posset; antecedens adversariorum est de subjecto non supponente: si primum; ex hoc ipso medio termino, contra adversarios est: quia, si nobis aliunde non constat hæc major pulchritudo per modales hæc entitates, alioqui superfluas, derivata in orbem hunc universum; non debet præsumi existens, per hoc præcise, ut orbis universus sit pulchrior, adeoque perfectior: aliter, absque ullo alio argumento, deberent poni defacto omnia possibilia, quæ ad majorem

rem orbis venustatem , adeoque , & perfectionem , possent conducere ; quod non debet : neque enim Deus posuit defacto orbem , pulcherrimum , & perfectissimum , adeout pulchriorem efficere non potuerit ; posuit tamen quem voluit , & qualem voluit , ob suos altissimos fines : quique aptissimus esset ad executionem suæ liberæ voluntatis , in præseati providentia . Tertio , contra est : quia , ex dictis , huiusmodi modus relativus repugnat : sicut repugnat modus , qui formaliter sit humanitas , idest , qui sit materia , anima rationalis , & unio : immo & modus , in universum , qui formaliter sit ternarium , aut binarium .

XXX. *Objicies 3.* Relatio est in subjecto : ergo est modus , ab illo realiter distinctus .

Respondeo , distinguo antecedens : in subjecto , tanquam quid , physice illi inhærens , nego ; metaphysice , subdistinguo : relatio inadæquate accepta , transeat ; adæquate , nego antecedens , & consequentiam . Sensus distinctionis satis constat , ex supratraditis .

*Objicies 4.* Relatio similitudinis , fundatur in unitate : sicut relatio dissimilitudinis fundatur in numero : ergo non potest relatio physice esse ipsa unitas , seu numerus ; ipsa similitudo , seu dissimilitudo .

Respondeo , distinguo antecedens : tanquam in radice metaphysica , concedo ; in physica , nego antecedens , & consequentiam . Relatio similitudinis fundatur in unitate , relatio dissimilitudinis fundatur in numero : sicuti humanitas fundatur in homine , & totalitas fundatur in toto . In universum , Aristoteles , quando divisit relationes , in relationes , fundatas primo , in unitate , & numero ; secundo , in actione , & passione ; tertio , in mensura , & mensurabili ; docuit , relationes primi generis importare unitatem , & numerum ; secundi generis , actionem , & passionem ; tertii generis , mensuram , & mensurabile : sive ut partes constitutivas , sive ut radices , sive ut connotata , juxta varias explicationes , at pro varietate opinionum , in quibus semper salvanda est prædicta divisio aristotelica .



## ARTICULUS VIII.

Secunda sententia

Connotantium, &amp; Formalistarum.

XXXI. **D**ico 1. Secunda sententia, est : quanlibet relationem prædicamentalem adæquate identificari cum suo fundamento : v. g. relationem similitudinis, inter albedinem, A, & albedinem, B, adæquate identificari cum albedine, A ; relationem paternitatis adæquate identificari cum sola entitate patris . Ita plures recentiores, citantes, pro se, Durandum, & Nominales; quanvis hi re vera nostram opinionem docuerint, putantes, relationem importare fundamentum in recto, terminū in obliquo. Formalistæ adducunt etiam, pro se, Suarez *disp. 47. metaph. sect. 2. n. 22.* merito tamen, an immerito; ipsi viderint. Certe Suarez hac de re videtur valde dubius, & incertus : immo & in ipsa *disp. 47. metaph.* nostræ sententiæ favere, pro qua illum adduximus, suo loco, cum Giattino, & Spinò, qui id advertunt. Vocantur autem plures ex his auctoribus Connotantes, seu Connotatores: quia, præter fundamentum, requirunt, ad relationem, terminum, & rationem fundandi : non tamen, ut partes constitutivas relationis, sed ut merum connotatum essentiale. Vocantur alii Formalistæ: quia hæc, præter fundamentum, requirunt quidem ad relationem; at non entitative, sed formaliter, seu denominative acceptam: quatenus, inquirunt, hæc requiruntur, non ut habeatur forma, quæ est relatio, identificata cum subiecto; sed, ut hæc forma tribuat denominationem, ut infra melius explicabitur.

Dico 2. Contra hanc sententiam est primo : quia, si relatio adæquate identificaretur cum fundamento; habito fundamento, haberetur relatio: atqui multoties habito fundamento, non habetur relatio: ergo relatio non identificatur adæquate cum fundamento: non enim potest idem simul esse, & non esse. Minor probatur: antequam paries, B, dealbaretur, habebatur paries albus, A; & tamen non habebatur similitudo, inter parietem album, A, & inter parietem album, B: insuper, priusquam Philippus generasset Alexandrum, habebatur entitas Philippi; & tamen non habebatur paternitas: ergo multoties, habito fundamento, non habetur relatio.

*Ant. Forti.*

Con-

Contra est secundo, quia, relatio, ex dictis, importat ex suo conceptu unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: sed implicat, quod solum fundamentum sit unum, & alterum, & id, quo determinat unum, ut sit ad alterum: ergo implicat, quod solum fundamentum sit adæquata relatio, quomocunque res explicetur.

## A R T I C U L U S IX.

Solvuntur Objectiones.

XXXII. **O**bjicies 1. Habita entitate fundamenti, habetur relatio, sive de cætero existat terminus, & ratio fundandi, sive non: ergo nostrum argumentum corrui.

Respondeo, nego antecedens; & contra sic argumentor: nunc habetur entitas pueri, qui post multos annos erit pater Marcelli: ergo nunc habetur hæc paternitas in puero: ergo nunc hic puer est pater Marcelli.

Objices 2. Cum connotatoribus: licet nunc habeatur entitas pueri, quæ est adæquata relatio paternitatis; non tamen habetur, prout connotans terminum, qui est filius: ad hoc autem, ut talis relatio tribuat denominationem patris; necesse est, ut connotet terminum: seu, sub diversis phrasibus, licet, existente puero, existat entitative adæquata relatio paternitatis; non tamen existit denominative, secundum denominationem, conceptibiliter, formaliter, secundum formalitatem, secundum id, quod dicit in obliquo: ergo adhuc nullum est nostrum argumentum, contra connotatores.

Respondeo, nego antecedens: nam, quando dicitur haberi, relatio paternitatis entitative, non autem, prout connotat terminum; aut aliæ phrasæ coacervantur; vel sensus est, haberi omnia constitutiva adæquate relationis paternitatis, habito solo puero, vel non: si secundum; ergo relatio paternitatis non identificatur adæquate cum entitate patris, seu pueri: cum præterea importet aliquid aliud; licet hoc veniat in obliquo: si primum; ergo puer dici debet pater Marcelli: jam enim habet omnia constitutiva paternitatis. Enimvero per Tb, prout connotat terminum, seu filium, vel per alias id genus phrasæ; vel significatur aliquid aliud, præter entitatem fundamenti; vel non: si secundum; ergo jam habetur fundamentum, pro ut connotatur.

Phil. Neg. Log.

T t t

ter,

terminum: si primum; adhuc peto: hoc aliquid aliud importatum per *Tō*, prout connotans terminum; aut per alias phraſes æquivalentes; vel eſt pars conſtitutiva relationis, vel non: ſi primum; ergo relatio non conſiſtit adæquate in ſolo fundamento: ſi ſecundum; ergo, etiam non habito hoc connotato, habetur adæquata relatio paternitatis in puero; adeoque hic eſt jam pater Marcelli, quem, hinc ad multos annos, vel etiam nunquam, progenerabit, ſed mere poteſt.

XXXIII. Obijcies 3. Cum iſdem terminus, & ratio fundandi, & ſi quid aliud ad denominationem relationis requiritur, ſunt mera connotata, ſeu conditiones eſſentialiter requiſitæ, non autem partes conſtitutivæ relationis: ergo argumentum noſtrum, contra adverſarios, nullum eſt.

Reſpondeo, nego antecedens, & iterum contra ſic argumentor: habito ſolo fundamento, & ablatis ratione fundanti, & termino; non habetur relatio, quæ, ex dictis, importat adæquate hoc, quod eſt, unum eſſe ad alterum: ergo ratio fundandi, & terminus non ſunt mera connotata, & conditiones, ſed partes conſtitutivæ relationis, juxta regulam ſuperius traditam, pro noſtra conſeſſione de phyſicis relationis conſtitutivis: qua regula negata (ut alibi ſæpe, ac ſæpius replicatur cum in philoſophia, tum etiam in theologia) tollitur de medio omne ſignum cognoscendi partes conſtitutivas: nec poterit ratione impugnari, qui pertinaciter aſſerat: equum, hominem, arborem, lapidem, cæteraque eſſentia completa, adæquate identificari cum ſola forma: corpus vero, ſeu materiam, & unionem eſſe mera connotata, & conditiones eſſentiales, ſine quibus, non: ut falſo aſſeruerunt platonici, citati a Gødino in *philoph. morali quaest. 1. arti. 3. parag. 1. ad primum argumentum contra ſecundum dictum*: corpus non pertinere ad eſſentiam hominis, ſed hominem eſſe animam ſolam: cujus erroris meminit etiam Divus Thomas. Breviter non poſſet impugnari, qui diceret: binarium, & quemlibet numerum, etiam infinitum, identificari adæquate cum una tantum unitate: ceteros numeros eſſe ſolummodo connotata, & conditiones eſſentiales.

Obijcies 4. Cum iſdem: adæquata relatio eſt identificata, cum fundamento: ut tamen illud denominet relatum; requiritur præterea ratio fundandi, & terminus: ergo noſtra ratio adhuc adverſarios non convincit.

Re-

Respondeo, nego antecedens, quoad primam partem: nam denominationes, in genere causæ formalis, nihil aliud important, nisi rem aliquam constitutam, videlicet subiectum capax, & formam, debite ipsi applicatam. Hinc communiter dicimus, in genere causæ formalis, nec dari potentiam obedientialem, nec posse impediri effectus; si cetera habeantur: nequit enim Deus impedire, etiam miraculose, quin, habitis corpore, & anima debite unitis; habeatur compositum constitutum: sicut nequit facere, ut habito corpore, & anima rationali unitis; inde resultet aliud compositum, quam humanum: nequit enim facere, ut res mutant essentias; & hoc non sit hoc, sed illud.

XXXIV. Objicies 5. Ratio fundandi, & terminus requiruntur, ut fundamentum fiat capax recipiendi denominationem relati; utque relatio, sibi identificata, fiat apta ad illud denominandum relatum: non autem, ut partialiter ipsam relationem constituent: ergo adhuc non convincimus adversarios.

Respondeo, nego antecedens: quia capacitas, vel incapacitas intrinseca rerum, in ordine ad aliquod, sunt ipsamet rerum, prædicata, & essentia: nec potest intelligi, quomodo, ad positionem alicujus connotati extrinseci, & distincti; res intrinsece mutetur, secundum sua essentialia; & ex incapaci, ineptaque fiat capax, & apta ad aliquam denominationem, in genere causæ formalis, recipiendam, vel dandam. Et sane aliter non posset ratione impugnari, qui assereret: equum, v. g. adæquate identificari cum corpore: hoc tamen esse incapax ad recipiendam denominationem equi: sicut etiam equinitatem, ipsi identificatam, esse ineptā ad talem denominationem communicandam; nisi ad positionem animæ, & unionis, quæ reddant corpus capax, ad denominationem equi recipiendam; & equinitatem eidem identificatam, reddant aptam ad talem denominationem tribuendam. Eodem modo defendi posset, cognitiones, volitiones, visiones esse adæquate identificatas rebus; has tamen non denominare cognoscentes, volentes, videntes, nisi ad positionem alicujus extrinseci connotati: & redit argumentum, ut supra, ad objectionem tertiam.

XXXV. Objicies 6. Ratio fundandi, & terminus requiruntur, ut disponant fundamentum, formamque relationis, adæquate sibi identificatam, ad recipiendam, & dandam denominationem relati: non tamen requiruntur, ut pars constitutiva relationis: ergo.

Respondeo, nego antecedens: siquidem, nomine dispositionis, vel primo, venit capacitas, sine qua implicat, haberi denominationem relati: vel secundo, venit requisitum connaturale: si primum; redeunt argumenta supra facta, in responsione ad superiorem objectionem: si secundum; contra est: quia dispositiones naturaliter requisitæ solum faciunt, ut forma inveniri naturaliter non possit in aliquo subiecto; nisi illud sit dispositum. Ceterum, si miraculose forma illa introducatur in subiectum, alioquin indispositum; impediri non potest, quin præstet suum effectum, formalem: nequit enim haberi subiectum capax, unitum formæ adæquatæ; quin habeatur totum, seu denominatio, inde resultans: sic, v. g. si miraculose introduceretur forma ignis in materiā, habentem humiditatem, & frigiditatem, quæ naturaliter reddunt materiam illam indispositam ad formam ignis recipiendam; haberetur ignis: cum haberentur ejus partes constitutivæ; & implicet, haberi adæquata constitutiva, & non haberi constitutum: aliter idem haberetur, & non haberetur: cum constitutum, adæquate acceptum, non distinguatur ab omnibus suis constitutivis, collective. Igitur in universum, si aliquod sit in subiecto, & illi non tribuat denominationem aliquam; signum est, vel subiectum illud non esse capax talis denominationis; ut contingeret, si cognitio poneretur in lapide, qui non ideo denominaretur cognoscens: vel illam non esse formam adæquatam, in ordine ad talem denominationem præstandam: sed requiri aliquid aliud, quod sit partialiter forma denominans; sive positivum illud sit, sive negativum.

XXXVI. Obijcies 7. Cum formalistis: terminus, & ratio fundandi sunt partes constitutivæ denominationis relati, non autem sunt partes constitutivæ formæ denominantis, quæ est relatio: ergo nostrum argumentum saltem non convincit formalistas.

Respondeo, nego antecedens: nomine relationis, intelligimus id, quod est: esse unius ad alterum: seu hoc, quod est: unum esse ad alterum: sicut, nomine humanitatis, id, quod est: esse hominem; nomine totalitatis, id, quod est: esse totum; nomine albeitatis, id, quod est: esse album. Implicat igitur, aliquod esse adæquatam relationem, & non esse sufficiens ad denominandum relatum suum subiectum, alioqui non incapax: quod nihil aliud est, nisi, quod, ad constituendum aliquod concretum, adeoque  
ad

ad tribuendam denominationem, nihil aliud requiritur; nisi quod forma existat debite applicata subjecto, alioqui capaci: aliter nec posset ratione impugnari, qui diceret: equum, hominem, adæquate identificari cum sola anima: corpus vero esse partem denominationis equi, hominis; non autem formæ denominantis, quæ sit adæquate identificata cum anima: sic etiam, formam, denominantem subjectum cognoscens, volens, videns; adæquate identificari cum illo: cognitionem vero, volitionem, visionem, non esse partem, constitutivam talis formæ denominantis; sed solum partem, constitutivam ipsius denominationis cognoscentis, volentis, videntis: & redit argumentum, ut supra, ad objectionem tertiam. Hic distincte non intempestive inseritur, pro tyronibus; ad uberiores doctrinam

# ARTICULUS X.

## De regula partium.

XXXVII. **D**ico 1. Quæritur aliqua regula, qua dignosci possit, quænam sit pars, aut quasi pars, seu constitutivum essentiae rei, de qua controvertitur: & qua discerni illa possit ab eo, quod non est pars, seu constitutivum ejusdem rei; quanvis sit ejus conditio, ut ajunt, sine qua non; aut connotatum, ut alii loquuntur, essenziale. Et quidem controversia esse potest, tum in ordine ad dignoscenda constitutiva essentiae metaphysicæ, quæ sunt genus, & differentia; ut reputantur communiter, & supponuntur, in homine, animalitas, & rationalitas: tum in ordine ad dignoscenda constitutiva essentiae physicæ, quæ sunt subjectum, & forma unita; ut, in eodem homine, materia, anima rationalis, earumque unio: & in aliis compositis, aut quasi compositis; concretis, aut quasi concretis, cujuscunque sint generis; subjectum, & forma unita, in linea sua, sive quasi subjectum, & quasi forma.

### *Nostre Regula*

Est: quidquid ita se habet, ut eo præcise, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente, deficiat res; est ejus constitutivum, saltem inadæquatum. Quidquid ita se habet, ut non solum, eo præcise, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente, deficiat res; verum etiam, eo præcise, sive per possibile, sive per impossibile, habito, res habeatur; est ejusdem rei adæquatum constitutivum.

Alter.

*Assertio probatur: quia, ex una parte, per hanc regulam salvantur omnia, quæ salvanda sunt de rerum essentiis, earumque, partibus, seu constitutivis: ex altera parte, hæc regula competit omnibus, solisque rerum partibus, seu constitutivis excogitabilibus: & quidem cohærenter ad doctrinam Aristotelis, ubi docet: detractis omnibus a domino, & servo, præter esse domini, & servi; semper dominum esse servi dominum. Nec ullæ est assignabilis regula magis, vel æque commoda, expedita, infallibilis: immo, negata hac regula, tollitur de medio omne signum cognoscendi partes, seu constitutiva rerum: nec poterit ratione impugnari, qui asserat, quodvis totum, quantumvis compositum, aut concretum; habere totam essentiam in una tantum entitate: cetera vero esse ejus conditiones, aut connotata, quantumvis essentialiter requisita: vel esse partes denominationis, non formæ denominantis, ut constat ex dictis contra secundam sententiam art. 8. & 9. ergo hæc regula nostra tenenda est. Prima pars antecedentis probatur: quia non est assignabile, quid, per hujusmodi regulam, non salvetur. Secunda pars probatur: quia non est assignabile constitutivum, cui hæc regula nostra non competat; aut non constitutivum, cui competat: nec potest asserri regula commodior, aut æque commoda, ut mox videbitur. Interim, ad ulteriorem regulæ traditæ explicationem,*

XXXVIII. Dico. 2. Dixi, *præcisè*, nimirum primo: quod ita se habet, ut, eo *præcisè* deficiente, scilicet, *etiam remanentibus ceteris quibuscunque*, res deficiat; est infallibiliter ejus rei, aliquod saltem constitutivum: siquidem, in hypothesi, eo deficiente; res deficit: atqui non deficit ex alio capite: ergo deficit formaliter, immediate, tanquam per locum intrinsecum, per defectum illius: ergo illud est unum ex constitutivis rei: adeoque requiritur ad rem illam, non solummodo propter aliud, cum quo fortasse connectitur, sed propter se: cum ipsum sit, quod debet, saltem inadæquate, rem constituere. Aliter res haberetur: siquidem jam remanent cetera: ergo, si in ceteris habetur adæquatum constitutivum rei; utique remanere debet res adæquata constituta: nam res, adæquate constituta, nihil aliud est, nisi ejus constitutiva collective: ergo nequit intelligi, quod existant omnia constitutiva rei; & tamen ipsæ res constituta non existat: aliter idem esset, & non esset. Itaque, secundo: quidquid ita se habet, ut, eo,

*præ-*

*precise*, habito, scilicet, *etiam deficientibus aliis quibuscunque*, res habeatur; est infallibiliter ejus rei adæquatum constitutivum, idest essentia. Quandoquidem, si tota res habetur: ergo habentur omnia ejus constitutiva: implicat enim in terminis, haberi totam rem, & tamen deficere, idest non haberi, aliquod ejus constitutivum: aliter esset tota, ut supponitur; & non esset tota, cum deficeret ejus pars: atqui, in hypothesi, deficiunt cetera omnia: hæc sola constitutiva existunt: ergo hæc sola sunt, quæ rem constituunt adæquate: ergo hæc sola sunt ejus essentia completa, & adæquata: cetera vero non item.

XXXIX. Dico 3. Dixi, *sive per possibile, sive per impossibile*: non enim negaverim, posse aliquod essentialiter requiri ad aliquam rem: adeo ut absolute, & simpliciter nequeat res existere, quin existat illud; nec tamen esse ejusdem rei constitutivum, sed ejus duntaxat connotatum essentialē, ut ajunt; vel conditionem, sine qua non; vel etiam causam, quæ essentialiter res illa indigeat ad existendum: siquidem, v. g. implicat, existere creaturam ullam, quin Deus existat: cum indigeat ejus concursu, in fieri, & conservari; nec tamen quis dixerit, Deum esse partem, seu constitutivum cujuscunque entitatis, quæ non est Deus, sed nequit existere sine Deo. Quanvis autem ex quavis suppositione impossibili, vulgo passim dicatur, sequi, & inferri utrumque contradictorium: enimvero quævis suppositio impossibilis, est chimæra: nisi enim esset chimæra, esset possibilis: cum ens possibile sit quidquid chimæra non est: ergo quævis suppositio impossibilis includit, aut trahit, aut præsupponit binariū contradictoriorum: ergo, qualibet data suppositione impossibili; sequi, & inferri potest utrumque contradictorium, inde, quasi ex infecta radice, proficiscens; ne tamen hinc fallax convincatur esse tradita regula, quam, supra hypotheseos impossibilē, stabilivimus cum communi; observandum, quod, licet ex integra, seu tota hypotheseos impossibili, logice, idest formaliter, ex parte actus, sequatur utraque pars contradictionis; secus tamen ex partibus hypotheseos singillatim: siquidem unum sequitur, logice, formaliter, ex parte actus, ex vi prædicati ipsius hypotheseos: aliud sequitur, ex vi subiecti ejusdem hypotheseos. Nostra autem regula attendit, quid sequatur ex vi solius prædicati hypotheseos: indeque infert, cum communi, rei, de qua controvertitur, aliquod esse, aut non esse constitutivum. Sit exemplum. Queritur quænam sint consti-



tutiva physica hominis, nempe, in quibus sita sit essentia physica hominis. Formatur

Prima hypothesis.

*Si præcise, materia, & unio esset existens; cuius hypothesis subjectum est, præcise materia, & unio: prædicatum, si esset existens.*

Secunda hypothesis.

*Si præcise materia, anima rationalis, & unio esset existens; cuius hypothesis subjectum est, præcise materia, anima rationalis, et unio: prædicatum, si esset existens.* Deinde, applicata regula nostra, concluditur, hominis constitutiva physica esse sola, materiam, animam rationalem, & unionem. Nam, ex una parte, quovis ex his tribus præcise deficiente; non habetur homo: cum non habeatur animal rationale: quæ est hominis essentia metaphysica: qua non salvata, corrumpitur physica essentia ejusdem hominis, quæ est, ut ita dicam, fundamentum quoddam logicum essentiae metaphysicæ: ergo totum hoc ternarium est constitutivum physicum hominis: ex altera parte, his tribus præcise habitis (& hoc est prædicatum hypothesis, ut infra melius explicabitur) habetur physice homo: cum habeatur animal rationale: ergo solum hoc ternarium est constitutivum physicum hominis. Dixi, his tribus præcise habitis: siquidem, si per impossibile, v. g. deficeret Deus, & nihilominus existerent materia, anima rationalis, & unio; utique, ut supra dictum est, existeret homo, quantum est, præcise ex vi prædicati hypothesis; adeoque per illationem formalem, immediate, & per locum intrinsecum, ut ajunt philosophi. At vero, ex vi subjecti hypothesis prædictæ; sequeretur altera pars contradictionis, scilicet, quod homo non existeret: nam subjectum hypothesis includit carentiam Dei: sed, si daretur carentia Dei; non daretur homo: cum homo sit essentialiter dependens a Deo: ergo, ex vi subjecti hypothesis, sequitur, quod non daretur homo: verum non illatione formali, & immediate, & per locum intrinsecum; sed illatione materiali, mediate, & per locum extrinsecum: ergo, ex integra hypothesis, sequitur utraque pars contradictionis, ut supra dictum est; licet non eodem modo: quatenus ita posset quis argumentari: si daretur materia, forma, & unio, sine Deo; hoc ternarium daretur, & non daretur; homo existeret, & non existeret homo. Antecedens probatur; daretur hoc ternarium, ut supponit prædicatum.

*Ant. Forti.*

dicatum hypothesis : non daretur hoc ternarium ; quia deficeret aliquod essentialiter connexum cum ipso ternario, nempe Deus : & daretur aliquod , quod traheret essentialiter non esse , idest carentiam, ipsius ternarii, nempe carentia Dei : quæ esset aliquod essentialiter impossibile cum ternario : ergo ternarium illud non daretur : ergo, a primo ad ultimum, homo daretur , & non daretur . At vide , quomodo Tò , daretur homo , inferatur immediate , præcise quia , daretur materia , forma , & unio , quod est prædicatum hypothesis ; Tò , non daretur homo , inferatur tandem aliquando immediate , quia , non daretur materia , forma , & unio : sed Tò , non daretur materia , forma , & unio , non elucet , formaliter , in prædicato hypothesis , sed in subjecto ejusdem , in quo includitur carentia Dei , ex qua infertur , quod non daretur materia , forma , & unio : adeoque , ex Tò , non daretur Deus , non infertur formaliter , immediate , per locum intrinsecum , sed materialiter , mediate , per locum extrinsecum , quod non daretur homo . Breviter : infertur , quia , si non daretur Deus ; non daretur materia , forma , & unio . Hic est primus passus , ut ita dicam , quo mediate graditur intellectus . Sed , si non daretur materia , forma , & unio ; non daretur homo . Et hic est secundus passus , quo intellectus graditur immediate . Unde formaliter deducit : ergo non daretur homo .

Ad quorum profundiorē intelligentiam , videantur , quæ dicta sunt *disp. 6.* ubi de ente rationis metaphysico, *a n. 34.* ad argumentum Sfortiæ Pallavicini . De hujus autem nostræ regulæ partium praxi, aptata diversis aliis materiis tum philosophicis, tum theologicis, sæpe alibi redibit sermo , & præsertim in *theol. lib. 6.* de Sacramentis, ubi de eorum constitutivis .

## A R T I C U L U S . XL.

Solvuntur objectiones ,  
ubi variæ partium regulæ perpenduntur .

**XL.** **O**bjicies 1. Argumentari ex hypothesis impossibili, est quid vanum , futile , & otiosum : ergo nostra regula, quasi fundata super arenam , corruit , & nulla est . Antecedens probatur , quia ex hypothesis impossibili sequitur utraque pars contradictionis .

*Phil. Neg. Log.*

V y v

Re

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo antecedens: ex hypothesi impossibili, sequitur, diverso modo, utraque pars contradictionis, concedo; sequitur eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. Sensus, & ratio distinctionis constat, ex supra dictis: siquidem una pars contradictionis sequitur formaliter, immediate, per locum intrinsecum, ex vi prædicati hypothesis: altera ex vi subjecti, materialiter, mediate, per locum extrinsecum: quæ sane trita sunt in philosophia: nam passim dicitur: si homo esset equus; esset hinnibilis, & non esset hinnibilis: scilicet præcise, ex vi prædicati hypothesis, quod est, equus; esset hinnibilis, quia omnis equus est hinnibilis: atqui homo esset equus: ergo esset hinnibilis: ex vi præcise subjecti hypothesis, quod est, homo; non esset hinnibilis: siquidem nullus homo est hinnibilis: sed Petrus esset homo: ergo non esset hinnibilis. Immo ipsimet adversarii (quod mirum est) sæpe, ac sæpius argumentis utuntur ab impossibili: & propositiones enunciant, sub conditione impossibili, nec tamen intendunt inde concludere, & non concludere; dicere verum, non verum, adeoque enunciare simul verum, & falsum. Ut scilem innumera testimonia, ipsemet Antonius Perez (quem fortasse adversarii nonnulli, quoad hanc materiam, sequi profitentur, ut ducem) de voluntate Dei disp. 3. n. 89. ita argumentatur ab impossibili: *Actus liber, si, per impossibile, esset perfectio; divinam essentiam perficeret: si imperfectio; illam inficeret.* Inde contendit deducere: ergo terminatio libera afficit formaliter divinam essentiam: non quidem tanquam actus physicus, idest tanquam perfectivum, aut indefectivum, sed tanquam actus pure intentionalis, afficiens essentiam, in ordine ad creaturas: & reddens illam propensam, & unitam intentionaliter ipsis, idest amantem ipsas: & quæ jam, eo ipso, incipiunt esse majora bona divina; non quidem, quibus Deus indigeat, sed quibus Deus magis sit benevolus.

XLII. Obijcies 2. non solum ex integra hypothesi impossibili, sed etiam ex solo prædicato, aut solo subjecto ejusdem, sequitur utraque pars contradictionis: ergo nil certi, aut veri deduci valet ex hypothesi impossibili: ergo regula partium, fundata in hypothesi impossibili, est fallax, & plane inutilis. Antecedens probatur: nam si, v. g. *præcise materia, forma, & unio existeret; non existeret, & non existeret:* ergo, etiam ex solo prædicato hypothesis impossibilis, quod est, *existeret;* sequitur utraque pars con-

tra-

traditionis. Antecedens probatur : si *præcise* *existeret* *materia* ; *forma* , et *unio* , puta , non existente Deo ; esset *materia* , *forma* , & *unio* *chimerica* : ergo esset , & non esset : ergo hoc ipsum *terminarium* *existeret* , & non *existeret* .

Respondeo , nego antecedens : vel , claritatis gratia , distinguo : ex solo *prædicato* , aut solo *subjecto* *hypothesis* sequitur utraque pars *contradictionis* , una *immediate* , & *formaliter* ; altera *mediate* , & *materialiter* , concedo ; sequitur utraque pars *contradictionis* *immediate* , & *formaliter* , nego antecedens , & *consequentiam* . Ad probationem antecedentis , distinguo antecedens : si *præcise* *materia* , *forma* , & *unio* *existeret* ; *existeret* *formaliter* , & non *existeret* *materialiter* , concedo ; *existeret* *formaliter* , & non *existeret* *formaliter* , nego antecedens : & *distincto* *consequente* , ut supra , nego *consequentiam* : ad cujus probationem , iterum distinguo antecedens : si *præcise* *existeret* *materia* , *forma* , & *unio* , puta , non existente Deo ; esset *materia* , *forma* , & *unio* *chimerica* , *mediate* , & *materialiter* , concedo ; esset *materia* , *forma* , & *unio* *chimerica* , *immediate* , & *formaliter* , nego antecedens : & iterum *distincto* *consequente* , ut supra , nego *consequentiam* . Quodlibet , quantumvis alioquin *chimericum* , *præcise* ex *suppositione* , quod *existeret* , scilicet *præcise* , quantum est ex vi hujus termini , *existeret* , ac *præcise* , ex vi cognitionis obscuræ , *formaliter* *præscindens* ex parte actus , & *præcise* *correspondentis* *prædicto* termino , *existeret* ; non discernitur , nec repræsentatur *formaliter* , ut *chimera* , adeoque non ut involvens esse , & non esse ; non ut *existens* , & non *existens* ; licet vere , & *realiter* , & *materialiter* tale esset : & tale convinci possit *mediate* , puta , per *ulteriorem* cognitionem ; ita *sylogizando* : sed *præcise* , *materia* , *forma* , & *unio* , puta , etiam sine Deo ; non potest *existere* : ergo , si *existeret* ; *existeret* *chimera* : sed omnis *chimera* importat esse , & non esse : ergo , si *existeret* *præcise* *materia* , *forma* , & *unio* ; esset , & non esset ; *existeret* , & non *existeret* . Atque hic est sensus *traditæ* *distinctionis* : cujus , ut innuebam n. 49. profundior erit intelligentia ; si videantur , quæ fuscè dicta sunt *disp.* 6. ubi de ente rationis *metaphysico* a n. 34. ad argumentum *Sfortiæ* *Pallavicini* .

Objicies 3. Si per impossibile non esset Verbum , idest *Filius* , & remaneret prima persona Trinitatis ; non remaneret Pater in esse Patris : & tamen Pater non includit , ut sui constitutum in-

trinsecum, ipsum Filium: ergo nostra regula constitutivorum, fundata in suppositione impossibili, convincitur falsitatis.

Respondeo, distinguo primam partem antecedentis: non remaneret Pater in esse Patris, relative prædicamentaliter accepti, concedo; transcendentaliter, nego primam partem antecedentis: & pariter distinguo secundam partem ejusdem antecedentis: Pater, transcendentaliter acceptus non includit, ut sui constitutivum, ipsum Filium, concedo; Pater relative prædicamentaliter acceptus, nego secundam partem antecedentis, & deinde consequentiam. Sensus autem, & ratio distinctionis satis constat ex dictis *disp. hac præsertim n. 16.*

XLII. Objicies 4. Potest commodius, aut saltem æque commode, alia diversa regula partium assignari: ergo nostra non est aliis, saltem omnibus, præferenda. Antecedens probatur: nam, tradi potest hæc

*Prima regula diversa.*

Illud est constitutivum rei, quo deficiente, deficeret res. Ita communiter loqui videntur antiquiores. Vel hæc alia

*Secunda regula diversa.*

Illud est constitutivum rei, quo deficiente, deficeret res immediate, & per locum intrinsecum: non vero id, quo deficiente, res deficeret quidem, at mediate, ac per locum extrinsecum. Ita alii passim. Vel hæc alia

*Tertia regula diversa.*

Illud est constitutivum rei, quod ad rem requiritur propter se. Ita quidam, etiam recentiores. Vel hæc alia

*Quarta regula diversa.*

Illud est rei constitutivum, quod importatur in recto simpliciter: vel importatur, ut pars in recto abstracti verbalis, v. g. Queritur, an Deus sit constitutivum formalis beatitudinis, quæ, in nostris principiis, ut dictum est *in theol. lib. 8. de moralit. act. humanorum*, consistit in visione, & amore ipsius Dei. Efformetur hæc propositio: *Beatus videt, et amat Deum*: deinde extrahatur abstractum verbale, quod est, *Beatum videre, et amare*: jam in *Tò*, *videre, et amare*; non ingreditur Deus, sed sola visio, & amor. Igitur concludendum: ergo Deus non est unum ex constitutivis formalis beatitudinis. Ita quidam recentiores. Vel hæc alia

*Quia*

*Quinta regula diversa.*

**XLIII.** Illud est rei constitutivum, quo immediate affirmato, vel negato, affirmatur, vel negatur res ipsa: & viceversa, quod, affirmata, vel negata ipsa re, immediate affirmatur, vel negatur. Quæ vero non immediate, sed mediate tantum, scilicet ex re affirmata, aut negata: vel, ex quibus affirmatis, aut negatis, affirmatur, aut negatur res ipsa; hæc sunt pura connotata, rei extrinseca. Sic, quia, affirmato Petro, v. g. affirmatur immediate hoc animal rationale, hæc materia, hæc forma, hæc unio; hæc sunt constitutiva Petri: quia vero, ex Petro affirmato, deducitur mediate, dari causam primam, qua creaturæ indispensabiliter indigent ad existendum; causa prima non est constitutivum Petri, licet sit essentialiter requisitum ad hoc, ut Petrus existat, seu connotatum, essentialiter quidem, at extrinsecum ipsi Petro. Ita quidam ex Sfortia Pallavicino *lib. 5. de Sacram. cap. 2. num. 34.*

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego antecedens, & quidem vel simpliciter, vel etiam de subiecto non supponente. Ratio negationis est, quia hæc regulæ assignatæ vel sunt falsæ: vel, si tandem veræ, reducuntur ad nostram, quamvis sub diversis phrasibus proponantur. Enim vero

*Contra primam regulam*

**XLIV.** Est, quia aliud est esse partem, seu constitutivum alicujus rei; aliud esse connexum cum illa, quantumvis essentialiter: enimvero, vel sermo est, in hypothesis possibili tantum, vel etiam impossibili: si primum; contra est, quia, si deficient extrema; deficit unio modalis, seu actio, seu quivis alius modus possibilis: nec tamen extrema sunt partes, aut constitutiva modorum possibilium, a quibus realiter distinguuntur: si secundum; contra est, quia, si, per impossibile, deficeret Deus; deficerent creaturæ, quæ essentialiter indigent Deo, ad existendum: nec tamen Deus est pars, aut constitutivum creaturarum.

*Contra secundam regulam*

Est, quia hoc ipsum inquirimus, quomodo scilicet dignosci possit: quandonam res, mere per defectum alicujus, deficiat immediate, & per locum intrinsecum; quandonam mediate, ac per locum duntaxat extrinsecum: idem enim est dicere, quod res, mere per defectum alicujus, deficiat, immediate, & per locum intrinsecum, ac quod deficiat per aliquod sui constitutivum intrin-

trinfecum : & idem est, viceversa, dicere, quod res, mere per defectum alicujus, deficiat solummodo mediate ; & per locum extrinfecum ; ac quod deficiat per aliquod non intrinfecum sui constitutum, sed extrinfecum solummodo commotatum, aut requisitum, aut conditionem, sine qua non ; quantumvis essentialia, id est essentialiter ad ipsam rei existentiam requisita.

*Contra tertiam regulam.*

Est, quia, quando dicitur, quod constitutivum rei illud sit, quod, ad rem requiritur propter se ; vel sensus est, quod hoc non requiritur propter aliud, a se distinctum ; vel, quod, etiam si fortasse requiratur in toto propter aliud ; requiritur tamen etiam, propter se : si primum ; est manifeste falsum : siquidem extrema, v.g. in tota composito ( puta de possibili ) requiruntur, propter unionem modalem ( de possibili ) non enim potest existere unio modalis ; quia existant extrema : nec tamen unio modalis est pars constitutiva extremorum, specificative sumptorum, ut sunt materia, & forma : si secundum ; hoc ipsum inquirimus, scilicet quomodo cognosci possit, quodnam, ex requisitis ad aliquam rem, tale sit ; ut non solum requiratur propter aliud, sed etiam propter se : quod idem est, ac dicere : quodnam sit tale, ut non solum connectatur essentialiter cum aliquo constitutivo rei ( cujusmodi est unio modalis, respectu extremorum ) verum etiam ipsummet sit unum ex constitutivis ejusdem rei.

*Contra quartam regulam est*

XLV. Primo, quia laborat obscuritate. Secundo, quia videtur explicare idem per idem : hoc enim supponitur controversum, quid nimirum simpliciter veniat in recto, quid in obliquo, quando res aliqua nominatur. Tertio, quia, si quaerantur constitutiva hujus adequati concreti, quod est, *Beatum videre* ; utrumque est constitutivum, tum scilicet beatus, tum *visio* : & tamen non utrumque, ut patet, venit in recto ; sicut etiam, si quaerantur constitutiva hujus alterius adequati concreti, quod est, *Deum videre* ; utrumque est constitutivum, tum scilicet visio, tum *Deus* : & tamen non utrumque venit in recto. Et ratio a priori est, quia concretum, praesertim accidentale, essentialiter, & ex genere suo importat plura, ut sui constitutiva, quorum unum veniat in recto, alterum in obliquo.

*Contra quintam regulam*

Est, quia, cum evidens sit, quod ea immediate affirmantur, aut

aut negentur, quando affirmatur, aut negatur homo, quæ realiter identificantur cum ipso homine, nimirum, quæ sunt homo; hoc ipsum inquirimus: quomodo scilicet dignosci possit, quid immediate affirmetur, aut negetur, præcise affirmato, aut negato homine. Nos, ulterius procedendo, id investigari posse, putamus: primo, posito ante oculos nomine, & communi conceptu, quantunvis rudi, & obscuro (unde unice præfens controversia tota pendet) rei, & cuius indagamus constitutiva: in quo sane convenire oportebit; aliter de ejusdem rei constitutivis, ultro citroque cum adversariis disputare, erit prorsus terere tempus: tum secundo, applicata nostra regula partium, quoad ejus rei essentiam metaphysicam: & inde tertio, applicata eadem regula, quoad essentiam physicam: cujus inquirendæ, ut ita dicam, lapis lydius erit essentia metaphysica, ut supra dictum est, in explicatione regulæ nostræ, & communis.

## ARTICULUS XII.

### Tertia sententia pro ratione fundandi.

XLVI. **D**ico 1. Tertia sententia est, relationem adæquate identificari cum ratione fundandi, id est cum tractivo relationis. Ita plures recentiores cum Semeri in logica disp. 4. quæst. 8. art. 7. paragr. nostra sententia. Verum, in assignanda hac ratione fundandi, discrepant inter se hi doctores, nec eodem modo de quacunque relatione philosophantur. Nanque, aliqui primo, in relationibus primi generis, nempe convenientiæ, & disconvenientiæ; & quidem tum inter accidentia, tum inter substantias, v. g. inter duo alba indivisibiliter accepta, rationem fundandi identificant cum utroque extremo: sicut inter Petrum, & Paulum, rationem fundandi identificant cum utroque homine: nec, quoad rem, in hoc a nobis fortasse dissentiunt. Alii secundo, in hujusmodi relationibus, rationem fundandi appellant, solam albedinem illius albi, quod est fundamentum similitudinis; aut solam humanitatem illius hominis, qui est fundamentum convenientiæ in humanitate. Alii tertio, rationem fundandi appellant, albedinem utriusque: cum sit ab illis distincta. Alii quarto, duplicem unionem duplicis albedinis cum extremis. Alii quinto, con-



condurationem unionum utriusque albedinis cum extremis relatis; aut condurationem extremorum, aut quid simile. In relationibus secundi generis, nempe fundatis in actione, & passione; rationem fundandi appellant actionem, seu causalitatem, quæ causa insuit in effectum. In relationibus tertii generis, nempe fundatis in mensura, & mensurabili; rationem fundandi appellant ipsum actum, v. g. cognitionem, per quem potentia tendit, suo modo, in objectum.

Dico 2. Contra hanc sententiam est, quia relatio est, ex dictis, esse unius ad alterum: seu hoc, quod est, unum esse ad alterum: atqui totum hoc non potest physice consistere in sola ratione fundandi, quæ tali: ergo relatio non potest consistere in sola ratione fundandi. Major constat ex dictis *art. 1.* Minor probatur: quia hoc, quod est, unum esse ad alterum, ut supra probavimus; importat, præter rationem fundandi, fundamentum, & terminum: ergo non potest consistere in sola ratione fundandi. Et sane, habita, per impossibile, quavis ratione fundandi, & tractivo etiã essentiali relationis, v. g. similitudinis, nõ habito fundamento, & termino, seu non intellecto; non habetur, nec intelligitur hoc, quod est: unum sicuti alterum; unum ad alterum: sicuti, si, per impossibile, haberetur unio modalis sine extremis; non haberetur hoc, quod est: esse unius cum altero; ut constare videtur ex ipsis terminis.

### A R T I C U L U S XIII.

Solvuntur objectiones.

XLVII. **O**bjicies 1. Si haberetur, v. g. duratio unionis albedinis ad parietem, A, & duratio unionis albedinis ad parietem, B; quolibet alio, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente; haberetur relatio similitudinis inter hos parietes: ergo relatio consistit in sola ratione fundandi, hoc modo explicata, per condurationem prædictam. Antecedens probatur: haberetur tractivum similitudinis, & quidem essentialiter: ergo haberetur relatio similitudinis inter hos parietes. Antecedens probatur: quia implicat, haberi tales durationes, utpote modos essentialiter addictos, quin habeantur in natura hi duo parietes albi: ergo, si, per impossibile, haberetur talis conduratio; haberetur tractivum essentialiter similitudinis.

*Ant. Forti.*

*Re-*

Respondeo, nego antecedens : ad ejus probationem, omisso antecedente, nego consequentiā : relatio enim non est tractivū similitudinis, sed ipsa similitudo; non est tractivū comparabilitatis duorum, sed ipsa comparabilitas : quod est, esse unius ad alterum : atqui, in tali suppositione, non haberetur adæquata similitudo, seu comparabilitas duorum inter se : quæ est, esse unius ad alterum, seu, unum esse ad alterum ; unum esse sicuti alterum : licet haberetur tractivum talis similitudinis, seu comparabilitatis : ergo non haberetur adæquata relatio, sed tractivum relationis : quæ sunt res adeo diversæ ; ut actio productiva lucis, & lux; unio animæ, & ipsa anima ; promissio divina, & res promissa ; modus, & res modificata per modum. Dixi autem, omisso antecedente : quia, juxta nostra principia, ut videbitur in physicis, duratio non est modus : adeoque potest existere absque illa re, quam potest durantem denominare.

Objicies 2. Relatio est id, quo cognito, cognoscitur, existere debere duo relata : sed hujusmodi est sola ratio fundandi ; ergo sola ratio fundandi est adæquata relatio.

Respondeo, nego majorem in universum, ex dictis. Et sane decretum Dei, de duobus albis ponendis ; cognitio, seu revelatio divina, de existentia duorum alborum certificat intellectum de illorum coexistentia ; & tamen nec decretum, nec cognitio, nec revelatio divina est talium objectorum relatio inter se ; licet sit illorum tractivum : cum tractivum hominis, in statu existentia, non sit homo ; tractivum luminis non sit lumen.

XLVIII. Objicies 3. Imago adæquata intelligitur physice, constituta, independenter a re, cujus est imago : ergo & relatio, independenter a fundamento, & termino.

Respondeo, distinguo antecedens : imago absolute accepta, concedo ; relative, nego antecedens, & consequentiam. Si, pro imagine, intelligatur talis, vel talis pictura ; certum est, illam, haberi, independenter a termino repræsentato : independenter enim a Petro repræsentato, habetur, v. g. tabula, vel tela, & colores, ita, vel ita dispositi, atque efformati : si vero, pro imagine, intelligatur aliquod, quod prædicamentaliter referatur ad tale, vel tale objectum, cui conformetur, aut difformetur ; eadem erit difficultas, ac de quacunque alia relatione : in esse enim relativo, constituetur a termino, tanquam

*Phil. Neg. Log.*

X x x

a par-

a parte constitutiva relationis ; ut cognitio , in esse veræ , & falsæ , constituitur partialiter ab objecto , ut infra videbitur .

Objicies 4. Objectum non est pars cognitionis ; effectus non est pars actionis productivæ ; extremum non est pars unionis : ergo terminus non est pars constitutiva relationis .

Respondeo , distinguo antecedens : si dictæ formæ absolute sumantur , concedo ; si relative , nego antecedens , & consequentiam . Sensus , & ratio distinctionis satis constat , ex dictis pro nostra sententia . Ita cognitio non est pars constitutiva Petri , specificativæ accepti , & secundum se ; est tamen pars constitutiva Petri , prout objecti , seu prout cogniti , reduplicativæ : hoc enim concretum , quod est , cognitum , conflat ex ipso Petro , qui denominatur cognitus , & ex ipsa cognitione .

XLIX. Objicies 5. Relatio est ordo , nexus , habitudo , respectus unius ad alterum : atqui actio productiva lucis , v.g. est ordo , nexus , habitudo , respectus solis ad lucem ; & sic , proportionem servata , quævis ratio fundandi : ergo in hac physice consistit relatio .

Respondeo , distinguo majorem : relatio est ordo , nexus relative acceptus , concedo ; absolute acceptus , nego majorem : & distinguo minorem : actio , & quævis ratio fundandi , est nexus absolute sumptus , transeat ; relative , nego minorem , & consequentiam : nexus enim , ordo , respectus unius ad alterum , si relative sumantur ; important ipsum necesse unum cum altero ; ipsum ordinari unum ad alterum ; ipsum respici unum ab altero ; ipsum haberi unum ad alterum : quod , ex suo conceptu , importat , præter rationem fundandi , & unum , & alterum .

Objicies 6. Cum Semeri , loco supra citato : ratio fundandi est forma , per quam unum se habet prædicamentaliter ad alterum , id est : est forma , per quam fundamentum se habet ad terminum : ergo ratio fundandi est adæquata relatio .

Respondeo , distinguo antecedens : forma inadæquata , concedo ; adæquata , nego antecedens , & consequentiam . Forma adæquata , per quam unum prædicamentaliter se habet ad alterum , est ipsum esse unius ad alterum , seu ipsum hoc , quod est , unum , referri ad alterum : sicut forma adæquata , per quam unum relative est cum alio ; non est sola unio , sed ipsum uniri , seu ipsum esse unum cum alio , quod adæquate importat tum unum , tum alterum , tum unionem , quæ determinat unum , ut sit cum altero .

L. Ob-

**L.** Obijcies 7. Cum eodem : relatio est meritum comparandi unum cum altero : sed hujusmodi est sola ratio fundandi : ergo sola ratio fundandi est relatio.

**R.** Respondeo, distinguo majorem : relatio est meritum adæquatum comparandi unum cum altero, concedo ; meritum inadæquatum, nego majorem : & distinguo minorem : ratio fundandi est meritum inadæquatum comparandi unum cum altero, concedo ; meritum adæquatum, nego minorem, & consequentiam. Meritum adæquatum comparandi unum cum altero, est adæquata duorum comparabilitas objectiva : sed hujusmodi adæquata comparabilitas importat unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum, ex dictis : ergo in his omnibus physice consistit adæquata relatio.

**O.** Obijcies 8. Constitutiva relationis sunt, quibus positus, affirmatis, aut negatis, ponitur, affirmatur, vel negatur immediate, seu per locum intrinsecum, relatio : sed posita, affirmata, vel negata ratione fundandi, v. g. duplici conduratione unio- num, albedinum in parietibus; per hoc præcise, ponitur, affirmatur, vel negatur immediate, & per locum intrinsecum relatio : ergo sola ratio fundandi constituit adæquate relationem. Minor probatur: relatio est forma, necessario connectens duo, v. g. utrumque album, quoad esse ; idest forma, trahens necessario existentiam utriusque albi : sed posita, affirmata, vel negata duplici conduratione ; ponitur, affirmatur, vel negatur immediate, & per locum intrinsecum forma, necessario connectens utrumque album, quoad esse ; idest necessario trahens existentiam utriusque albi : ergo.

**R.** Respondeo, nego minorem : ad ejus probationem, nego majorem: ratio negationis satis constat, ex hæcenus traditis de physico relationis constitutivo.

## A R T I C U L U S XIV.

Quotuplex sit relatio

*Prima divisio relationis.*

**LI.** **D**ico 1. Celebris est prima divisio, qua relatio triariam secatur ab Aristotele 1. *metaph. cap. 5.* scilicet primo, in relationem, fundatam in unitate, & numero ;

secundo, in actione, & passione: tertio, in mensura, & mensurabili. Primi generis relatio, nempe fundata in unitate, & numero, est relatio convenientiæ, & disconvenientiæ, idest conformitatis, & disformitatis: sed quoniam, juxta Aristotelem, ut alibi supra innuebam, eadem sunt, quorum substantia est una; similia, quorum qualitas est una; æqualia, quorum quantitas est una; convenientia, & disconvenientia duorum in substantia, seu in essentia; dicitur relatio identitatis, & diversitatis: convenientia, & disconvenientia duorum in qualitate; dicitur relatio similitudinis, vel dissimilitudinis: convenientia duorum, aut disconvenientia in quantitate; dicitur relatio æqualitatis, & inæqualitatis. Itaque, ad harum relationum imitationem, convenientia, & disconvenientia in tempore; dici poterit relatio condurationis, & non condurationis: convenientia, & disconvenientia in loco; dici poterit relatio compenetrationis, seu indistantiæ, & dispenetrationis, seu distantiae: quanvis convenientia, inter substantias, seu essentias, quæ essentia, in universum, quandoque vocantur, substantiæ, etiam si sint accidentia physica; appelletur ab Aristotele identitas; a philosophis tamen communiter vocari etiam solet similitudo, ut alibi notavimus: sic homo, & leo dicuntur similes, in animalitate; Petrus, & Paulus dicuntur similes in humanitate; ignis, & aqua dicuntur similes in substantia. Neque hoc ab Aristotelis mente, diximas, esse alienum, ut notat Comptonus: cum ipse Aristoteles generationem substantialem viventium appellet originem viventis a vivente, in similitudinem naturæ. Utrum autem relatio inter duas qualitates, comparatas inter se, v. g. inter albedinem, A, & albedinem, B, quarum convenientia, licet sint qualitates accidentales, est nihilominus in essentia, rigoroſe dicenda sit relatio identitatis, aut similitudinis; quæstio est pertinens omnino ad modum loquendi, & parvi momenti. Secundi generis relatio, nempe fundata in actione, & passione, est relatio inter causam, & effectum, v. g. inter solem, & lucem; inter patrem, & filium: causalitas enim illa, qua causa producit effectum, considerata in ordine ad causam, vocatur actio; in ordine ad effectum, & passum, vocatur passio. Terti generis relatio, nempe fundata in mensura, & mensurabili, seu, ut alij loquuntur, in mensurabili ad mensuram, est relatio inter potentias, & actus intentionales ad sua objecta, v. g. relatio intellectus, aut cognitionis, ad objectum cognoscibile;

bile ; relatio voluntatis , aut amoris ad objectum amabile : dicuntur autem fundatæ in mensura , & mensurabili , quia objectum est veluti mensuræ respectu potentiae , & actus : ex objecto enim , cui potentia , per suos actus , debet commensurari ; colligitur , veluti a posteriori , diversitas , & perfectio potentiae , & actuum potentiae : quæ ideo dicuntur specificari ab objectis : quavis , etiam aliunde possint diversificari , ut pluries alibi videbitur , loco suo .

*Secunda divisio relationis.*

LI. Dico 2. Celebris etiam est divisio relationis in transcendentalem , & prædicamentalem : pro cuius divisionis explicatione , varii varia . Primo , per aliquos , relatio transcendentalis dicitur entitas absoluta , ad quam necessario sequitur relatio : itaque , juxta hanc explicationem , entitas creaturæ dicitur relatio transcendentalis ad Deum : quia necessario pendet a Deo ; adeoque ad entitatem creaturæ sequitur necessario relatio , nempe hoc , quod est , illam esse a Deo . Bt , quia nulla est entitas absoluta , ad quam non sequatur aliqua relatio : nulla enim est entitas absoluta , quæ non habeat aliquem ordinem ad aliam entitatem ; relatio , ut hic accipitur , vagatur per omnia prædicamenta , ideoque transcendentalis relatio nuncupatur . Secundo , per alios , relatio transcendentalis dicitur , quæ a suo fundamento inseparabilis est ; prædicamentalis , quæ ab illo separari potest . Tertio , per alios , relatio transcendentalis est , quæ non necessario requirit terminum existentem : prædicamentalis , quæ necessario requirit terminum existentem : adeo , ut , hoc non existente , non dicatur amplius fundamentum referri ad illum . Quarto , per alios , relatio transcendentalis dicitur , quæ terminum realiter distinctum non exigit , sola distinctione rationis contenta : relatio vero prædicamentalis , quæ terminum realiter distinctum requirit . Quinto , per alios , relatio transcendentalis dicitur , quæ tribuit termino aliquam denominationem : prædicamentalis , quæ respicit terminum , ut pure terminum , idest quæ nullam tribuit termino denominationem .

LII. Dico 3. Contra primam explicationem est , quia præcise per illam , relatio transcendentalis non est vere , & proprie , ac rigorose relatio , sed tractivum relationis : atqui salvandum est , relationem transcendentalem , cujusmodi sunt divinæ relationes in Trinitate , esse vere , proprie , rigorose relationem :

er-

ergo non potest relatio transcendentalis explicari præcise, modo prædicto. Sed assignandum est, si potest, conceptus univocus, qui relationem tum transcendentalem, tum prædicamentalem complectatur.

Contra secundam explicationem est, quia relatio similitudinis, & inter duos parietes, alioqui possibiles, qui darentur, & essent essentialiter inter se connexi, quoad existentiam, a neutro illorum separari posset; & tamen esset relatio prædicamentalis, utpote relatio similitudinis, fundata in unitate, sicut omnes aliae relationes similitudinis, in sententia communissima. Quod autem præcisa inseparabilitas eam, redderet non prædicamentalem, sed transcendentalem; gratis assumitur. Non negaverim, tamen, ordinem essentialem unius partis ad alteram, quoad coexistendum, esse quidem relationem transcendentalem, sed aliunde explicandam.

Contra tertiam explicationem est, tum quia valde controversum est, & communiter negatur, quod Philippus pater, mortuo jam Alexandro, non referatur amplius ad illum prædicamentally, quodque non possit amplius ejusdem Pater vere, proprie, ac rigoroſe denominari.

Contra quartam explicationem est, quia vera, & propria relatio, terminum, realiter cum fundamento distinctum importat; secus relatio erit secundum dici, seu quasi relatio.

Contra quintam explicationem est, quia nulla esset relatio prædicamentalis: nulla enim est, quæ non tribuat termino aliquam denominationem: nam, quemadmodum quævis forma absoluta præstat suo subjecto aliquam denominationem; ita fieri non potest, ut aliqua forma relativa aliquam denominationem, non tribuat: licet quandoque talis denominatio apud nos remaneat inominata: ut passim aliis etiam rebus, ob inopiam vocabulorum, occurrat: itaque paternitas, quæ denominat Philippum, patrem; denominat etiam Alexandrum, ut ita dicam, paternitatum; similitudo, quæ denominat parietem, A, similem; denominat parietem B, assimilatum, seu, ut ita dicam, similitudinem: sicut Petrus per imaginem, seu effigiem, & representationem sui, denominatur effigiat, representatus. Ideo magis expedite sit

No-

*Nostri explicatio.*

LIV. Dico 4. In nostris principiis, relatio in communi, pro-  
ut complectens tum prædicamentalem, de qua hæctenus locuti  
sumus cum Aristotele, quippe in prædicamentis; tum transcen-  
dentalem, est, esse unius ad alterum: seu unum esse ad alterum.  
Qui conceptus, esse unius ad alterum, seu unum ad alterum;  
contrahitur per has duas differentias, nempe per specificative  
necessario, & per reduplicative: quarum prima complet speciem  
relationis transcendentalis, secunda speciem relationis prædica-  
mentalis. Dixi: specificative necessario: quia relatio transcen-  
dentalis identificatur adæquate cum fundamento relationis præ-  
dicamentalis, in sua linea, necessaria: cum in ipso met importet præ-  
dicatum, quod essentialiter, ex intrinsicis suis, respiciat termi-  
num, cum quo ulterius relatione prædicamentalem constituit, ut,  
in Divinis, Pater ad Filium; Filius ad Patrem; uterque ad Spiri-  
tum Sanctum; Spiritus Sanctus ad Patrem, & Filium, juxta ea,  
quæ dicta sunt in theologia lib. 1. de Deo: utque, in creaturis, se  
habet relatio transcendentalis actu intentionali ad sua objecta,  
quæ ab ipsis actibus, in sua linea, necessario, idest essentialiter  
respiciuntur: nec non relatio creaturarum ad Deum, a quo es-  
sentialiter dependent in fieri, & conservari. Itaque, hac expli-  
catione posita, conceptus relationis, in universum, erit uni-  
vocus respectu transcendentalis, & prædicamentalis: quia,  
hoc nomen, quod est, unum esse ad alterum, esse unius ad al-  
terum; commune est: & ratio significata per nomen, omnino  
eadem: idest ita similis, ut, præcise prolato hoc nomine, & ef-  
formato hoc conceptu; nequeat intellectus discernere, unum  
esse ad alterum, esse unius ad alterum, specificative ab redu-  
plicative, sed utrunque confundat: sicut cum pronuntiatur,  
aut concipitur præcise, animal; nequit intellectus discernere ra-  
tionale ab inanimato, sed utrunque confundit. Hinc, ut notat  
Arriaga *disp. 12. log. sect. 3. num. 19.* Pater æternus refertur  
ad Filium duplici relatione, una transcendentali, quæ est illi es-  
sentialis, idest identificata: altera prædicamentali, quæ inadæ-  
quate ab eodem distinguitur: cum inadæquate constituitur etiam  
a Filio, qui a Patre distinguitur: utque notat idem Arriaga  
*sect. 10. num. 99. & Oviædus contr. 9. metaph. præf. 4. parag.*  
*3. n. 25.* diversum quid est, quando pater sumitur præcise, ut ge-  
nerans; ac quando sumitur, ut relatum prædicamentali: nam  
quan-



quando sumitur, primo modo; denominatur talis adæquate a generatione activa, non a filio, qui non est pars generationis activæ. Sic causæ denominantur producentes a productione, non ab effectu, qui non est pars actionis productivæ: quando vero sumitur pater, ut relatus prædicamentaliter; denominatur inadæquate etiam a filio: sicuti unum simile, in esse talis, denominatur inadæquate ab altero. Utrum autem cognitiones divinæ de existentia, vel futuritione rerum contingentium, sicut & actus liberi divini, sint relatio prædicamentalis, an transcendentalis Dei ad creaturas; theologi videant. Auctor philosophiæ Burgund. in logica, ubi de relatione *quest. 4. art. 3. concl. unica*, absurdum non reputat, quod Deus pendeat a creaturis, ut relatum a correlato, seu dependentia connexionis, tanquam a termino: quæ non arguit imperfectionem, ut argueret, si penderet tanquam effectus a causa, seu dependentia causalitatis, aut entitatis. Videatur, si placet, Arriaga *disp. 12. log. sect. 3. num. 16. & 17.*

*Tertia divisio relationis.*

LV. Dico 5. Tertia divisio est minus propria, nimirum in relationem realem, & relationem rationis: relatio realis dicitur, quæ habetur, nemine cogitante, v. g. inter causam, & effectum; inter album, A, & album, B: relatio rationis, quæ proprie non invenitur in re; apprehenditur tamen a nobis, tanquam si adesset, v. g. cum apprehendimus, animal respicere inferiora: cum enim animal, in communi, realiter idem sit cum inferioribus suis; proprie, & rigoroſe nulla est eorum vera, & realis relatio.

*Quarta divisio relationis.*

Dico 6. Quarta divisio est in relationem secundum esse, & relationem secundum dici: relatio secundum esse coincidit cum reali, supra explicata: relatio secundum dici, quæ a nonnullis vocatur relatio, extrinseca objecto, vel ficta, ut aliis placet; est, cum rem absolutam concipimus, illam declarando per ordinem ad alterum, v. g. rem spiritualement ad modum corporalis, seu per species rerum corporalium: ut quando concipimus angelum ad modum juvenis alati, & Patrem æternum ad modum senis.

*Quinta divisio relationis.*

Dico 7. Quinta divisio est in relationem mutuam, & non mutuam: mutua est, quando fundamentum, & terminus ad invicem referuntur, v. g. album, A, ad album, B, & hoc ad illud:

*Ant. Forti.*

re-

relatio non mutua dicitur, quando unum extremum respicit aliud, a quo non per eandem relationem respicitur, v. g. actio modalis, possibilis, respicit transcendentaliter effectum, a quo non item transcendentaliter, eodem modo, respicitur: licet enim, nequeat hæc numero actio modalis existere sine hoc numero effectû; potest tamen hic numero effectus existere per aliam actionem, saltem numero diversam.

*Sexta divisio relationis.*

LVI. Dico 8. Sexta divisio est in relationem æquiparantiz, & disquiparantiz: relatio æquiparantiz dicitur, quando utrumque extremum, eodem modo relatum, denominatur, v. g. per relationem similitudinis, inter album, A, & album, B, utrumque denominatur simile: & per relationem dissimilitudinis inter album, & nigrum, utrumque denominatur dissimile: relatio disquiparantiz est, quando extrema diversimode se respiciunt, diversamque denominationem recipiunt, v. g. Philippus denominatur pater Alexandri, quem respicit, sed ut filium; Alexander denominatur filius Philippi, quem respicit, sed ut patrem.

*Septima divisio relationis.*

Dico 9. Septima divisio est, juxta Scotum, in relationem extrinsecus advenientem, & in relationem intrinsecus advenientem: relatio extrinsecus adveniens dicitur, per Scotum, quæ non statim resultat, posito fundamento, & termino, v. g. relatio actionis non illico resultat, posito fundamento, & termino, id est igne, A, producente, & igne, B, producto, specificative: potuisset enim uterque ignis existere; quin unus ab altero dependeret, adeoque sine hac relatione causalitatis. Atque ad hanc, vult Scotus, pertinere prædicamenta actionis, passionis, habitus, & situs. Relatio intrinsecus adveniens dicitur, quæ necessario resultat, posito fundamento, & termino, v. g. posito albo, A, & albo, B, necessario habetur relatio similitudinis inter illa, adeo ut implicet, positis illis, hanc non haberi. Et fortasse Scotus relationem intrinsecus advenientem, relationem transcendentalem; relationem extrinsecus advenientem, relationem prædicamentalem dicere voluit.

A R T I C U L U S XV.

Quædam relationis proprietates.

LVII. **D**ico 1. Quanvis, ut supra diximus, quævis relatio, ut physice existat secundum se totam, requirat terminum physice existentem; quia terminus, ex dictis, est pars constitutiva relationis: & nequit totum physice existere, si aliqua ejus pars physice non existat; adeoque cujusunque relationis, physice existentis secundum se totam, ne dum proprietates, sed constitutivum sit physica existentia termini; nihilominus sunt aliquæ relationes, quæ dicantur denominare, suo modo, etiam si non existant physice simul, secundum omnem sui partem: & sunt aliæ, quæ non; ut facile constare poterit ex sensu communi, & modo loquendi, juxta sensum propositionum, a quo totum hoc sane pendet. Quandoquidem primo, certum videtur, quod cognitio, & intellectus, per ipsam, dicantur referri ad objectum: & objectum, viceversa, referri ad cognitionem, & intellectum; etiam si physice tale objectum non existat. Idem in actibus voluntatis, & similis potentiæ intentionalis, relate ad eorum objecta, passim, contingit: ut certe, viceversa, dici non potest, quod actio productiva referatur ad suum effectum; nisi, illa existente, hic etiam, coexistat: cum effectus necessario trahatur ab actione sua productiva. Secundo, extra controversiam, dicitur pater referri ad filium, filius ad patrem, saltem dum sibi coexistunt; quanvis physice non existat ratio fundandi, nempe actio prævia generativa, quæ jam præterit: estque unum ex physicis constitutivis relationis paternitatis, & filiationis: ut, viceversa, extra controversiam est, dici non posse, quod, A, referatur ad B, per relationem coexistentiæ, aut condurationis; nisi utrumque simul physice existat, aut simul physice duret.

Dico 2. Controverti solet: an relatio paternitatis denominet, termino non existente: v. g. an Petrus dici absolute, & simpliciter possit pater Pauli, jam defuncti: quod idem, viceversa, controverti solet de relatione filiationis: an scilicet Paulus existens dici possit absolute, & simpliciter filius Petri, jam emortui. Et, quoniam quæstio videtur de nomine; standum modo loquendi communi apud omnes: adeoque non videtur, posse negari, quod possit homo dici pater filii sui, etiam post hujus mortem: sicut, quod

quod, filius sui patris, etiam post hujus interitum, dici possit: dicimus enim: Petrus est pater hujus pueri, jam mortui: sicut etiam hic puer posthumus filius est Marcelli, jam defuncti: & in eodem sensu, Beatissima Virgo, Mater Christi, etiam in triduo mortis, cum omni veritate, & rigore poterat appellari: quidquid, contra communem, dicere videatur Giattinus, Spino, & alii.

LVIII. Dico 3. Controverti etiam solet: an aliquod existens dici possit, referri per relationem similitudinis ad terminum non existentem: & videtur philosophandum, ut supra: dicimus enim passim: hic puer similis est suo patri; etiam si Pater mortuus sit: dicimus etiam: hic flos simillimus est flori anni præteriti; dies hodierna serena est, sicut dies hesternæ; adeoque illi similis in serenitate. Neque hæ reputantur propositiones de subiecto non supponente: sensus enim illarum est verus: & habent id, pro quo, suo modo, supponent earum termini, si recte explicentur: cum sensus sit: hic puer est talis coloris, talis figuræ; qualis erat ejus pater, dum viveret: adeoque hic puer est in colore, sicut erat alter.

Dico 4. Quæri etiam solet inter proprietates relationis: an illa terminetur ad relativum, aut ad absolutum: quæ de re, ut certa ab incertis breviter sejungantur; relatio prædicamentalis adæquata, proprie, & rigorose, ut supra innuebam, non refertur ad terminum: adeoque illum neque ut absolutum, neque ut relativum, potest respicere. Probatur: quia hujusmodi relatio identificatur inadæquate cum termino: ergo non potest adæquata relatio, puta secundum omnem sui partem, proprie, & rigorose referri ad terminum. Si vero loquamur de fundamento relationis prædicamentalis; illud respicit terminum, ut absolutum, non ut relativum. Probatur, quia relatio identificatur tum cum fundamento, tum cum termino: ergo fundamentum partialiter constituit terminum relativum, quæ talem: ergo, si referretur ad terminum, ut relativum; referretur ad se ipsam: relatio autem, ut diximus, proprie, & rigorose est ad alterum. Hinc constat, quid dicendum de relatione transcendentali, quæ est fundamentum prædicamentalis, ex dictis; seu relatio prædicamentalis inadæquata.

LIX. Dico 5. Quæri etiam solet inter proprietates relationis: an illa multiplicetur ad multiplicationem terminorum: & in nostris principiis, non videtur posse negari, ad multiplicationem

Y y 2

ter-

terminorum multiplicari inadæquate relationem, puta prædicamentalem, & adæquatam: quia terminus est unum ex constitutivis relationis: ergo licet, uno, eodemque fundamento perseverante, solum multiplicentur termini; multiplicatur relatio partialiter. Verum hæc difficultas præcipue locum habet, in sententia modalistarum: in quorum principiis dicendum, vel quod, adveniente novo termino, adveniat novus modus, per multiplicationem: ita nimirum, ut quot sunt termini, totidem sint modi; vel quod, adveniente novo termino, destruaturs primus modus, qui erat relatio fundamenti ad unum terminum: & adveniat novus modus validior, qui sit relatio ejusdem fundamenti ad duos terminos: pro varietate opinionum, in hujusmodi materiis similibus, v. g. in visione, cognitione, unione, actione productiva: quando, manente eadē causa, aut potentia, multiplicantur termini in linea sua, de quibus in loco. Atque hæc de relatione satis. Aristoteles, hoc loco, plura addit, quæ ad adæquatam prædicamentorum notitiam conferre possunt: illa post prædicamenta, appellari solent, in quibus agitur de variis oppositionum generibus; variis rerum prioritatibus, posterioritatibus, simultatibus; variis habendi modis. Hæc tamen communiter, hoc loco, præmittuntur: quia plura constant, ex dictis in summis: plura ex dicendis, variis in locis, constabunt, per universam philosophiam.

## ARTICULUS XVI.

Analysîs prædictorum in argumenta negativa.

LX. **D**ico 1. Puncta præcipua hujus disputationis decimæ, eo redacuntur: primo videlicet, circa essentiam relationis metaphysicam: secundo, circa ejus essentiam physicam, idest ejusdem constitutiva, seu partes physicas: tertio, ex occasione, circa regula partium; circa existentiam relationis independentem ab intellectu.

Quoad primum, nos relationem metaphysice definimus: esse unius ad alterum, puta, reduplicative acceptum: seu, hoc, quod est, unum esse ad alterum: probamus, quia, ex una parte, aliud prædicatum gratis ultra requiritur: cum non sit, idest non appareat, hujus prædicati ulterioris ulla necessitas in relationis essentia metaphysica: ex altera parte, independentem ab conceptu tra-

tradito, non apparet, quomodo salvari possit, præsertim juxta doctrinam Aristotelicam, definitionis essentia metaphysica.

Quoad secundum, relationem, dicimus, physice importare, ut sui adæquatum constitutivum, unum, & alterum, & id, quod determinat unum, ut sit ad alterum: nempe, ut in scholis communiter dici solet, fundamentum, & terminum, & rationem fundandi: probamus, ut supra, quia nimirum, ex una parte, aliud constitutivum, aut aliquid aliud gratis requiritur: ex altera parte, independentem ab his, non apparet, quomodo constitui possit adæquata prædicamentalis relatio, de qua loquimur.

Quoad tertium, assignamus nostram regulam partium: illam aliis præferimus: tum quia non apparet, quænam alia regula diversa commodior, aut æque commoda tradi possit: tum quia, hac regula pernegata; non remanet via, qua impugnari posset, qui assereret, omnis totius, quantumvis compositi, aut concreti ex pluribus, essentiam consistere tantum in uno constitutivo: quidquid aliud ulterius requiritur, esse meram conditionem, sine qua non; aut connotatum essentiale; aut partem denominationis, non autem formæ, seu quasi formæ denominantis.

Quoad quartum, dicimus, dari relationem independentem ab intellectu: probamus, quia non apparet necessitas recurrendi ad intellectum, pro formali relatione, in rebus efficienda: nec ratio, quare relatio formaliter non sufficienter constituatur per comparabilitatem illam, quam intellectus invenit in rebus, ante suam operationem, quamque adversarii, gratis omnino, appellant solummodo fundamentalem relationem.

LXI. Dico 2. Adversarii contra nos, in ordine ad primum, & secundum punctum, in duas dividuntur classes, quarum prima paucioribus est contenta: secunda aliquid aliud, ut modum, aut quid simile æquivalens, superaddit, quomodocunque vocetur.

Prima classis movetur: quia non elucet necessitas, unde tot prædicata metaphysica, ad metaphysicam relationis essentiam; aut tot constitutiva physica, ad physicam ejus essentiam satis, & adæquate constituendam, congerantur, atque multiplicentur.

Secunda classis: quia non videtur, quomodo, sine modo, seu aliqua alia ulteriore entitate; aut intellectus operatione, comparatione, aut figmento; formalis, & adæquata relatio, ordo, nexus, referentia unius ad alterum salvari queat; adeoque

cur

cur, in ordine ad relationem, non sit discurrendum, ut passim defacto, in ordine ad unionem, actionem, durationem, ubicationem; quæ vel modales, vel, si non modales, saltem realiter superadditæ, sustinentur.

In ordine ad tertium, negant regulam a nobis allatam: tum quia non apparet necessitas recurrendi ad hypotheses impossibiles, ut rerum essentia dignoscantur: tum quia non est explicabile, quomodo fallax non sit quævis hypothesis impossibilis, utpote implicans contradictionem, ex qua, tanquam ex infecta radice, quippe ex manifesta chimera, utrunque contradictorium, iterum, atque iterum inferatur.

In ordine ad quartum, ut supra ad primum, & secundum.

Dico 3. Non intempestive notandum distincte, illa etiam argumenta, quibus alii nostræ sententiæ fautores, redarguunt modalistas, quæ nos impugnavimus *art. 6. assert. 3.* quæq; ipsi argumenta vocitant positiva; eo tandem aliquando & ipsa resolvi:

Primum videlicet, quia non apparet necessitas ponendi in mundo assiduam, ex tot de novo advenientibus, aut abeuntibus modis, mutationem intrinsecam.

Secundum, quia non est assignabile, quid determinet rem, alioqui absentem, & valde remotam, ad productionem modi relativi ad terminum valde dissitum, & remotum.

Tertium, quia non est, cur etiam ipsi modi, ut extrema sua, non referantur ad invicem inter se, per alios ultiores, & ultiores modos, sine numero: adeoque, quo modo vitari possit modorum relativorum processus in infinitum. Quod si modi, per se, formaliter, relati esse possunt; quare non etiam extrema, posita ratione fundandi?

Quartum, quia non est assignabile, an modus relativus numeri denarii hominum ad alium denarium, resideat in singulis replicatus, aut partitus, aut in uno determinato: nam, si primum; non apparet hujusce replicationis ulla necessitas: si secundum; neque hujusce divisi modi assignatur convincens ratio, & necessitas: si tertium; non est assignabilis major ratio, cur in uno potius, quam in alio: & quomodo, non hunc unum solum, toti denario æqualem, denominet. Si autem fiat recursus ad causam primam; contra est: quia non est necessitas hujus recursus ad Deum, ut ad causam, & determinativum particulare: adeoque

que non est , quare hic recursus non indignus philosopho reputetur .

Quintum , quia non est necessitas admittendi , inter substantias , qua tales consideratas , comparatasque , aut comparabiles inter se , relationem physice accidentalem .

*Corollarium.*

Sed hæc omnia , tum quibus nos utimur , tum quibus adversarii contra nos , argumenta sunt negativa , ut satis constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. ergo tam nos , quam adversarii , armis utimur Negativis , in hac disputatione decima de Propositione , comparativa , seu relativa: in qua dictum est de Relatione. Quoniam vero quædam relationis , aut quasi relationis species , est Veritas , quippe conformitas magis , vel minus rigorosa , ut videbitur ; non importune sequitur





## DISPUTATIO UNDECIMA.

De propositione vera, & falsa,  
 ubi  
 De veritate, ac falsitate formali.

*Primo, quid sit metaphysice veritas, & falsitas formalis. Secundo, an detur defecto. Tertio, quid sit physice. Quarto, an suscipiat magis, & minus. Quinto, an eadem propositio possit esse vera formalis, & falsa. Sexto, an propositio vera possit transire in falsam, aut falsa in veram. Septimo, an propositio de futuro, aut non futuro contingenti possit esse determinate vera, vel determinate falsa.*

## ARTICULUS I.

Quid sit metaphysice veritas, & falsitas formalis.

I. **D**ico 1. Veritas formalis metaphysice: est conformitas propositionis cum objecto, puta in repræsentando, non autem in essendo. Est sententia communissima, in qua, inquit Peñafiel *de anima disp. 20. quest. 8. num. 1.* omnes doctores conveniunt absque ulla controversia. Probatur: quia, per hoc præcise, quod propositio repræsentet objectum, ut est in se; sufficienter intelligitur illius veritas formalis constituta: contra vero, si objectum non ita se habeat, sicuti per propositionem repræsentatur; nullo modo intelligi potest veritas adæquata, & formalis: ergo veritas, de qua loquimur, est conformitas propositionis cum objecto, quod est ejus regula, & mensura: & inde est, ut relatio cognitionis ad objectum appelletur, ut diximus, fundata in mensurabili, & mensura.

Dico 2. Falsitas formalis: est difformitas propositionis cum objecto. Quis enim neget, esse formaliter falsam propositionem, quæ repræsentet objectum, aliter, ac est in se, qua v. g. quis asserat, Deum non esse trinum, aut assermet, esse mandacem? Utraque

*Ant. Forti.*

que assertio deducitur ex principiis Aristotelis in prædicamentis, ubi philosophus ait : *eo, quod res est, vel non est; oratio vera, vel falsa dicitur* : quod etiam colligitur ex eodem philosopho 9. *metaph.* ubi ait : *non propterea, quod nos te vere album putamus; tu albus es: sed propterea, quod tu albus es; nos, qui dicimus, verum dicimus.*

II. Dico 3. Dixi primo, *conformitas, & difformitas*, puta vel stricte, ac rigoroſe relativa: vel non stricte, ac nõ rigoroſe relativa: puta primo modo, ubi propositio realiter distinguitur a suo objecto: secundo modo, ubi cognitio habet ſeiſpam pro objecto: adeoque non distinguitur realiter ab hoc suo objecto, sed solum ex parte actus: quatenus nimirum diverſus est conceptus imaginis, & repræſentationis a conceptu objecti, ac repræſentati.

Dixi secundo, *propositionis*, quia, juxta noſtra principia, ut dictum est *diſp.* 5. ubi de objecto logicæ, veritas, & falſitas formalis, proprie loquendo, non invenitur, niſi in iudicio: non enim in apprehenſione, ideſt prima operatione intellectus: & a fortiori nec in aliis actibus, utcunque cognoscitivis, qui cognitiones, non autem intellectiones vocari poſſunt.

Dixi tertio, *cum objecto*, quia, in noſtra ſententia, objectum eſt prima, & ultima regula, ac meſura, unde primo deſumitur, & quo ultimo reſolvitur formalis veritas, & falſitas cujuſcunque propositionis. Quod ſi deſiniri velit veritas, & falſitas formalis in omnium principiis, per definitionem ampliorem, quæ præſcindat a privatis opinionibus; dici poterit: veritas formalis eſt conformitas cognitionis cum ſua regula: falſitas, eſt difformitas cognitionis ab ſua regula: puta ſive de cetero cognitio ſit iudicium, & propositio, ſive non: ſive de cetero regula, & meſura, ſit iplum objectum, ſive cognitio divina, ſive non.

## ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones.

III. **O**bjicies 1. Veritas, vel eſt conformitas cum objecto, ſpecificative accepto; vel cum objecto, reductive ſumpto: neutrum dici poteſt: ergo falſa conſuſio.

Reſpondeo, nego minorem: & dico cum Suárez *diſp.* 8. *metaph. ſect.* 1. Hurtado *diſp.* 9. de anima *ſect.* 1. & cum recentioribus *Phil. Neg. Log.*

Z z z

ribus passim contra Durandū, & Hervæum, quos refert, & sequitur Valquez *tom. 1. prim. parte disp. 77. cap. 1.* veritatem esse conformitatē cognitionis cum objecto, specificative accepto, scilicet ut est in se; non autem reduplicative, ut objectum est: quia objectum, qua tale, scilicet reduplicative, ut objectum est, includit cognitionem, ut partem, quæ nequit esse sibi ipsi conformis relative; nisi minus stricte, & rigore, quando supra seipsam, tanquam supra objectum, reflecteret.

Obijcies 2. Veritas est conformitas cognitionis nostræ cum cognitione divinā infallibili: ergo veritas non est conformitas cognitionis cum objecto. Antecedens probatur: nam, eo ipso, quod aliqua cognitio conformatur divinæ menti; intelligitur esse vera: cum implicet, mentem divinā subesse falso.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, distinguo antecedens: arguitive, concedo; formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Prima regula veritatis est id, quo tandem aliquando resolvitur veritas, tanquam in id, unde primo petita est. Jam veritas cognitionis dicentis: *paries est albus*; tandem resolvitur in conformitatem cum objecto; ergo objectum est prima regula veritatis; licet cognitio divinā dici possit regula secundaria veritatis. Minor probatur: quandoquidem, licet, veluti per signum a posteriori, & arguitive, deducamus, veram esse cognitionem creatam de albedine parietis; si conformetur cognitioni divinæ, quæ est essentialiter vera; adhuc tamen assignandum remanet, quare cognitio divinā de albedine parietis sit essentialiter vera: & tandem dicendum, cognitionem ipsam divinā ideo esse essentialiter veram; quia essentialiter est conformis objecto, nimirum quia essentialiter habet illud representare, ut est in se. Sic, si per impossibile, vel Deus non esset, vel haberet cognitionem affirmantem, inesse parieti albedinem, quæ revera non inest; in ea hypothese, nec cognitio divinā esset vera: nec vera esset creata cognitio, quæ tali cognitioni, in hypothese impossibili, conformaretur: vera tamen esset cognitio creata, quæ differretur ab illa cognitione divinā, in tali hypothese. Simili modo arguitive deducimus, imaginem Petri esse verā; si alteri imagini, suo modo veræ, conformis sit: non quod formaliter hinc hauriat suam veritatem, sed ab objecto: ita enim argumentamur: si imago, A, est adæquate conformis imagini, B, Petri, siq; hæc est conformis, eodē modo, ipsi Petro; etiam imago,

A,

A, erit conformis Petro, adeoque vera, in sua linea; quæ enim sunt conformia unitertio; sunt conformia inter se: sed Petrus, & imago, A, conformantur unitertio, idest imagini, B: ergo Petrus, & imago, A, conformantur inter se.

IV. Objicies 3. Objectum quandoque non est existens; & tamen propositio, circa ipsum, potest esse vera: cujusmodi est propositio, qua dicitur: Antichristus non est existens: ergo objectum non potest esse regula, & complementum veritatis.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam. non enim semper ad hoc, ut propositiones defacto veræ, vel falsæ denominentur; requiritur, quod omnia constitutiva veritatis sint defacto physice existentia: immo quandoque necessario requiritur, ut aliquod constitutivum non sit existens: si enim propositio affirmet, non existere id, quod non est; requiritur, ut illud vere non sit, ut propositio actu conformetur objecto, adeoque, ut sit actu vera: & si illud tunc esset; propositio vera non esset. Hujusmodi sunt etiam, ut sæpius diximus, denominationes prioris, posterioris, antiqui, peccatoris habitualis, & similes: quæ, ut cum veritate dicantur, requirunt, ut defacto non omnia earundem constitutiva physice existant: dies enim hodiernus, dicitur nunc prior crastino, posterior hesternus; & tamen unum ex constitutivis prioritatis est etiam dies crastinus; posterioritatis dies hesternus: qui nunc non existunt: sicut etiam hæc domus dicitur nunc antiqua; & tamen ejus antiquitas physice constituitur etiam per durationes præteritas, quibus prædicta domus duravit tempore jam elapso. Et sic de reliquis denominationibus hujus generis, proportionem servata. Horum autem ratio, veluti a priori, esse videtur, ex Arriaga *disp. 14. sect. 1. subsect. 9. num. 51.* quia, ex libera hominum voluntate, multæ voces institutæ sunt ad significandum concreta, quorum solum rectum defacto physice sit existens, ut in exemplis allatis; aliæ vero voces fuerunt institutæ ad significandum concreta, conflata ex partibus, quorum, tum rectum, tum obliquum defacto physice existant: cujusmodi sunt hæc voces, album, dulce, calidum: & quidem potuissent velle oppositum, scilicet, ut dulce, album, calidum significarent rem cum albedine præsentis, vel præteriti: utque vox hæc, homicida, solum significaret hominem cum occisione hominis, defacto existente.

Objicies 4. Cognitio, qua Deus cognoscit seipsum, est vera;

ZZ 2

& ta-

& tamen non est conformis objecto: ergo veritas non est conformitas cognitionis cum objecto. Antecedens probatur: conformitas dicit distinctionem inter extrema: sed cognitio divina non est distincta ab ipso Deo: ergo cognitio divina, qua Deus cognoscit seipsum, non est cum illo conformis.

Respondeo, nego; vel, claritatis gratia, distinguo secundam partem antecedentis: non est conformis objecto, conformitate stricte, & rigoroſe relativa, concedo; conformitate non stricte, & rigoroſe relativa, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo majorem: conformitas stricte, & rigoroſe relativa, concedo; conformitas non stricte, & rigoroſe relativa, nego majorem: & concessa minore, nego, in eodem sensu, consequentiam. Veritas, ut innuebam *art. 1. assert. 2.* est conformitas, non ita necessario stricte, & rigoroſe relativa; ut intercedere debeat inter extrema realiter distincta: sed sufficit, quod intercedat inter extrema, aliquo modo, distincta, saltem ex parte actus considerata, cujusmodi est res, ut imago, utq; objectum ejusdem.

### A R T I C U L U S III.

An defacto detur veritas, & falsitas formalis.

V. Dico 1. Datur defacto veritas formalis. Assertio videtur certa, & innegabilis: primo, in intellectu divino: Deus enim cognoscit seipsum, & omnia objecta, per actus verissimos. Secundo, in intellectu creato: quis enim neget, semet existere, velle, sentire, pati famem, sitim? idem simul esse, & non esse non posse? veras esse has propositiones: datur Deus; totum est majus sua parte; unum, & duo sunt tria; & similes propositiones æternæ veritatis?

Dico 2. Academicos veritatem olim negasse, cum Pyrrhone, fama est: asserentes, dari solum posse aliquod verisimile; veritatem tamen omnino dari non posse: sed fortasse Academici non negarunt veritatem, sed veritatis criterium, id est signum, seu judicatorium, unde veritas a nobis certo cognosci possit. Horum errores impugnat, pluribus in locis, Divus Augustinus. Nobis, contra ipsorum deliramenta, argumentandum non est: solum illud petere vellem ab Academicis, num scilicet, si eorum terga ver-

verberibus opplerentur; vere sensationem doloris experirentur? Aliqui illos multis argumentis, non breviter, impugnare contendunt: verum ipsi, si veritatem negant; omnia certissima etiam, atque evidētia audacter, & temere, amentium ritu, pernegabunt: nec dicere verebuntur, se nec scire posse, quod nihil sciant; sed ad summum de omnibus dubitare, ideo scepticos appellandos: phrasēs hascē, seu propositiones, quæ fortasse alicui veræ videri possint; esse illorum medicamentorum instar, quæ, cum aliis humoribus, semet etiam aliquando tandem expellunt, ut notat Gassendus *de logica sine lib. altero cap. 3. in fine*. De Academicorum errore dictum non nihil est *in theol. lib. 8. de Mor. Act. hum.* ubi de probabili.

Dico 3. Datur etiam in propositionibus falsitas: & utinam non daretur! innumeræ quotidie ex humano intellectu errorum phalanges non proflirent. Probatur argumento, quo etiam contra Academicos, dari veritatem evincimus: nam vel datur veritas, vel non datur; si primum; ergo est vera nostra sententia; falsum Academicorum delirium: si secundum; ergo falsa est nostra assertio, vera eorum sententia: ergo, in utraque hypothesis, datur aliqua falsitas, & veritas formalis.

#### A R T I C U L U S IV.

Quid sit physice veritas, & falsitas formalis.

VI. **D**ico 1. Stabilita essentia metaphysica veritatis, facile erit, physicam ejus essentiam, & constitutivam physica designare. Consistit igitur physice veritas in propositione, & objecto: in propositione nimirum, repræsentante objectum, ut, suo modo, est in se; & in objecto, ita se habente sub modo, sicut per propositionem repræsentatur. Est sententia communis, præsertim apud recentiores. Probatur: quia veritas, ex dictis, est conformitas propositionis cum objecto: sed conformitas propositionis cum objecto dicit tum propositionem, tum objectum: ergo veritas consistit physice in propositione, & objecto, modo explicato. Minor probatur: conformitas propositionis cum objecto dicit propositionem, ita repræsentantem objectum; sicuti objectum est in se: sed totum hoc importat propositionem, & objectum: ergo. Minor probatur: totum hoc im-  
por-

portat, propositionem ita se habere in repræsentando; sicuti objectum se habet, suo modo, in essendo: sed hoc est tum esse propositionis, tum ipsius objecti, suo modo: quia, unum ita se habere in essendo, sicuti alterum; importat unum, & alterum, ut diximus in relatione: ergo, unum ita se habere in repræsentando, sicuti se habet objectum in essendo; importat ipsum, & objectum. Et sane, habita propositione, & objecto, modo præexplificato; & quocunque alio, sive per possibile, sive per impossibile, ablato; intelligitur haberi conformitas: nam aliquid aliud gratis omnino requiritur: contra vero, habitis ceteris omnibus, & alterutro ex his, sive per possibile, sive per impossibile, deficiente, nequit intelligi huiusmodi conformitas: ergo conformitas propositionis cum objecto importat propositionem, ita repræsentantem objectum, & objectum, ita in se modo suo; ut ab illa repræsentatur.

VII. Dico 2. Idem, proportionem servata, dicendum de falsitate: illam videlicet physice consistere in propositione, ita objectum repræsentante; & in objecto aliter se habente, modo suo; ac ab illa repræsentetur: est enim eadem omnino ratio: quandoquidem, sicut veritas est conformitas, & quasi æqualitas, seu similitudo in repræsentando, inter propositionem, & objectum; ita falsitas est disformitas, & quasi inæqualitas, seu dissimilitudo propositionis cum objecto.

Dico 3. Non videntur coherentem procedere, qui volunt, formalem similitudinem, seu conformitatem inter duo, adeoque relationem convenientiæ, & disconvenientiæ haberi formaliter, per modum superadditum; conformitatem tamen cognitionis cum objecto, etiam realiter distincto, in repræsentando, seu veritatem formalem, haberi adæquate per cognitionem, & objectum, independentem a modo superaddito, in quo consistat formalis veritas: nam, cur formalis conformitas cognitionis cum objecto adæquate constituitur per cognitionem ipsam, & objectum; & adæquata conformitas inter Petrum, & Paulum non constituitur per ipsum Petrum, & Paulum? atque idem, proportionem servata, de disformitate, seu falsitate, juxta prædicta. Enimvero, independentem a modo superaddito, vel stat conformitas, vel non: si primum; ergo salvari potest, sine modo, conformitas inter parietem album, A, & parietem album, B: si secundum; ergo salvari non potest, sine modo, conformitas inter cognitionem, & parietem ab ipsa repræsentatum.

A R-

ARTICULUS V.  
Solvuntur objectiones.

VIII. **O**bjicies 1. Propositio, & objectum sunt veritas, seu falsitas fundamentalis, non autem formalis: ergo veritas, & falsitas non consistunt adæquate, & formaliter in propositione, & objecto. Antecedens probatur: quia, ut habeatur formalis veritas, & falsitas; opus est præterea quadam relatione ficta, seu modo quodam superaddito.

Respondeo, nego antecedens: ad cujus probationem, nego assumptum, ut in relatione. Ratio negationis constat ex dictis *disp. 10.* ubi de relatione, præsertim *art. 2. & 3.*

Objicies 2. Cum Comptono: si objectum esset pars veritatis, & falsitatis constitutiva; sequeretur, quod Deus esset pars erroris, vel hæresis, cum quis diceret, v. g. Deus non existit; Deus non est Trinus: consequens est absurdum: ergo, & antecedens.

Respondeo, distingo majorem: Deus esset pars, seu quasi pars erroris, vel hæresis specificative, nego; reduplicative, subdistinguo: secundum id, quod venit in obliquo, concedo; in recto, nego majorem: & distingo min: conf. est absurdum, in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Nullus hic scrupulus: sicut enim non male sonat, quod Deus sit pars, seu quasi pars, constitutiva binarii, seu dissimilitudinis, confurgentis ex ipso Deo, & diabolo; ita nec, quod Deus, & cognitio creata constituent simul binarium, seu difformitatem in representando, quæ est falsitas, & hæresis: sicut etiam non est absurdum, quod prohibitio divina, in sententia communi, sit, modo prædicto, pars, seu quasi pars constitutiva peccati, secundum id, quod peccatum dicit in obliquo.

Objicies 3. Cum eodem: quandoque objectum non existit: sed, quod actu non existit, nequit esse pars, seu quasi pars constitutiva alicujus concreti: ergo veritas, vel falsitas, saltem quandoque, consistit in sola cognitione, non in objecto.

Respondeo, concessa majore, distingo minorem: quod actu non existit, nequit esse pars constitutiva alicujus concreti, actu existentis secundum se totum, concedo; concreti, non actu existentis secundum se totum, nego minorem, & consequentiam. Quando objectum actu physice non existit, veritas actu physice non existit, secundum se totam; quanvis actu cognitio denominetur



tur vera: sicut enim, etiam si physice non dentur omnia constitutiva hujus concreti, quod est: Antichristus cognitus; cognitio tamen dicitur Antichristum repræsentare, & cognoscere; ita eadem cognitio dicitur etiam illum repræsentare, & cognoscere, ut est in se; vel aliter, ac est in se: adeoque esse vera, vel falsa.

IX. Objicies 4. Cum Peñafiele ex Hurtado *disp. de Anima* sect. 3. cognitio est adæquata imago, & repræsentatio sui objecti: ergo etiam est adæquata conformitas, vel difformitas cum suo objecto.

Respondeo, distingo antecedens: cognitio, se sola, est adæquata imago absolute, & denominative, concedo; relative, prædicamentaliter, & constitutive, nego antecedens, & consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis de relatione: cognitio enim est adæquate entitas illa, quæ denominatur imago, & repræsentatio objecti: & hoc est, illam esse imaginem absolute, seu transcendentalem, & denominative talem: non autem est adæquata ratio imaginis, ut prædicamentaliter relative ad objectum: scilicet, ut constituentis ordinem prædicamentalem ad objectum: utque eidem objecto conformis, aut difformis, reduplicative: quia, ut talis, ipsum etiam objectum reduplicat.

Objicies 5. Cum eodem: in cognitione, etiam reduplicative accepta, idest ut vera, nihil aliud datur, nisi repræsentatio: sed repræsentatio non distinguitur a cognitione: ergo cognitio, etiam ut vera, nihil physice importat, præter seipsam, constitutive.

Respondeo, distingo majorem: in cognitione, etiam reduplicative, & ut vera, nihil aliud datur, nisi repræsentatio relative, prædicamentaliter accepta, concedo; nisi repræsentatio absolute, transcendentaliter, seu denominative accepta, nego majorem: & distingo minorem: repræsentatio absolute, seu transcendentaliter, seu denominative accepta, non distinguitur a cognitione, concedo; repræsentatio relative, seu prædicamentaliter accepta, nego minorem, & consequentiam. Cognitio, ut vera, sicut etiam, ut prædicamentaliter relata ad objectum; dicit, præter seipsam, ipsum objectum: quod est pars conformitatis, sicut utrumque extremum est pars constitutiva binarii.

X. Objicies 6. Verum, & falsum (loquendo de veritate formali, non autem de transcendentali) ex Aristotele, & D. Thoma  
Ant. Forti. ma

ma, non est in rebus, sed in mente : ergo tota veritas , & falsitas identificatur adæquate cum cognitione.

Respondeo , distinguo antecedens : verum , & falsum , specificative , seu denominative , concedo ; reduplicative , seu constitutive , nego antecedens , & consequentiam . Per Aristotelem , & Divum Thomam , in mente est verum , & falsum specificative , seu denominative , idest entitas cognitionis , quæ denominatur vera , vel falsa : non autem sunt in mente omnia constitutiva talis veritatis , aut falsitatis . Ita Judas , qui denominatur dissimilis Christo , est in inferno : non autem sunt in inferno omnia constitutiva dissimilitudinis , inter quæ ingreditur etiã Christus Dominus , qui est in cælo . Itaque verum erit dicere : dissimile specificative , est in inferno , idest ille , qui denominatur dissimilis : non autem dissimile , reduplicative , idest non omnia constitutiva hujus dissimilitudinis.

Objicies 7. Ex eodem Hurtado : si veritas cognitionis constitueretur partialiter ab objecto , sicut etiam falsitas ; sequeretur primo , quod veritas cognitionis divinæ , circa objectum creatum , vel circa objectum chimericum , dicenda esset veritas creata , vel chimera : sequeretur secundo , quod falsitas cognitionis creatæ , circa objectum divinum , dicenda esset increata , & divina : sed hæc sunt absurda : ergo & id , unde sequuntur.

Respondeo , nego utranque sequelam , & similes . Veritas , & falsitas , quæ sunt concretum , constans ex cognitione , & objecto , absolute , & simpliciter , in communi modo loquendi , desumunt denominationem a parte principaliore : qualis est illa , quæ venit in recto , & denominatur vera , vel falsa in repræsentando : hujusmodi est cognitio ; non autem illa pars , quæ venit in obliquo : nec denominatur vera , vel falsa in repræsentando , cujusmodi est objectum : unde veritas cognitionis divinæ , & increatæ , circa quodlibet objectum , in communi modo loquendi , dicitur absolute , & simpliciter veritas formalis divina , & increata : veritas , seu falsitas cognitionis creatæ , circa quodlibet objectum , absolute , & simpliciter , veritas formalis creata denominatur.

· XI. · Objicies 8. Ex eodem : objectum est pars veritatis , vel falsitatis in repræsentando : ergo vel etiam objectum denominari debet verum , aut falsum in repræsentando ; vel potius neutrum solitarie acceptum , sed utrunque simul : puta ad modum unius.

Phil. Neg. Log.

A a a a

Re-

Respondeo, nego consequentiam. Objectum est incapax talis denominationis, quia, ut tale, non est representatio; adeoque non representatio vera, aut falsa: neque opus est, ut omnia constitutiva alicujus concreti unam, eandemque denominationem recipiant, ut toties dictum est. Sic tum corpus, tum anima, corpori unita, constituunt totum hoc, quod est, animatum; nec tamen ideo anima dicitur animata, sed animans. Et ratio a priori est, quia in pluribus cōpositis, aut concretis talē denominationem recipit illa sola pars, quæ venit in recto, ut cognitio, in casu nostro; non etiam quæ venit, aut quæ veniunt in obliquo.

Objicies 9. Stante doctrina tradita, sequitur, quod Deus sit pars veritatis creatæ, & creatura pars veritatis divinæ: consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Respondeo, in sensu præexplicato, data majore, nego minorem. Quid enim absurdi, si termini recte intelligantur, & explicentur? hoc nihil aliud significat, nisi, quod Deus, simul cum cognitione creata, constituat concretum, in quo venit in recto cognitio creata; & quod cognitio divina cum objecto creato constituat concretum, in quo cognitio divina venit in recto. Ita, in sententia communi theologorum, prohibitio divina, quæ est optima, simul cum actu humano, constituit peccatum; quod est malum; & concretum, in quo venit in recto ipse actus humanus, qui malus denominatur, & inhonestus: non autem prohibitio divina, quæ semper denominatur bona, & supereminenter honestissima, ut dictum est in theol. lib. 3. ubi de regulis morum.

XII. Objicies 10. Veritas est perfectio cognitionis: ergo non constituitur inadæquate ab objecto.

Respondeo, distinguo antecedens: veritas est perfectio cognitionis semiextrinseca, concedo; adæquate intrinseca, nego antecedens, & consequentiam. Sic consonantia in vocibus, quæ componitur ex singulis, est omnibus adæquate intrinseca; si collective sumantur: singulis tamen perfectio est, solum inadæquate intrinseca.

Ubi, ne sit fortasse quæstio de vocabulo, notandum, perfectionem esse posse, primo, adæquate intrinsecam: secundo, semiextrinsecam: tertio, adæquate extrinsecam. Primi generis perfectio est omnipotentia, respectu Dei, cui est adæquate intrinseca, intrinseceitate identitatis: immo, & respectu hominis, pro-

propria intellectio, quæ est ipsi homini adæquate intrinseca, intrinseceitate unionis physicæ. Secundi generis perfectio est, respectu hominis, libertas in actu primo proxima, & expedita: nam libertas, qua talis, præter potentiam physicam, ipsi homini intrinsecam; præter intellectum, & voluntatem; importat etiam omnipotentiam, paratam, per divinum decretum indifferens, ad utrumlibet: & carentiâ præimpedimentorum: quæ non sunt homini intrinseca, sed extrinseca. Tertii generis perfectio sunt gloria, dignitates, fama, laus, nobilitas, & divitiæ. Utrum autem omnis stricte, & rigorose perfectio debeat esse intrinseca, subjecto, aut quasi subjecto, sæpe alibi dictum est, præsertim in *theol. lib. 4. de Justitia* contra illos, qui volunt, jus, & dominium esse quasdam entitates physicas, superadditas homini, aut angelo, qui denominatur habens jus, aut dominus rei alicujus.

XIII. Objicies 11. Cognitio vera perfectior est, quam falsa: ergo utraque est intrinsece, adæquate talis: ergo non constituitur talis, etiam per objectum.

Respondeo, distinguo antecedens: est perfectior arguitive, & formaliter, concedo; entitative, & materialiter, nego antecedens, & consequentiam. Cognitio vera, qua talis, ceteris paribus, præcise entitative, & materialiter, non videtur perfectior, quam falsa: nam conformitas, & similitudo non est physice, entitative, & materialiter perfectior difformitate, & dissimilitudine. Erunt igitur veritas, & falsitas; seu cognitio vera, & falsa, magis, aut minus entitative, & materialiter perfecta; si physice, & entitative, & materialiter perfectiora erunt extrema, ex quibus constituuntur: in quo sensu contingere posset, ut falsitas, & actus falsus sit longe perfectior veritate, & actu vero: cujusmodi esset actus angelicus falsus de objecto divino, comparatus cum actu humano vero de objecto creato valde imperfecto: ad eum modum, quo, licet mathematicæ perfectior sit circulus perfecte sphaericus, quam alia figura imperfecta; si tamen hæc fuerit aurea, circulus vero ligneus; ille imperfectior erit materialiter, entitative, & physice consideratus. Arguitive vero, & formaliter perfectior dicitur quævis cognitio vera, quam falsa: quia indicat in intellectu eliciente, saltem hic, & nunc, majorem perfectionem: perfectior enim reputatur, atque æstimabilius intellectus vere judicans, quam intellectus errans: unde est, ut intel-

lectus divinus, utpote perfectissimus, sit essentialiter additus veritati. Utrum autem falsitas, ceteris paribus, possit formaliter, respectu alicujus intellectus, esse melior, adeoque perfectior, idest magis juxta ejus exigentiam naturalem; quæstio non est hujus loci: non enim desunt, qui putent possibilem intellectum, natura sua, addictum falsitati; adeoque cui melior esset, utpote connaturalis, falsitas, & error; quam veritas, & scientia, quæ essent eidem contraria: sic melius est aquæ frigus, quam calor; & igni melior est calor, quam frigus: & in hoc sensu melior est lapidi gravitas, quam visio beata. Verum non ita res se habet, respectu intellectus, defacto: quia, cum hic sit indagator felicitatis, quæ objective consistit in summo bono; & cum, ad hujus consecutionem, sit medium aptum cognitio vera, non autem falsa; hinc fit, ut eidem bona sit cognitio vera, non falsa: quia illa, non hæc, est medium, aptum ad consequendum finem ultimum, ad quem ordinatur. Quod autem ipsamet entitas cognitionis (si est indifferens) cum est vera, sit bonum intellectui; cum est falsa, sit eidem malum: ut etiam eadem entitas volitionis, aut nolitionis, cum est honesta, bonum est voluntati; malum, dum inhonesta; juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib. 8. de moral. act. hum.* novum non est in philosophia: siquidem res, pro diversis circumstantiis, exigunt diversa, quin & opposita, quibus diversimode indigent, aut juvantur, pro circumstantiarum varietate. Et sane eadem entitas ignis, aut caloris, est homini bonum, amatum, appetibile, & proficuum, tempore hyemali: eadem prorsus entitas ignis, aut caloris, potest eidem homini esse malum, odio habitū, inappetibile, & noxium tempore æstivo.

XIV. Objicies 12. Cum Hurtado *disp. 9. de anima sect. 3. num. 16.* mensura est extra mensuratum: sed objectum est mensura cognitionis veræ: ergo objectum non ingreditur inter constitutiva cognitionis veræ, ut veræ.

Respondeo, omiſſa majore, distinguo minorem: objectum est mensura cognitionis veræ, specificative acceptæ, concedo; reduplicative, nego minorem, & consequentiam. Objectum proprie est mensura cognitionis, quæ, si ipsius objecti merito commensuretur; vera est: sin difformetur; falsa: objectum non est mensura cognitionis, ut veræ: quia, ut talis, constituitur etiam ab objecto, quod non potest esse mensura sui ipsius; nisi fortasse, ubi cognitio reflecteret supra seipsam. Et hinc est, quod omi-

omiserim majorem, scilicet, quod mensura sit extra mensuratum.

Objicies 13. Bonitas, & malitia adæquata, tota identificatur cum actu, qui dicitur honestus, vel inhonestus; nimirum juxta, vel contra regulam honestatis: ergo veritas, & falsitas adæquata, identificatur cum sola cognitione, quæ dicitur vera, vel falsa; nimirum conformis, vel disformis objecto, quod est cognitionis regula, seu mensura.

Respondeo, nego antecedens: eadem enim est ratio: cum enim honestas sit conformitas cum lege, seu præcepto; inhonestas disformitas; non potest adæquate consistere in solo actu, sed etiam completur ab ipsa lege, ut dictum est, in *theo. lib. 8. de moralitate act. hum.* ubi de regula morum.

Objicies 14. Potest aliter melius salvari essentia physica veritatis, & falsitatis, quam in propositione, & objecto: ergo nostra sententia est falsa.

Respondeo, nego antecedens: ideoque sit

## A R T I C U L U S VI.

Aliorum sententiæ de physico veritatis, & falsitatis constitutivo referuntur, & impugnantur.

### Prima sententia.

XV. **D**ico 1. Prima sententia, est veritatem, & falsitatem, esse relationem quandam, quam fingit intellectus, inter cognitionem, & objectum. Pro hac sententia citari solet Durandus, & Vasquez 1. *par. disp. 76. cap. 1.* Contra hanc sententiam est primo, quia talis relatio ficta gratis omnino astringitur, absque ulla prorsus necessitate: cum defecto cognitiones divinæ sint verissimæ, absque ulla penitus fictione. Secundo, contra est, quia, sicut relatio, cum importet unum ad alterum, seu unum, sicuti alterum; non potest formaliter consistere in aliquo, quod sit diversum ab uno, & altero, & eo, quod determinat unum, ut sit ad alterum; ita veritas, & falsitas, cum importet unum in repræsentando, sicuti, aut non sicut aliquod in essendo, non potest esse quid diversum ab eo, quod repræsentat, & ab eo, quod repræsentatur.

*Secunda sententia.*

Dico 2. Secunda sententia est, veritatem, & falsitatem formalem esse modum quendam superadditum, per quem cognitio referatur ad objectum. Ita quotquot veritatem, & falsitatem esse, volunt, relationem prædicamentalem cognitionis ad objectum; & relationem prædicamentalem, consistere formaliter in modo superaddito. Contra hanc est primo, quia hujusmodi modus gratis omnino requiritur: cum veritas, & falsitas; conformitas, & difformitas formalissime salventur in cognitione, & objecto, modo prædicto: ut diximus etiam in relatione. Et defacto cognitiones divinæ, independenter ab omni modo superaddito, sunt formaliter veræ. Secundo, contra est, quia, sicut in relatione implicat, modum superadditum esse unum, & alterum; unum in essendo, sicut alterum; ita implicat, modum superadditum esse in representando unum, sicut alterum; aut unum sicuti aliquod.

*Tertia sententia.*

XVI. Dico 3. Tertia sententia est, veritatem, & falsitatem adæquate indentificari cum cognitione; objectum vero esse merum connotatum. Ita connotatores cum Averſa hic, Peñafiele de anima disp. 2. quest. 8. num. 3. Comptono disp. 44. log. sect. 3. num. 6. qui pro se assert Divum Thomam, Suarez, & Arriagam, sed immerito. Quod autem ipse Comptonus sit connotator; constat sect. citata n. 11. Contra hanc est, quia implicant hujusmodi connotata, ut ab adversariis explicantur, juxta ea, quæ dicta sunt de relatione disp. 10. art. 8. & seq. quia scilicet tolleretur de medio omne signum cognoscendi partes constitutivas.

*Quarta sententia.*

Dico 4. Quarta sententia est, veritatem, & falsitatem entitative sumptam, adæquate identificari cum cognitione; formaliter vero, seu denominative, ab illa inadæquate distingui, & includere etiam objectum: quod alii explicant dicendo, objectum non esse partem formæ, denominantis cognitionem veram; sed esse partem ipsius denominationis. Ita formalistæ, qui pro se afferunt Suarez. Contra hanc est, quod contra eosdem autores, dictum est in relatione disp. 10. art. 8. & seq.

*Quinta sententia.*

XVII. Dico 5. Quinta sententia est, veritatem, & falsitatem adæquate identificari cum cognitione; nec ullo prorsus modo,

do, ne ut a connotato quidem, dependere ab objecto constitutive: asserit enim, quanlibet cognitionem sive in materia contingente, sive in materia necessaria, aut impossibili, esse essentialiter veram, aut falsam, ex suis intrinsicis; itaque implicare, ut eliciatur cognitio, A, de cursu Petri, quæ est essentialiter vera, ex intrinsicis suis; nisi objectum ita se habet, sicuti per illam, repræsentatur, scilicet, nisi currente Petro; implicare, ut eliciatur cognitio, B, de cursu Petri, quæ est essentialiter falsa, nisi Petro non currente. Ita Hurtadus, *disp. 5. metaph. sect. 4. & 5.* Contra hanc est primo, quia, licet propositiones, in materia necessaria, aut impossibili, sint essentialiter connexæ cum veritate: implicat enim, Deum non esse, v. g. aut chimeram existere: adeoque implicat, poni cognitionem, negantem, quod Deus existat, & illam non esse falsam: sicut etiam implicat, poni cognitionem, negantem, quod chimera existat, & illam non esse veram: vel viceversa; quod autem ita etiam se habeant propositiones in materia contingente, non satis constat: quia hæc propositio: Petrus currit, est indifferens, ut ponatur, currente Petro, vel non currente; adeoque, ut sit vera, vel falsa: & oppositum omnino gratis assumitur. Enimvero, ut alibi sæpissime dictum est, etiam in theologia, non sunt defacto ponendæ connexiones, aut oppositiones essentielles; nisi probentur: cum afferant repugnantias, secundum quid, etiam quoad divinam omnipotentiam absolutam, supernaturaliter operantem: atqui non probatur, quod defacto propositiones in materia contingenti sint essentialiter connexæ, aut oppositæ, in ordine ad essendum, cum tali, vel tali entitate, aut carentia, quam repræsentant: scilicet, quod sit repugnans, eas poni, etiam per divinam omnipotentiam, sine, vel cum tali entitate, aut carentia: ergo id non est temere præsumendum: esto non repugnent cognitiones, quæ talē habeant connexionem, aut oppositionem essentialem. Quod autem talem habeant connexionem, aut oppositionem cum suis objectis propositiones veræ, aut falsæ supradictæ, in materia necessaria, & impossibili; satis constat, juxta ea, quæ dicta sunt in *metaphysica*, ubi de possibile, & impossibile connexionem inter se, quoad possibilitatem, & impossibilitatem. Secundo, contra est, quia dato, & non concesso, quod propositiones omnes, etiam in materia contingente, sint ita connexæ cum veritate, aut falsitate; ut sunt propositiones in materia necessaria, aut impossibili: ut cognitiones divi-



*divinæ sunt essentialiter veræ* : & , in sententia communi , *actus fidei supernaturalis* ; adhuc illę non essent adęquate , & formaliter verę , independenter ab objecto , sed tantum inadęquate , & exactivę . Sic , si haberetur paries , essentialiter connexus cum albedine , idest cum accidente albificativo ; non ideo paries esset adęquate indentificatus cum albeitate , sed solum cum exigentia albedinis : ita creatura exigit essentialiter , ut cognoscatur a Deo ; nec ideo dicimus hoc , quod est , creaturam cognosci a Deo , identificari adęquate , & formaliter cum sola creatura , sed tantum exigentiam hujus cognitionis . Pręterea quęlibet creatura , exigit essentialiter , ut , si existat ; constituat binarium cum Deo : nec ideo sola creatura constituit adęquate tale binarium . Probatur : quia veritas adęquata , & formalis est , ex suo conceptu , conformitas propositionis cum objecto : sed adęquata , & formalis conformitas corruiť , alterutro pręcise , ex his extremis , deficiente : ergo importat utrunque . Videantur quę , cohęrenter ad hęc , dicta sunt *in theol. lib. 8.* de actibus bonis , aut malis , ex intrinsicis suis : ut enim ibi de honestate , & inhonestate ; ita hic , *proportionē servata* , discurrendum de veritate , ac falsitate : de quibus

## A R T I C U L U S VII.

An veritas , & falsitas suscipiant magis ,  
& minus .

XVIII. **D**ico 1. Veritas non suscipit magis , & minus , formaliter , & rigorose loquendo , sed consistit in indivisibili . Conclusio videtur fere certa , apud omnes , & probatur : non potest una propositio esse verior altera : ergo veritas formaliter , & rigorose non suscipit magis , & minus . Antecedens probatur : veritas est conformitas cognitionis cum objecto : sed non potest una cognitio esse magis conformis objecto ; quam alia : ergo non potest una propositio esse verior altera . Minor probatur : objectum vel est , vel non est , sicuti per propositionem enunciatur (namque , inter esse , & non esse , non datur medium) jam , si objectum ita est ; propositio conformatur objecto : si objectum ita non est ; propositio non conformatur objecto : ergo conformitas consistit in indivisibili : nec potest una propositio esse

esse

*Ant. Forti.*

esse magis conformis objecto ; quam alia : sicuti non potest , ex duabus lineis omnino rectis , una esse magis recta ; quam alia : nec ex duabus lineis , uni tertiæ æqualibus , una esse æqualior altera , in eadem ratione : nec , ex duobus punctis indivisibilibus , si darentur ; posset unum majus altero reperiri .

Dico 2. Difficilius est decidere , an falsitas suscipere possit magis , vel minus . Jam habetur varietas opinionum inter Doctores , sed , ni fallor , possunt facile conciliari : si dicamus , falsitatem , sive illa sit de objecto indivisibili , sive de objecto divisibili ; formaliter , & rigoroſe loquendo , non suscipere magis , & minus ; suscipere tamen materialiter . Ita Comptonus *disp.* 45. *log. sect.* 6. *num.* 8. Probatur assertio , quoad primam partem , propositio est falsa , quia objectum non est , sicuti per ipsam repræsentatur : atqui non esse non suscipit magis , & minus : ergo falsitas formaliter , & rigoroſe non suscipit magis , & minus . Minor probatur : tam enim Deus , v. g. non est lapis ; quam non sit angelus : tam duo non sunt tria ; quam duo non sint centum : tam enim impossibile est , Deum esse lapidem ; quam esse angelum , puta identice : tam impossibile est , duo esse tria , quam esse centum : tam necessaria est carentia identitatis , inter Deum , & lapidem ; quam inter Deum , & angelum : tam inter duo , & tria ; quam inter duo , & centum .

Dico 3. Quoad secundam partem , probatur assertio : quia materialiter magis accedere videtur ad veritatem , qui dicit , nonaginta esse centum ; quam qui dicit , duo esse centum : sicut etiam una est minus inæqualis septem palmis , quam uni palmo : & , in hoc sensu , philosophus 4. *metaph. cap.* 4. explicandus est , ubi docet : *nec eodem modo mentitus est , qui quatuor , putat , esse quinque , & qui mille : puta , diverso modo , extensive , & materialiter .*

## A R T I C U L U S VIII.

An eadem propositio possit esse vera simul , & falsa .

XIX. **D**ico 1. Eadem propositio , quoad idem objectum , non potest simul esse vera , & falsa . Assertio probatur : propositio est vera , vel falsa , ex eo , quia objectum est , vel non est , sicuti per ipsam repræsentatur : atqui objectum non potest simul esse , & non esse , sicuti per propositionem repræsentatur .

*Phil. Neg. Log.*

B b b

et

ergo propositio non potest esse vera simul, & falsa, quoad idem objectum. Immo

Dico 2. Nec respectu diversorum objectorum: scilicet eadem omnino propositio non potest esse simul vera, & falsa; etiam si habeat objecta diversa. Assertio probatur: quia propositio illa, quam adversarii contendunt, cum Comptono hic *sect. 5.* esse veram simul, & falsam, v. g. *Petrus currit, Paulus dormit*, tendens, ut ajunt, disparate, & æquivalens duabus; vel est copulativa, vel disjunctiva: si primū; si Petrus currat, sed Paulus nō dormiat: vel e converso; tota erit falsa: nam, ad falsificationem propositionis copulativæ, sufficit, ut diximus in summulis, si pars una falsificetur: illa enim affirmat totum complexum: & parum refert, si modus tendendi sit virtualiter divisibilis, & disparatus, vel indivisibilis: aliter dicam, propositionem universalem, v. g. *omnis homo currit*, esse veram simul, & falsam, aliquibus hominibus non currentibus, dummodo aliquis currat.

Si secundum; propositio est vera: quia, ad veritatem propositionis disjunctivæ, sufficit, immo, in toto rigore loquendo, juxta sententiam veterum, necessario requiritur, quod una pars disjuncti. nō sit: ut etiā in summulis dictum est *disp. 2. n. 11. & 12.*

XX: Dico 3. Qui affirmant, eandem propositionem esse posse conformem uni objecto, disformem alteri, ideoque veram simul, & falsam; fortasse nobiscum in re sentiunt, discrepant tantum in voce: & solum contendunt, propositionem illam non ab utroque, sed ab alterutro ex objectis totam falsificari. Sic volitio, qua Petrus libere vult simul abstinere a carnibus, die veneris, & non abstinere, die sabbati; tota est peccaminosa: licet non ex utroque capite dehonestetur.

Dico 4. Non importune notandum hoc loco, propositiones illas, quæ vulgo dicuntur propositiones seipsas falsificantes, v. g. *ego nunc dico falsum*, quæ supra nullam aliam propositionem reflectat; proprie propositiones non esse, humano modo prolatas, sed vocalem combinationem terminorum nugatoriā, propositioni similem: sicuti homo pictus non est vere, & absolute homo. Ratio est, quia intellectus non potest in eodem instanti, de eodem objecto, eodem modo cognito, perceptis terminis, dicere, quod sit, & non sit: sed in casu posito, intellectus simul enunciaret de seipso, quod diceret falsum, & non diceret falsum: ergo hæ, & hujusmodi propositiones non possunt, humano modo, pro-

proferri. Major hujus syllogismi est certa : quia nequit intellectus negare, quæ sunt lumine naturæ nota ; si percipiat terminos : lumine autem naturæ notum est , quod idem non possit simul esse , & non esse . Minor ejusdem syllogismi probatur : siquidem intellectus dicens : *ego nunc dico falsum* ; affirmaret, falsitatem esse ; & negaret, falsitatem esse in eadem propositione ; adeoque enunciaret, idem simul esse , & non esse : enunciaret, falsitatem esse , quia diceret , propositionem esse falsam ; enunciaret falsitatem non esse , quia diceret , quod verum enunciaret , dicendo, propositionem esse falsam ; adeoque seipsum illuderet .

# ARTICULUS IX.

An propositio vera possit transire in falsam , aut falsa in veram.

XXI. **D**ico 1. Propositio, in materia necessaria, vel in materia impossibili, nequit de vera mutari in falsam, vel de falsa in veram. Conclusio est certa, & probatur : quia objectum necessarium, vel impossibile, est objectum omnino immutabile ; nec potest aliter se habere, ac antea : sed, ad hoc, ut propositio de tali objecto mutaretur de vera in falsam, vel e converso ; oporteret mutari objectum : ergo propositio, in materia necessaria, vel impossibili, non potest transire de vera in falsam, vel de falsa in veram. Major non indiget probatione. Minor probatur : nam, si objectum remanet, ut erat antea ; propositio remanebit semper ipsi objecto conformis , aut difformis ; adeoque vera , vel falsa , ut antea.

Dico 2. Propositio, in materia contingente, si significet objectum pro aliquo tempore determinato, v. g. *Petrus nunc scribit* ; non potest transire de vera in falsam, vel de falsa in veram. Hæc conclusio item videtur certa, & probatur. Supponamus, Petrum nunc scribere, tum sic : hæc propositio, Petrus nunc scribit ; est vera , quia Petrus nunc scribit : esset falsa ; si Petrus nunc non scriberet : atqui, ex suppositione, quod Petrus nunc scribat, implicat, illum nunc simul non scribere , vel contra : ergo implicat, quod hæc propositio, *Petrus nunc scribit*, ex suppositione, quod nunc vera sit ; transeat in falsam , vel viceversa. Eodem modo philo-

sophandum de aliis propositionibus similibus. Minor non indiget ulteriore probatione: implicat enim, rem simul esse, & non esse: & factum infectum fieri neutiquam potest.

XXII. Dico 3. Propositio, in materia contingente, significans objectum absque ulla temporis determinatione, v. g. qua dicitur: *Petrus currit*; nec potest transire de vera in falsam, vel de falsa in veram: ex suppositione, quod propositio sit, ex intrinsicis suis, repræsentatio, & imago. Conclusio est communis: pro ea pugnant Hurtadus, Oyiedus, Arriaga, Giattinus, Comptonus, Aversa Pontius, & alii apud ipsos: nec non recentiores quamplurimi contra Suarez, Rubium, Amicum, Bonasphem, Mastrium, Semeri, Polizzium, & alios. Probatur: ut sit vera hæc propositio indeterminata: *Petrus currit*; sufficit, quod cursus Petri sit, pro aliquo tempore, quodcunque illud sit: utque eadem propositio sit falsa, requiritur, quod pro nullo tempore sit cursus Petri: atqui, ex suppositione, quod cursus Petri sit pro aliquo tempore; implicat, quod simul in nullo tempore sit: vel, contra, ex suppositione, quod cursus Petri, pro nullo tempore existat; implicat, quod simul, pro aliquo tempore, existat: ergo, ex suppositione, quod hæc propositio: *Petrus currit*; semel fuerit vera; implicat, mutari in falsam: vel contra. Atque idem de similibus propositionibus. Major probatur: quia propositio, in materia contingente, significat rem existentem, vel non existentem: sed res contingens nequit esse existens: nisi (saltem fundamentaliter) pro aliquo tempore: sique non est existens; illa pro nullo tempore est, ne quidem fundamentaliter: ergo, ut sit vera hæc propositio indeterminata: *Petrus currit*; sufficit, quod cursus Petri sit pro aliquo tempore: utque eadem propositio sit falsa; requiritur, quod cursus Petri pro nullo tempore existat. Sicuti ad hoc, ut sit vera hæc propositio: *homo scribit*; sufficit, quod aliquis homo scribat, quicumque ille sit: utque eadem sit falsa; requiritur, quod nullus homo scribat: propositio enim indefinita, affirmativa, in materia contingente, æquivalet particulari: negativa universali, ut, ex summulis, tritum est.

Dico 4. Hactenus de propositione mentali: nam propositio vocalis, licet non possit mutari de vera in falsam: vel e converso, naturaliter; potest tamen miraculose. Probatur assertio, quoad primam partem: quia voces, cum sint successivæ; non possunt naturaliter eadem diutius conservari. Quoad secundam vero


vero partem probatur : quia , si Deus conservet miraculose has voces : *Petrus currit* , vel illas reproducat ; non est , cur illæ , currente Petro , non sint veræ : non currente , falsæ ; ex suppositione , quod sint omnino indifferentes ad hoc , vel illud tempus consignificandum : sicut sunt indifferentes , ex intrinsicis suis , ad hoc , vel illud objectum significandum , omnino ad placitum .

XXIII. Dico 5. Propositio scripta potest , etiam naturaliter , transire de vera in falsam : vel e converso . Probatur : quia hæ voces ita scriptæ : v. g. *Petrus nunc currit* ; possunt modo consignificare tempus , in quo Petrus currit ; modo tempus , in quo non currit : sicut , ex intrinsicis suis , sunt indifferentes , ut supponant pro uno , vel pro altero objecto : nec scriptura est quid , ex natura sua , successivum , & fluens : adeoque potest naturaliter conservari .

Dico 6. Dixi , assertionem tertiam , propositionem , in materia contingente , significantem objectum absque ulla temporis determinatione , puta ex parte actus , seu modi tendendi ; non posse transire de vera in falsam , vel de falsa in veram , ex suppositione , quod propositio sit , ex intrinsicis suis , representatio , & imago : quia , si supponatur propositio semiextrinsece talis , ita ut nunc possit esse representatio , & imago unius temporis , nunc representatio & imago alterius temporis ; ita ut nunc significet unum tempus , nunc alterum tempus ; non negaverim , posse excogitari casum , in quo transeat de vera in falsam , vel e converso . Verum , in hac hypothesis , non poterit ratione impugnari , qui asserat , cognitionem Petri , v. g. compleri ab extrinseco in esse talis ; & esse indifferentem ad significandum nunc Petrum , nunc Paulum : immo , qui asserat , rerum essentias compleri posse ab extrinseco , ita ut Petrus nunc sit homo , cras vero sit equus : quod non videtur asserendum : huiusmodi enim essentia , ut ita dicam , conditionata , quæ præcisè compleantur , & diversificentur a tempore , non sunt , præsertim defacto , ponendæ ; nisi , ex ipso met suo conceptu , tempus includant : ut hæc concreta , quæ sunt : Petrus hodie , Petrus cras ; domus recens , domus antiqua .

## A R T I C U L U S X.

Solvuntur objectiones .

XXIV.  Bicies 1. Cum Semeri disp. 5. log. quæst. 5. art. 2. dic , per horam integram : *Socrates sedet* : & ma-

maneat eadem cognitio: fac, in prima medietate horæ, Socratem sedere, in secunda, non sedere; in tali casu, illa propositio, per primam medietatem horæ, est vera, per secundam, est falsa: ergo potest cognitio, in materia contingente, transire de vera in falsam.

Respondeo, dato casu, nego secundam partem antecedentis. Propositio, in hypothese, de qua loquimur, est repræsentatio, & imago sui objecti: sicuti actio modalis possibilis, est essentialis positio sui termini; & unio modalis possibilis, est essentialis nexus suorum extremorum: ergo non potest mutare suum objectum: sicuti actio, & unio modales non possunt variare terminos suos: ergo, si propositio est repræsentatio sessionis Petri, in prima medietate horæ; illam semper repræsentabit: adeoque semper erit vera, etiam si duret in æternum: nam, ex suppositione, quod Petrus sederit, in prima medietate horæ; implicat, quod non sederit in eadem horæ medietate. Unde, si prophetia Isaïæ cap. 7. v. 14. qua prædixit: *ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: nunc perseveraret; adhuc verissima esset: quia objectum, ab illa affirmatum, fuit conceptus, & partus Virginis, post primam ipsius prophetiæ durationem. Si autem propositio est repræsentatio sessionis Socratis, tum per primam, tum per secundam medietatem horæ; semper utranque medietatem horæ consignificabit: adeoque etiam in prima medietate fuit falsa.

Obicies 2. Propositio licet non possit mutare objectum, quod per se significatur; potest tamen mutare objectum, quod per accidens ab illa exprimitur: atqui prædictæ propositionis objectum per se est sessio Socratis; objectum per accidens est tempus diversum: ergo potest prædicta propositio nunc significare sessionem Socratis pro prima medietate horæ, nunc vero pro secunda: & sic prius esse vera, deinde falsa.

Respondeo, tam maiorem, quam minorem negandam esse, tanquam de subiecto non supponente: adeoque consequentiam esse nullam. Cognitio enim, cum sit essentialiter hæc, aut illa repræsentatio huius, aut illius objecti: sicuti actio, & unio, respectu suorum terminorum; fit, ut quidquid repræsentat, & significat, per se repræsentet, & significet: sicut se habet actio, & unio, respectu suorum terminorum, in linea sua: adeoque non datur respectu cognitionis objectum per se, & objectum per accidens, in sensu, quem adversarii contendunt.

XXV. Ob-

XXV. Objicies 3. Hæc propositio : *homo existens in atrio dormit*; per se significat rationem hominis, existentis in atrio: & hoc objectum semper invariante repræsentat : per accidens significat modo hunc , modo illum hominem : & hoc objectum mutare potest : modo enim repræsentat Petrum , qui existit in atrio : modo Paulum : ergo propositio potest transire de vera in falsam , modo prædicto .

Respondeo , nego antecedens . Propositio idem objectum formaliter semper invariante significat , idem semper invariante repræsentat : omnes scilicet homines, existentes in atrio, pro quacunque differentia temporis: & ex suo modo tendendi, est talis, ut, ad ejus verificationem non requirat hunc , vel illum hominem determinatum : unde est , ut objectum materialiter mutare dicatur, seu verificativum materiale , ut alii loquuntur , non autem formale : quatenus semper verificatur, per omnes, non simul , sed vage, in atrio existentes, & dormientes : quæ quidem propositio, si nemo unquam existat in atrio; est de subiecto non supponente: illius enim sensus est : vel Petrus , vel Paulus , vel Marcellus ( & sic de singulis) est in atrio, & dormit : quandoquidem non datur individuum vagum a parte rei, aut ratio hominis præcisa ab hoc, vel illo , aut alio in particulari ; licet detur ex parte actus , ut, suo loco, probavimus : si vero aliquis existens in atrio , non dormiat ; propositio absolute falsificatur , ut constat ex dictis *art. præced.*

Objicies 4. Potest propositio nunc consignificare unum instans , modo aliud: ergo potest propositio modo significare unum objectum , modo aliud . Antecedens probatur : nam propositio enuncians : *Petrus currit, pro instanti, mihi coexistenti*; si perseveret ; modo significat primum , modo secundum , modo tertium instans.

Respondeo , nego antecedens : ad ejus probationem , nego iterum antecedens : & contra sic argumentor : hujus propositionis sensus , vel est : Petrum currere in omni instanti, de quo verificabitur coexistere sibi ; vel non de omni , sed de aliquo duntaxat : si primum ; propositio semper consignificat omnia instantia, sibi correspondentia : si secundum ; rursus peto : vel sensus est de aliquo instanti determinato , vel non : si primum ; propositio semper significat hoc instans determinatum : si secundum ; semper



per significat omnia instantia, sed modo quodam disjunctivo virtualiter : adeout, ad illam verificandam, sufficiat, Petrum currere, etiam pro uno ex instantibus, de quibus verificabitur, quod tali cognitioni coexistat : itaque semper erit vera, vel semper falsa.

XXVI. Objicies 5. Hæc propositio : *ego nunc incipio loqui* ; est vera, in primo instanti locutionis : est falsa in sequentibus. Hæc alia propositio : *ego nunc finio loqui* ; est vera, in ultimo instanti locutionis : fuit falsa in aliis instantibus : ergo eadem propositio potest transire de vera in falsam : vel e converso.

Respondeo, nego antecedens : & contra sic argumentor : prima propositio, vel significat, me incipere loqui, solum in primo instanti locutionis, in sensu accommo : vel, me incipere loqui, etiam in reliquis instantibus : si primum ; semper est vera : si secundum ; semper est falsa. Idem, proportionem servata, sed viceversa, dicendum de secunda propositione.

Objicies 6. Si nulla propositio posset transire de vera in falsam, vel e converso ; sequeretur, quod quælibet propositio esset necessario, & essentialiter vera, aut falsa ; nulla per accidens, & contingenter talis : consequens est falsum : ergo & antecedens.

Respondeo, nego majorem. Nam eadem numero propositio, in materia contingenti, significans cursum Petri, pro instanti, A ; fuit indifferens, ut poneretur, existente cursu Petri, vel cursu Petri non existente : eodem modo, quo idem cursus Petri fuit indifferens ad existendum, & non existendum : utque deinde idem cursus Petri, ex suppositione, quod contingenter fuit, pro instanti, A ; non potuit non esse, pro eodem instanti : ita propositio, affirmans talem cursum, existentem pro instanti, A, ex suppositione, quod fuit semel contingenter vera ; non potest transire in falsam.

XXVII. Objicies 7. Aristoteles *cap. de substantia* dicere videtur, propositionem suscipere posse contraria, per mutationem veræ in falsam : vel e converso : sicuti substantia potest suscipere contraria, per mutationem, v. g. calidæ in frigidam : ergo nostra sententia opponitur doctrinæ aristotelicæ.

Respondeo, nego consequentiam : & dico, vel Aristotelem, loco citato, id non docere, sed mere permittere, ut aliqui respondent : asserere nihilominus, quod, etiam hoc dato, habeatur tamen diversitas in eo, quod, licet tum propositio, tum substantia suscipere possit contraria, & mutari ; substantia tamen per  
*Ant. Forti.* sui

*Sui mutationem intrinsecam : cognitio absque ulla sui mutatione intrinseca , præcise per mutationem , aut variationem objecti . Vel secundo , cum aliis , Aristotelem loqui de propositione in specie , & ex parte actus considerata : quatenus scilicet est indifferens propositio in communi , ut dividatur in veram , & falsam . Vel tertio , cum aliis , Aristotelem docere propositionem , in materia contingente , suscipere posse contraria : quatenus est omnino indifferens , ut sit vera , vel falsa : non autem quatenus , habita semel veritate , aut falsitate , possit illam exuere , quantumvis in materia contingente : in qua examinabit*

A R T I C U L U S XI.

An propositio de futuro , aut non futuro contingenti , possit esse determinate vera , vel determinate falsa.

XXVIII. **D**ico 1. Status quæstionis est , an propositiones de objectis contingenter futuris sint determinate veræ , vel falsæ . Quod enim propositiones de futuris necessariis , aut impossibilibus sint determinate veræ , vel falsæ ; non controvertitur . Sicut enim omnino determinatum est , quod Deus , utpote ens necessarium , in æternum erit ; ita nunc determinate verissima est illa propositio : Deus in æternum erit : sicut determinate falsa propositio contradictoria : nimirum , Deus cras , aut in æternum , non erit : sicut etiam , ut omnino determinatum est , quod chimera , utpote ens impossibile , cras , & in æternum non erit ; ita nunc determinate vera est illa propositio : chimera cras , & in æternum , non erit : & determinate falsa propositio contradictoria , nimirum , chimera eras , aut in æternum , erit . Est autem quæstio , utrum propositiones de futuro contingente sint determinate veræ , vel falsæ in se , quanvis non quoad nos : nam certum est , a nobis non cognosci determinate omnia futura contingentia : quin immo neque cognosci determinate ab angelis , si huiusmodi futura sint secreta cordium , quæ solum determinate cognoscuntur a Deo , qui dicitur scrutator cordium : & , in hoc sensu , dicitur vulgo , quod de futuris contingentibus non detur determinata veritas , scilicet quoad nos . Juxta quem sensum explicant communiter illud ex sacris literis *Isai. c. 41. v. 23. annūciata*,

*Phil. Neg. Log.*

C c c c

*quæ*

que ventura sunt, & dicemus, quia dii estis vos, juxta ea, quæ dicta sunt in theol. lib. 2. de angelis. Quibus præmissis,

Dico 2. Quælibet propositio est determinate vera, vel falsa. Probatur: quælibet propositio habet suam contradictoriam: atqui, ex duabus propositionibus contradictoriis, una est determinate vera, altera determinate falsa: ergo quælibet propositio vel est determinate vera, vel est falsa. Major non videtur negabilis: nec ulla assignari potest propositio, quæ alteri non opponatur contradictorie. Minor constat ex summulis, & probatur: quia propositio est vera, vel falsa, ex eo, quia res est, vel non est; fuit, vel non fuit; erit, vel non erit, sicut ab illa repræsentatur, & enunciatur: atqui res in se, determinate est, vel determinate non est; fuit, vel non fuit; erit, vel non erit, sicut a propositione repræsentatur, & enunciatur: ergo quælibet cognitio vel est vera, & tunc ejus contradictoria est falsa: vel est falsa, & tunc ejus contradictoria est vera: adeoque, ex duabus propositionibus contradictoriis, una est vera, altera falsa, & quidem determinate.

XXIX. Dico 3. Quælibet propositio de futuro contingenti, sive absolute illud sit, sive conditionatum; sive liberum, sive non liberum, est determinate vera, vel determinate falsa. Est sententia communissima, apud doctores, præsertim nostræ Societatis: fuit etiam communis apud antiquos, ut videre est, apud Comimbricenses in cap. 8. de futuris contingentibus quæst. unica art. 4. Eam tenent, ex professo, Suarez, Vasquez, Arrubal, Tannerus, Hurtadus, Arriaga, Oviedus, Herice, qui duos, & viginti auctores, ex aliis etiam scholis, adducit, quos inter recensendus Alensis, D. Bonaventura, Scotus, Okamus, Gabriel, & ex thomistis, Zumel, & Alvarez, apud Comptonum in logica disp. 46. sect. 10. num. 4. Pro opposita sententia stare videntur Aureolus, Bassolis, Catarinus, quos inter refertur etiam Agidius, aliique. Conclusio, præterquâquod sufficienter primo, constare potest ex super. assert. secundo, probatur: quia, supposito, quod Petrus nunc peccet; nunc, ex his duabus propositionibus contradictoriis: *Petrus nunc peccat*; *Petrus nunc non peccat*; affirmativa, est determinate vera, quia conformis objecto: negativa est determinate falsa, quia disformis objecto: ergo, heri, ex his duabus propositionibus contradictoriis: *Petrus cras peccabit*; *Petrus cras non peccabit*; affirmativa, erat determinate vera; negativa

tiva determinate falsa : ob eandem rationem ; sicut *cras*, etiam per ipsos adversarios, ex his duabus propositionibus contradictoriis : *Petrus heri peccavit* : *Petrus heri non peccavit* ; affirmativa, erit determinate vera ; negativa, determinate falsa . Antecedens non videtur posse negari . Consequentia probatur : ideo nunc hæc propositio affirmativa *Petrus hodie peccat* ; est vera ; ejusque contradictoria falsa ; quia peccatum Petri hodie, seu nunc, actu est existens : sed heri peccatum Petri erat futurum pro hodie ; sicuti *cras* erit præteritum : ergo, si, ex his duabus propositionibus contradictoriis : *Petrus nunc peccat* ; *Petrus nunc non peccat* : una est determinate vera ; altera falsa ; idem dicendum etiam de illis propositionibus inter se contradictoriis, heri pronunciatis : *Petrus cras peccabit* : *Petrus cras non peccabit* ; sicut de illis etiam pronunciandis *cras* : *Petrus heri peccavit* : *Petrus heri non peccavit* . Major videtur certa : neque enim assignari potest alia causalis : Minor probatur : id, quod nunc, seu hodie, est præsens, licet contingenter ; heri erat futurum pro hodie, licet contingenter : eo modo, quod nunc est actu existens, & *cras* erit præteritum : atqui nunc, seu hodie est præsens, seu actu existens determinate, determinatione consequente, licet contingenter, peccatum Petri : ergo idem heri erat determinate futurum pro hodie, determinatione consequente, & contingenter : sicut *cras* erit, eodem modo, præteritum.

XXX. Dico 4. Licet contingens sit, cuilibet ex propositionibus contradictoriis, esse veram, aut falsam, in materia contingenti ; quod tamen, ex illis, una sit vera, altera falsa, quæcunque illa sit ; necessarium est . Assertio, quæ satis constare potest ex dictis, probatur : quoad primam partem : siquidem nunc Petrus contingenter peccat, ita ut possit non peccare : ergo hæc propositio affirmativa : *Petrus nunc peccat* ; est contingenter vera ; ita ut eadem posset esse falsa : si scilicet Petrus nunc non peccaret : & tunc ejus contradictoria esset vera : ergo heri hæc propositio : *Petrus cras peccabit* ; fuit contingenter vera, sicut *cras* erit contingenter vera illa propositio : *Petrus heri peccavit* . Eodem modo discurrendum esset de veritate propositionis negativæ ; si Petrus nunc non peccaret . Quoad secundam partem, probatur etiam assertio : licet quodlibet, ex duobus contradictoriis objectivis, possit esse, aut non esse ; si sint contingentia : adeoque peccatum Petri contingenter sit, cum est, contingenter non sit, cum non est ; tamen

hoc disjunctum, scilicet, quod peccatum sit, vel non sit; necessarium est: ergo, quod, ex duabus propositionibus contradictoriis, una sit vera, altera falsa, quaecumque illa sit, necessarium est. Antecedens probatur: implicat enim, quod aut utrumque, aut neutrum contradictorium existat: scilicet, ut idem simul sit, & non sit; vel neque sit, neque non sit; nam quodlibet vel est, vel non est: ergo necessarium est, ut unum ex illis existat, & alterum non existat, quodcumque illud sit.

Dico 5. Posset, pro nostra conclusione, ita construi argumentum: datur de futuro necessario determinata veritas: ergo & de futuro contingente: sicut enim implicat, non esse futurum absolute id, quod absolute, & necessario erit; ita implicat, non esse alterutram ex partibus disjuncti contradictoriorum: sed, ex illis, quaecumque existat, licet determinate, determinatione consequente, verificat determinate unam ex propositionibus contradictoriis, alteram falsificat: ergo, si datur de futuro necessario determinata veritas, determinatione antecedente, & absoluta; datur etiam de futuro contingente determinata veritas, licet determinatione consequente, & hypothetica, ut, ex infra dicendis, melius explicabitur. Interim, ad huius articuli complementum,

XXXI. Dico 6. Adversarii, ni fallor, non negant, dari de futuris contingentibus determinatam veritatem, aut falsitatem: negant, dari huiusmodi veritatem, aut falsitatem, independentem a decreto divino: ultro enim concedunt, quod futurum contingens sit determinate futurum; aut non ante decretum Dei, sed post decretum de ponendo uno, vel altero contradictorio: cum enim, inquit, futurum contingens sit omnino indifferens ad existendum, vel non existendum; ut determinetur potius ad existendum, quam ad non existendum, opus est divino decreto, determinante ad unum, & tollente prædictam indifferentiam. Unde Deus ipse, ante suum decretum, non potest determinate videre, utrum Petrus cras libere peccabit, vel non peccabit; utrum cras Petrus libere amabit, vel non amabit: quia, in tali signo, id est ante decretum Dei, determinans ad unum permissive, aut approbative; eventus adhuc intelligitur ambiguis, pendulus, & suspensus, cum sit indifferens: videt autem id Deus post suum decretum efficax permissivum, seu approbativum, & cum enim videat, se ab æterno habuisse decretum efficax permissivum de peccato Petri pro hodie; cognoscit, quod

pec-

peccatum Petri pro hodie erit determinate futurum : cumque videat , se ab æterno habuisse decretum efficax approbativum , seu intentivum de actu charitatis ejusdem Petri pro hodie ; cognoscit , quod actus amoris pro hodie erit determinate futurus .

Sed contra hunc modum philosophandi adversariorum est , quia hujusmodi decretum , vel est indifferens , vel prædeterminans ad unum : si primum ; eadem est difficultas de decreto ipso , deque eventu , post decretum considerato : nam hoc decretum , cum sit indifferens , non tollit indifferentiam , & indeterminationem , ipsius eventus contingentur futuri : adeoque adhuc post hoc decretum , eventus contingens remanet ambiguus , pendulus , & suspensus : ergo nondum determinate futurus . Si secundum , contra est : quia vel sermo est de eventibus contingentibus liberis , vel de non liberis : si de liberis ; implicat decretum prædeterminans ad unum , quia tolleret libertatem : cum immutaret principia immediata , id est actum primum proximum libertatis : quæ importat potentiam in actu primo proximo , ita indifferentem , ad utrunlibet ; ut , positis omnibus immediate præviis prioritate naturæ , possit potentia indifferenter ponere utrunlibet , scilicet operari , vel non operari : adeoque non poterit eventus , contingens liber , esse determinate futurus post decretum , & cognosci a Deo determinate futurus in præexplicato decreto : ergo , si cognoscitur a Deo , ut determinate futurus , quod ipsi adversarii concedunt ; cognoscitur determinate futurus in se ipso , modo a nobis supra explicato .

Si sermo sit de eventibus non liberis ; contra est : quia , si potest eventus , contingens liber , esse , & cognosci , a Deo determinate futurus in se ; poterit etiam eventus , contingens non liber : cum militet identitas rationis .

XXXII. Breviter , a primo ad ultimum : futura contingentia vel non habent determinatam veritatem in seipsis , unde determinate cognosci possint a Deo , primo , præcise , quia sunt quid liberum contingens , indifferens ad existendum , aut non existendum : vel secundo , præcise , quia actu non existunt : vel tertio , indivisibiliter , ex utroque capite : vel quarto , præcise , quia sunt futuras : vel quinto , indivisibiliter , ex omnibus prædictis capitibus : vel sexto , ex alio capite . Non primum ; quia aliter nec posset cognosci actus liber creaturæ actu existens : immo nec ipsam decretum

tum Dei, secundū id, quod dicit de libero, de contingenti, de indifferenti, de relativo ad extra, quomocunque distinguatur ab esse Dei absoluto, & necessario: si enim hæc, quantumvis indifferentia, cognosci nihilominus possunt certe, determinate, & infallibiliter; quare non futura, quantumvis contingentia, libera, indifferentia? Non secundum; quia aliter nec cognosci determinate poterunt in seipsis præterita contingentia, aut etiam præterita, & necessario futura, quæ actu nondum existunt: adeoque non tertium, ut constat ex dictis. Nec quartum; quia aliter nec necessario futura cognosci in seipsis possent determinare. Itaque nec quintum, ut constat ex dictis: quod quidem esset petitio principii manifesta. Non sextum; quia non est assignabile. Sed hæc logicis innuisse sit satis: de hac materia fufius dictum est in *theol. lib. 1. de Deo*, ubi de scientia contingentium, non solum ex ratione intrinseca, verum etiam, ex scripturis, & Patribus.

## A R T I C U L U S XII.

Solvuntur objectiones.

XXXIII. **O**bjicies 1. Objectum futurum contingens non habet determinatam existentiam: ergo nec determinatam veritatem objectivam: ergo propositio, circa ipsum, nunc non habet determinatam veritatem, aut falsitatem.

Resp. distinguo antecedens: futurum cōtingens non habet existentiam determinatam in causa, transeat; determinatam in se, subdistinguo: actualem, concedo; futuram, nego antecedens: & distinguo eodem modo consequens &c. Hoc nihil aliud importat, nisi quod causa libere, vel saltem contingenter. ponet aliquod determinatum, quod nunc non est.

Objicies 2. Si hæc propositio: *Petrus cras peccabit*, nunc sit determinate vera; ergo Petrus cras determinate peccabit: ergo non poterit non peccare: quod est absurdum, contra humanam libertatem.

Respondeo, nego secundam consequentiam: & contra sic argumentor: Petrus nunc determinate hic sedet; nec tamen ideo sedet hic necessario, sed omnino libere: potuisset enim, pro suo arbitrio, hic non sedere: ergo eodem modo discurrendum de peccato ejusdem crastino, salva omnimoda libertate.

Ob-

**Objicies 3.** Peccatum Petri, crasnum, est nunc determinate futurum: ergo Petrus cras absolute necessario peccabit: ergo non peccabit.

**Respondeo**, distingo antecedens: determinatione consequente, concedo; determinatione antecedente, nego antecedens, & consequentiam. Petrus cras peccabit, non quia erit antecedenter determinatus ab aliqua causa, & consequenter absolute, necessitatus ad peccandum (aliter non peccaret: non enim est peccatum, ubi non est libertas) sed peccabit, quia ipse se libere determinabit ad peccandum: &, ex suppositione, quod peccabit; necessario peccabit, necessitate consequente, & hypothetica, idest conditionata: quandoquidem, ex suppositione, quod peccatum, craserit; non poterit, pro eodem tempore, esse carentia peccati, in sensu composito cum peccato: idem enim non potest simul esse, & non esse: atque hoc est, peccatum Petri esse futurum necessario, necessitate consequente. In quo sensu Petrus nunc necessario hic sedet, vel peccat: quia, ex suppositione, quod hic sedeat, vel peccet; implicat non sedere, non peccare, in sensu composito cum sessione, peccato, ad quod se libere determinavit. Verum hæc non dicitur absolute, & simpliciter necessitas, sed libertas. Quæ divisio necessitatis absolute, & simpliciter antecedentis, quæ dicitur necessitas sine addito, & tollit libertatem; & necessitatis secundum quid, seu consequentis, & hypotheticæ, quam facit ipse actus liber in ordine ad se; quæque non destruit libertatem, cujus est exercitium; non gratis a nobis confingitur: cum sit doctrina Ss. PP. præsertim D. Thomæ, D. Anselmi, Boetii, & omnium communiter theologorū, ut sæpe dictum est in theol.

**XXXIV. Objicies 4.** Petrus, etiam dum peccat, potest peccare, & nō peccare: ergo dum peccaturus est, potest esse, & non esse peccaturus: ergo ejus peccatum non est determinate futurum.

**Respondeo**, distingo antecedens: potest peccare, & non peccare, simulate potentiæ, concedo; potentia simultatis, nego antecedens: & eodem modo, distingo primum consequens: simulate potentiæ, concedo: potentia simultatis, nego primam, & secundā consequentiam. Vel, claritatis gratia, distingo secundum consequens: non est determinate futurum, determinatione antecedente, concedo; determinatione consequente, nego consequentiam: Petrus, dum se formaliter determinat ad peccandū; po-



test se determinare ad non peccandum ; & quidem per eandem potentiam omnino liberam, adeoque indifferentem ad utrunlibet : & hoc est, Petrum habere simultatē potentiae , idest habere simul potentiā indifferentem ad utrunlibet sub disjunctione: nunquam tamen Petrus habet potentiam ad componendū simul peccatum, & carentiam peccati : & hoc est, Petrum non habere potentiam simultatis , seu ad utrunque, in sensu composito , idest simul , ponendum .

Objicies 5. Si propositio, de futuro libero, esset nunc determinate vera, vel determinata falsa, v. g. quod Petrus cras peccabit ; Deus certo prævideret nunc, quod Petrus cras peccabit : atqui, si Deus id certo nunc prævideret; læderetur humana libertas : ergo . Minor probatur : quandoquidem præscientia Dei est infallibilis : ergo Deus, prævidens Petrum cras peccaturum, falli non potest : ergo Petrus cras absolute necessario peccabit : adeoque non libere peccabit : quin peccabit , & non peccabit : quia, ubi libertas non est, non est locus peccato .

Respondeo huic argumento , ob quod Aristoteles, quem secutus est Marcus Tullius , negavit , Deum ab æterno cognovisse actus liberos creaturarum futuros : quēque reprehendens Divus Augustinus lib. 5. de civitate Dei cap. 9. inquit , *ut homines faceret liberos , fecit sacrilegos* , idest de scientia Dei impie opinantes ; nego minorem : ad cujus probationem, nego secundam consequentiam , & quidquid inde infertur : *necessitas enim hæc , est necessitas consequens ad actum liberum futurum, in se prævisum .*

XXXV. Objicies 6. Præscientia Dei , de peccato Petri, futuro, fuit ab æterno : ergo est aliquod absolute, & simpliciter antecedens ad peccatum Petri: ergo Petrus necessitaretur ad peccandum, necessitate antecedente; adeoque peccaret , & non peccaret : peccaret, ut supponitur ; non peccaret, quia non libere peccaret .

Respondeo , distinguo primum consequens : ergo præscientia Dei est aliquod absolute, & simpliciter antecedens, antecedentia temporis, seu potius æternitatis, concedo; antecedentia causalitatis, nego primam, & secundam consequentiam . Nam, ut notant communiter SS. Patres, præsertim Divus Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 4. *futura, non ideo sunt , quia a Deo præ-*  
*Ant. Forti.* *sciun-*

*Sciuntur* : sed ideo *præsciuntur* , quia *futura sunt* . Itaque non ideo Petrus nunc peccat , quia Deus id prævidit ab æterno : quādoquidem peccaret nunc Petrus , etiam si Deus ejus peccatum , per impossibile , non prævidisset : sicut non peccaret , si non peccaret ; sique nihilominus Deus , per impossibile , falso prævidisset futurum peccatum Petri : sed ideo Deus prævidit ab æterno , Petrum nunc peccaturum ; quia Petrus nunc vere peccat : & hinc dicitur , peccatum Petri antecedere , quasi causalitate quadam logica , scientiam Dei , non e converso : licet scientia Dei præcedat tempore , seu potius æternitate , ipsum peccatum . Unde sic tandem res universa resolvitur : Petrus nunc libere peccat : ergo , ex suppositione , quod libere peccet ; necessario necessitate consequente , seu potius infallibiliter infallibilitate consequente , libere peccat : cum non possit in eodem tempore peccatum simul esse , & non esse : ergo Deus ab æterno prævidit , Petrum libere nunc peccaturum : ergo , & præscientia Dei , ejusque infallibilitas , modo explicato , est quid consequens ad actum liberum ipsius Petri , secundum subsistendi consequentiam : adeoque libertatem non lædit . Jam divinæ præscientiæ cum humana libertate concordiam feliciter explicat Boetius lib. 5. de consol. philosoph. ubi sic habet : *sicut scientia præsentium nihil his , quæ fiunt ; ita præscientia futurorum nihil his , quæ ventura sunt , necessitatis importat . Unde non prævidentia , sed providentia potius dicatur , quod porro ab rebus infimis constituta , quasi , ab excelso rerum cacumine , cuncta prospiciat . Quid igitur postulas , ut necessaria fiant , quæ divino lumine lustrantur : cum , ne homines quidem , necessaria faciant esse , quæ videant ? num enim , quæ præsentia cernis , aliquam eis necessitatem tuas addit intuitus ?*

XXXVI. Obijcies 7. Petrus nunc non potest facere , ut non fuerit ab æterno præscientia de ejus peccato : sed , ex suppositione , quod fuerit talis præscientia , Petrus non potest non peccare : ergo Petrus nunc non potest non peccare : ergo non libere peccat : ergo peccat , & non peccat .

Respondeo , distinguo antecedens : Petrus non potest id facere , impotentia consequente , concedo : impotentia antecedente , nego majorem : & distinguo minorem : Petrus non potest non peccare , impotentia consequente , concedo ; impotentia antecedente , nego minorem : & distinguo primum consequens : ergo Petrus non potest non peccare absolute , nego : conditionate ,

Phil. Neg. Log.

D d d d

sub.

subdistinguo: & hæc est impotentia consequens, concedo; impotentia antecedens, nego primam, & secundam consequentiam. Petrus est liber ad peccandum; vel non peccandum, modo simpliciter explicato: sed, quia libere peccat; libere ipse est in causa, ut Deus præviderit ab æternis peccatum ejusdem. Potuisset quidem Petrus non peccare; adeoque potuisset facere in alia hypothesisi, ut non fuisset ab æterno præscientia Dei de peccato Petri, sed præscientia de carentia peccati: itaque potuisset Petrus, potentia absoluta, & antecedente, impedire præscientiam peccati; licet non possit illam impedire, potentia conditionata, & consequente. Verum hæc agitent ex professo theologi: & nos de his fufe diximus in *theol. lib. 1. de Deo*, ubi de sciencia contingentium, etiam liberorum.

Objicies 8. Objectum futurum, contingens, nunc non existit: ergo non potest denominare propositionem nunc veram.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam: ut enim pluries replicavimus; ut propositio nunc dicatur vera, vel falsa; non necesse est, quod ejus objectum existat, quin neque quod sit existibile: immo requiritur quandoque, ut ejus objectum non sit existens: ut in hac propositione, *Antichristus non est*: immo quandoque requiritur, ut objectum ne quidem sit existibile: ut in hac propositione, *chimæra non potest esse*.

Retorqueo deinde argumentum: objectum necessario futurum, nunc non existit. Objectum præteritum contingens nunc non existit: ergo neutrum potest denominare propositionem nunc veram.

XXXVII. Objicies 9. Non potest explicari, quid sit rerum non existentium futuritio, determinata in se: ergo non sunt determinate futuræ: ergo non datur de illis veritas determinata.

Respondeo, nego antecedens, & dico: quod, sicut futuritio rerum necessario futurarum consistit in earum actuali existentia necessaria, pro tempore futuro; ita futuritio rerum non existentium, sed contingenter futurarum, consistit in earum carentia actuali, & in earundem existentia pro tempore, pro quo de illis verificabitur, existunt: futuritio vero rerum nunc existentium, quantumvis etiam futurarum, non importat prædictam carentiam pro tempore præsentis, ut patet, ex ipsis terminis. Et proportionali modo discurremus communiter de rerum præteritione: independentem a carentiis quibusdam modalibus, quas aliqui ponunt cum

cum Perez, & Pallavicino, absque ulla necessitate; ut videbitur in metaphysicis.

Deinde retorqueo argumentum non potest explicari, quid sit rerum non existentium præteritis, determinata in se, ergo non sunt determinate præteritis: ergo non datur de illis veritas determinata.

Objicies 10. Si propositio, de futuro contingente, esse posset determinate vera; non posset explicari diversitas, inter propositionem contingenter veram, & necessario veram: ergo propositio, de futuro contingente, nequit esse determinata vera.

Respondeo, nego antecedens, & assigno diversitatem: propositio necessario vera, est illa, de qua verificatur, quod implicet, non fuisse, aut non fore veram: propositio contingenter vera, est illa, de qua verificatur, quod non implicet, fuisse falsam, vel fuisse non veram. Conimbricenses docent, philosophos: cum dicunt, propositiones veras, in materia necessaria, esse æternæ veritatis; loqui de propositionibus de præsentibus nihilum semper veræ sint, siue objectum existat, siue non existat, v. g. homo est animal rationale: Antichristus est homo: quia faciunt sensum conditionatum; licet absolute, & de præsentibus proferantur. In materia vero non necessaria, sed contingente, nisi objectum existat; propositiones de præsentibus sunt falsæ, utpote de subjecto non supponente: v. g. Antichristus est albus: quia sensum faciunt absolutum. Sed questio tandem est de modo loquendi.

XXXVIII. Objicies 11. Ex Godino *logica majoris part. 1. quest. 1. art. 2. paragr. 1.* licet, ex propositionibus contradictoriis, in materia necessaria, & præterea, ex propositionibus in materia contingente præteritis, & præsentibus, una sit determinate vera, altera determinate falsa: eventus enim contingens, postquam præteritus est, vel præteritus, non est amplius pendulus, & suspensus, sed determinatus ad alterutram; secus vero, si loquamur de propositionibus contradictoriis, in materia contingente futura: ergo non probatur, quod de futuris contingentibus detur determinata veritas, aut falsitas. Antecedens, quoad ultimam partem, quæ controversatur, probatur auctoritate Aristotelis *primò peribermi cap. 9.* ubi, postquam dixisset, e duabus propositionibus contradictoriis de præterito, vel de præsentibus, unam esse determinate veram, alteram falsam; expresse addidit, non ita esse in propositionibus de futuro contingente: licet necesse sit, alteram esse veram, vel falsam; non tamen hanc, vel illam distinguere;

*Re. Et Divi Thomæ in eundem textum: licet, ex duabus propositionibus alterutra sit vera; non tamen hæc, vel illa determinate.*

Respondeo, nego antecedens, quoad ultimam partem. Ad ejus probationem, distinguo antecedens: quoad nos, concedo; in se, nego antecedens, & consequentiam. Aristoteles (nisi velimus dicere, quod erraverit in hac materia, divinam præscientiam pernegans de rebus futuris contingentibus liberis, ut supra innuebam) & Divus Thomas solum negat, posse nos, ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingente, dicere certo determinate, quænam sit vera, quænam falsa; licet id possumus asserere de propositionibus contradictoriis, in materia contingente præterita, vel præsentis: quia videlicet noscere, quidem possumus determinate, quæ res, licet alioqui contingens, sit præsens, quæ præterita: non autem, quæ futura; si contingenter futura est.

XXXIX. Objicies 12. Divus Thomas 1. *perihieron. lect. 23.* expresse docet: *falsum est, quod omne, quod est verum esse, semper verum fuerit dicere, determinate esse futurum*: ergo non datur de futuris contingentibus determinata veritas.

Respondeo, distinguo antecedens: quoad nos, concedo; in se, subdistinguo: determinatione antecedente, concedo; determinatione consequente, nego antecedens, & consequentiam. Nec gratis, sed juxta doctrinam Sanctorum Patrum. Unde Divus Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 4. *tam non possunt futura, non fieri; quam, non fuisse facta, præterita*. Et D. Anselmus lib. de concordia præscientiæ cum libertate: *rem futuram, necesse est, esse futuram: quoniam, futura esse nequit, & non futura.*

Objicies 13. Propositio, de futuro, non est determinate vera, quandiu objectum ejus non est determinate futurum: atqui ante decretum Dei nihil est determinate futurum: ergo nulla propositio, de futuro contingente, est determinate vera ante decretum Dei. Minor probatur: siquidem ex Divo Thoma 1. *part. questione 16. art. 7. ad tertium*: futurum est, quod habet, in sua causa, determinationem ad essendum: sed ante decretum Dei res non habent determinationem, in suis causis, ad essendum: ergo ante decretum Dei nihil est determinate futurum.

Respondeo, nego minorem: juxta sæpius explicata. Ad ejus probationem, distinguo majorem; cumulative, concedo; exclusive,

ve, nego maiorem: &, omiſſa minore, nego conſequentiam. Futurum eſt, quod habet determinationem ad fore: ſeu, quod habebit determinationem ad eſſendum: & quidem ſive determinationem antecedentem, & in cauſa; ſive determinationem conſequentem, & in ſe, ut in caſu noſtro. Itaque, licet ſufficiat ad inferendum, determinate rem eſſe futuram, ejuſdem futuritio, veluti cauſalis, nempe determinatio in cauſa: cum hæc futuritio cauſalis, determinata, trahat futuritionem formalem, determinatam, rei in ſe; non tamen eſt neceſſaria: cum poſſit res in ſe eſſe determinate futura formaliter, determinatione conſequente, abſq; ulla determinatione antecedente, & in cauſa, alioqui libera, adeoque indifferente: quæ non aliunde determinatur, ad exercitium liberum ſuæ potentiæ; niſi a ſeiſa, & a plenitudine ſuæ potentiæ, per ipſummet exercitium, determinatione conſequente: quæ non lædit, quin perficit libertatem, cujuſ eſt formale exercitium.

XL. Objicies 14. Res ſit præſens ex eo, quod producitur per ſuam cauſam: ergo ſit futura ex eo, quod producenda eſt a ſua cauſa: ergo non poteſt res ulla cognosci futura in ſe.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens: præſentia, ideſt exiſtentia cauſali, concedo; formali, nego antecedens: & diſtinguo eodem modo conſequens: futura futuritione cauſali, concedo; formali, nego primam, & ſecundam conſequentiam. Non negamus, quod creatura habeat, habuerit, vel habitura ſit eſſe ſuum dependenter a ſua cauſa: quodque, ſi habeat eſſe a cauſa ſua; ſit præſens: ſique habuerit; ſit præterita: ſique habitura ſit; ſit futura: negamus tamen, quod ipſum eſſe formale creaturæ, contradidinctum ab ipſa cauſa, quod quidem recipit, recepit, vel recipiet a ſua cauſa; non poſſit cognosci determinate in ſeiſo: ſive de cæteris illud ſit præſens, ſive præteritum, ſive futurum. Enim vero, ſicut creatura habet ſuum eſſe intrinſecum, licet receptum a cauſa, quod produci quidem poſſit, in ſe; cur & ſuam cognoscibilitatem intrinſecam non habeat, quæ determinate cognosci poſſit, in ſe, ab agente intellectuſ perfectiſſimo, qualis eſt Deus? Et ſane adverſarii ultro concedunt, rem præſentem, & præteritam, quanvis contingentem, eſſe in ſe, determinate talem; adeoque, qua talem, determinate cognosci poſſe. Si igitur res præſens habet ſuum eſſe intrinſecum, quod cognoscatur in ſe determinate, prout contradidinctum a cauſa, licet contingenter receptum ab illa; ſique res præterita habuit ſuum eſſe intrinſecum, quod

quod etiam nunc cognoscatur in se determinate, prout contradi-  
stinctum a causa, quanvis illud ab hac receperit; quare non, & res  
futura, dicenda sit habitura suum esse intrinsicum, quod etiam  
nunc cognoscatur in se, determinate futurum, prout contradi-  
stinctum a causa; licet recipiendum ab ipsa.

Objicies 15. In tantum aliquod est producendum; in quan-  
tum ejus causa determinata est ad ipsum producendum: atqui  
nonnisi per decretum Dei determinatur causa ad aliquod produ-  
cendum, in universum: ergo, nonnisi in decreto divino, res contin-  
gens, determinate futura, cognosci poterit.

Respondeo, nego majorem. Nam res producenda est, quia  
ejus causa est determinanda ad ejus productionem; licet nondum  
determinata. Deinde, etiam omissa majore, nego minorem: quia  
non necesse est, ut Deus prædeterminet causam ad unum: immo  
hoc repugnat; si sermo sit de causa libera, qua tali: cui Deus  
applicat decretum indifferens, quo habito, ipsa causa se formali-  
ter determinat ad hoc, vel illud exercitium libertatis.

XLI. Objicies 16. Objectum contingens est indifferens ad  
fore, vel non fore: ergo non est determinate futurum.

Respondeo, nego consequentiam: quia cum hac indifferen-  
tia stat determinatio consequens, & hypothetica, hactenus ex-  
plicata.

Retorqueo deinde argumentum: objectum contingens est in-  
differens ad esse, & ad non esse; ad fuisse, vel non fuisse: ergo  
non est determinate præsens, non est determinate præteritum.

Objicies 17. Licet sit vera hæc disjunctiva: *Antichristus vel  
erit, vel non erit*; non ideo tamen ejus pars aliqua est determina-  
te vera, sed alterutra indeterminate vera: ergo non datur de fu-  
turo contingente determinato veritas determinata, sed duntaxat  
de futuro contingente vago, & indeterminato: quod sane ab ad-  
versariis non negatur. Antecedens probatur: ut sit vera illa  
propositio: unus oculus est necessarius ad videndum; non est ne-  
cesse, quod iste potius, quam ille sit necessarius: sed solum, quod  
alteruter indeterminate: ergo.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, di-  
stinguo antecedens: quoad nos, concedo; in se, subdistinguo:  
absolute, id est nulla facta suppositione, concedo; conditionate,  
id est aliqua facta suppositione, nego antecedens, & consequen-  
tiam. Sensus distinctionis constat ex dictis *disp. 9, art. 2, q. 3*: ubi de  
indi-

individuo vago, deque necessitate absolute, & conditionate determinata.

Obicies 18. Licet inter duas propositiones contradictorias non detur medium, per modum propositionis inter utranque partem mediantis, ut docet Divus Thomas 1. *post. lect. 5.* datur tamen; per modum suspensionis, seu indeterminationis, utriusque extremi: ergo non necesse est, ut, ex duabus propositionibus contradictoriis, in materia contingente de futuro, una sit determinate vera, altera determinate falsa.

Respondeo, nego antecedens, quoad secundam partem: quia eodem modo discurrendum est de propositionibus contradictoriis, in se; sive illæ sint in materia præterita, sive præsentis, sive futura: sicut enim inter esse, & non esse, extra causas, in se, licet contingenter, & libere; inter fuisse, & non fuisse extra causas, in se, licet contingenter, & libere, non datur medium suspensionis, & indeterminationis; ita nec inter fore, & non fore; inter futurum, & non futurum, extra causas, in se, etiam contingenter, & libere, absolute, vel conditionate operaturas, aut non operaturas.

XLII. Ob. 19. Licet, inter futurum, & non futurum præcise, non detur mediū; datur tamen inter futurum, & non futurum privative: ergo falsa conclusio. Antecedens probatur: nam, inter hoc, quod habet futuritionem, & quod privatum est omni futuritione, datur aliquod nondum futurū, id est nōdum habens futuritionem pro tunc, sed indifferens ad illam recipiendam, vel non recipiendam: adeoque hæc propositio, v. g. *Antichristus est futurus*; si consideretur ante decretum, & resolvatur ad unam de præsentis, ut sensus sit, *jam datur futuritio Antichristi*; est falsa: si vero consideretur quidem ante decretum, sed resolvatur ad aliam de futuro, ut sensus sit, *determinabitur futuritio Antichristi*; non est vera, nec falsa ante decretum, sed adhuc expectat determinationem ab illo: ergo, licet inter futurum, & non futurum præcise, non detur medium; datur tamen inter futurum, & non futurum privative.

Respondeo, nego antecedens, quoad secundam partem. Ad ejus probationem, nego assumptum, ex dictis. Deinde contra sic argumentor: quia contingens, & indifferens est Antichristus ad esse, & non esse; falsa est, ante decretum considerata, hæc propositio: *Antichristus erit*, id est, datur futuritio Antichristi: ergo, quia



quia contingens, & indifferens est, suo modo, ad esse, & non esse, ipsum decretum Dei liberum, seu determinatio de futuritione Antichristi; falsum erit dicere: determinabitur futuritio Antichristi: quia, Tò determinabitur, cum sit tempus futurum; significat, dari nunc futuritionem determinationis de futuritione Antichristi, de qua videtur, quoad hoc, eadem esse difficultas.

XLIII. Et sane, quando dicitur, quod hæc propositio: *Antichristus est futurus*, sit falsa ante decretum; vel sensus est primo, quod, independenter a decreto Dei, nullum contingens possit esse futurum: cum quodcunque expectet esse ab ipso Deo, modo suo: vel sensus est secundo, quod, independenter ab hoc medio, quod est decretum Dei, non possit in seipso certo, infallibiliter, determinate cognosci id, quod erit, vel esset, dependenter a decreto Dei: adeo nimirum, ut, sicut decretum Dei unice est id, quo medio, res contingens produci debet; ita idem decretum Dei, sit unice id, quo medio, res contingens cognosci possit. Si primum; utique verissimum est, sed non facit ad rem: nec id unquam catholicorum ullus controvertit, aut etiam infidelium sanæ mentis.

Si secundum; contra est primo: quia, licet decretum Dei sit unice medium necessarium creaturæ, quoad existere; non autem ita etiam est, quoad cognosci. Enimvero, licet nullum contingens possit esse præsens, aut præteritum, nisi dependenter a divino decreto; potest nihilominus contingens præsens, aut contingens præteritum, cognosci etiam in seipso, certo, determinate, & infallibiliter, ipsis fatentibus adversariis: ita ut, quoad cognosci, non sit in se pendulum, ac suspensum, sed omnino determinatū, licet contingenter determinatum: ergo, licet nullum contingens possit esse absolute, aut conditionate futurum, nisi dependenter a decreto Dei, a quo expectat, aut expectaret esse creatura absolute, aut conditionate futura; nihilominus potest etiam in seipso cognosci certo, determinate, & infallibiliter: adeo ut, quoad cognosci, non sit in se pendulum, ac suspensum, sed omnino, quoad absolutam, aut conditionatam futuritionem determinatum, quanvis contingenter determinatum, ex suppositione, quod realiter sit, aut revera futurum esset: vel assignetur disparitas, quæ faciat ad rem: quæque non destruat etiam cognoscibilitatem, in seipsis, contingentium præteritorum, atque præsentium.

*Ant. Forti.*

XLIV. Se-

XLIV. Secundo, contra est, quia (sive dentur actu in Deo, sive non dentur decreta de futuris omnibus contingentibus, scilicet etiam de solummodo conditionate futuris; quod etiā apud nostros hodie controvertitur) in signo priori ad decretum ipsum existens, v. g. de productione Antichristi; Deus vel cognoscit certo, determinate, & infallibiliter, hoc decretum, esse futurum, vel non cognoscit: si cognoscit; ergo, si potest Deus ipsum decretum futurum determinate cognoscere, in ipsomet decreto: cum alioqui sit contingens, nec absolute ita, connexum cum divina essentia, secundum id, quod hæc importat de necessario; ut non potuerit esse futurum oppositum ipsi decreto; quare non poterit determinate cognoscere, in seipso, Antichristum futurum? Si non cognoscit; ergo Deus, ut non potest, ante decretum, dicere: *Antichristus est futurus*; ita nec potest, ante decretum, dicere: *determinabitur futuritio Antichristi*: ergo, si prima propositio, per adversarios, ante decretum, est falsa, nedum pendula, & suspensa; ita & secunda: vel, si non secunda; nec prima. Quod si dicatur, cognosci a Deo decretum, in ipsamet essentia Dei, in qua eminenter invenitur;

Tertio, contra est, quia, ante seipsum, decretum cognoscitur in essentia Dei, in qua invenitur eminenter: non obstante, quod essentia Dei, secundum id, quod dicit de absoluto, sit, ut ita dicam, speculum quoddam indifferens, ut repræsentet hoc decretum de futuritione Antichristi, aut decretum oppositum de non futuritione Antichristi: ergo &, ante decretum, cognosci potest a Deo futuritio Antichristi, in ipsamet essentia divina, in qua eminenter invenitur Antichristus, utpote creatura: non obstante, quod essentia divina sit indifferens, ut repræsentet futuritionem, aut non futuritionem Antichristi. Enimvero, si tanta est perfectio, infinita, divinæ essentiae, ut, quanvis ipsa indifferens sit ad hoc, ut habeat hoc, aut illud decretum oppositum; ex suppositione tamen, quod hoc potius, quam illud oppositum decretum sit; illa hoc repræsentet, non illud; quare non etiam poterit, ex eadem ratione, rem potius futuram, quam non futuram; rem potius, quam rei carentiam contingentis, etiam præsentem, repræsentare? adeoque, quantum est ex hac ratione, quomodo ab adversariis impugnabitur, qui neget, ullum contingens, etiam actu existens, in seipso, cognosci posse, etiam

*Phil. Neg. Log.*

E e e c

dum

dum existit? immo, & decretum ipsum divinum, utpote, suo etiam modo, contingens, quippe liberum?

Concludendum igitur, quod, sicut Deus certo, determinate, & infallibiliter, cognoscit contingentia præsentia, & præterita, etiam in seipsis, suaq; decreta divina, quantumvis indifferentia, vel ante seipsa, vel saltem, ante aliud decretum reflexum de ipsis; ita certo, determinate, & infallibiliter cognoscat contingentia futura, & quidem absolute, aut duntaxat conditionate, in seipsis, aut saltem ante decretum, in ipsa divina essentia, utpote perfectissima.

XLV. Obijcies 20. Deus, ante suum decretum, non cognoscit omnes eventus, ut determinate futuros, sed solum, ut possibiles: ergo falsa conclusio. Antecedens probatur: Deus, comprehendens causas, cognoscit effectus, ut sunt in suis causis: sed effectus non sunt determinati in suis causis, ante decretum: ergo Deus, ante suum decretum, non cognoscit omnes eventus, ut determinate futuros.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, distinguo antecedens: cumulative, concedo: exclusive, nego majorem: & omissa minore, nego consequentiam. Deus non solum cognoscit eventus omnes futuros, ut sunt in suis causis, idest non solum cognoscit, causas, utpote indifferentes, posse ponere, vel non ponere effectus, sed etiam cognoscit ipsos effectus in se, scilicet, ut revera determinate futuros, aut non futuros, juxta superius tradita: cum hujusmodi scientia, demptis imperfectionibus, non sit chimera: ergo debent cognosci, per scientiam Dei infinitam, & undequaque illimitatam, cui tribui debet quidquid cognoscibile est, omni modo, quo, demptis imperfectionibus, cognoscibile est.

Obijcies 21. Si ante decretum Dei sunt res determinate futuræ; vel hoc habent a seipsis, vel ab aliqua causa: neutrum dici potest: ergo. Minor probatur: quia, non primum: sicut enim, res non possunt sibi dare, ut sint; ita quoque, nec ut futuræ sint. Non secundum: quia, ante decretum Dei, causæ sunt indifferentes ad agendum, vel non agendum: ergo non possunt determinare effectus suos ad hoc, ut futuri sint potius, quam non futuri.

Respondeo, nego majorem, quoad disjunctum: & dico, utrumque dici posse, in bono sensu: primum quatenus res, sicut formaliter, determinate est per suum esse præsens, licet indifferens, & con-

contingens; ita formaliter, determinate erit per suum esse futurum, licet indifferens, & contingens. Secundum, quatenus res, sicut, causaliter, potest determinate esse præsens a sua causa, licet indifferente: quæ, utpote libera, ex plenitudine potentiae non sine decreto Dei indifferente, se determinet ad hanc, vel illam partem, per ipsummet exercitium præsens suæ libertatis: adeoque determinet rem ipsam, ut sit potius, quam non sit: quatenus scilicet eandem producit; ita potest res esse determinate futura a sua causa, licet indifferente: quæ, utpote libera, ex plenitudine potentiae, non sine decreto Dei indifferente, se determinabit ad hanc, vel illam partem, per ipsummet exercitium futurum suæ libertatis: adeoque determinabit rem illam ad fore potius, quam non fore, quatenus scilicet illam producet.

XLVI. Objicies 22. Ex Guarino *disp. 18: log. expens. 3. prope finem*: causa indeterminata non potest se determinare ad hunc, vel illum effectum producendum: ergo futura contingentia libera non possunt determinate præsciri: ergo non habent veritatem determinatam.

Respondeo, nego antecedens: vel, claritatis gratia, distinguo: causa indeterminata, ex defectu potentiae, concedo; indeterminata, ex plenitudine potentiae, nego antecedens, & consequentiam. Causa libera, indeterminata, posito decreto Dei indifferente, est indeterminata; quatenus, ob plenitudinem suæ potentiae, habet posse indifferenter se formaliter determinare, determinatione consequente, ad hanc, vel illam partem, per ipsummet exercitium suæ libertatis. Neque hoc gratis: quia, si ponatur decretum Dei, ex parte actus primi proximi, prædeterminans ad unum; evertitur arbitrium libertatis creatæ, ut fuisse dictum est *in theol. tract. manuscript. de Gratia*. Sic Deus est omnino indeterminatus, & indifferens; & tamen se indifferenter determinat, modo perfectissimo, ad hunc, vel illum effectum libere ponendum, per ipsummet exercitium suæ libertatis, cujus est aliquis participatio creatæ libertas. Verum, ne sutor ultra crepidas, hæc fuscè agitanda theologis relinquamus. Nos de divina scientia contingentium egimus *in theol. lib. 1. de Deo*; tum in loco, tum etiam, ubi de prædeterminatione, & reprobatione. De physica autem prædeterminatione; seu, ut ajunt, præmotione; nonnihil in physicis: & ex professo *in theol. tum locis prædictis*: tum *tract. manuscripto de auxiliis divine gratie*, quem, Catanzæ, Calatajerone, Panormi dictavimus, & defendimus.

A R T I C U L U S XIII.

Analysis prædictorum in argumenta  
negativa.

XLVII. **D**ico 1. In hac *disp.* 11. nos diximus primo, veritatem metaphylice esse conformitatem; falsitatem, disformitatem cum objecto.

Probavimus, quia nequit assignari, quomodo aliter commodus, aut æque commode, possit veritas, & falsitas metaphylice definiri: aut per respectum ad quam aliam regulam, diversam ab ipso objecto.

Secundo, utranque defacto dari.

Probavimus, quia (etiam præscindendo a revelatis) nequit assignari aliquod sufficiens motivum prudenter dubitandi de aliquibus veritatibus, aut falsitatibus, quæ communiter reputantur certæ, & evidentes.

Tertio, utranque physice, tum per propositionem, tum per ipsum objectum, adæquate constitui.

Probavimus, quia nequit assignari, quomodo possit aliter adæquate constitui formalis veritas, & falsitas adæquata, supra definita: cum sit conformitas, & disformitas rigorosa, aut minus rigorosa: adeoque relatio prædicamentalis, aut quasi relatio; quin falsificetur tradita definitio: aut regula partium: juxta ea, quæ dicta sunt *disp.* 10. *art.* 6. & *seq.* contra Modalistas, Connotatores, Formalistas, & alios, quoad physica relationis constitutiva.

Quarto, neutram suscipere magis, & minus formaliter.

Probavimus, quia non est, quare, licet formale esse, & non esse objecti, non suscipiat magis, & minus; nihilominus formalis veritas, & falsitas propositionis suscipiat magis, & minus: cum, nonnisi ipsummet esse, aut non esse objecti, sit prima, & ultima mensura, ac regula veritatis, ut dictum est, quoad primum.

Quinto, non posse eandem propositionem esse simul veram, & falsam.

Probavimus, quia non est excogitabile, in propositione, medium inter repræsentare suum objectum, ut est in se, & inter ipsum repræsentare aliter, ac est in se: adeoque inter esse propositionis simpliciter veræ, aut simpliciter falsæ: ergo non est, unde eadem propositio possit simpliciter esse vera simul, & falsa.

Sex-

Sexto, non posse propositionem transire de vera in falsam: vel e converso.

Probavimus, quia nequit assignari, quomodo propositio, cum sit essentialiter imago, possit de vera transire in falsam, aut viceversa; quin, mere per variationem temporis, intelligatur essentiam variare: aut quomodo variare hanc possit; quin possint cætera, præcise pro temporis variatione, suas pariter essentias variare.

Septimo, dari de futuris contingentibus determinatam veritatem, aut falsitatem.

Probavimus, quia non apparet repugnantia, quare futurum, aut non futurum, quantunvis contingens, liberum, indifferens, non possit in se determinate cognosci; adeoque habere veritatem, aut falsitatem determinatam: cum possit in se determinate cognosci contingens, ne dum præsens, sed & præteritum, quantunvis liberum, & indifferens: cumque possit ipsummet decretum Dei, secundum id, quod importat de relativo ad extra, adeoque de secundum quid, de contingenti, de libero, de indifferenti, cognosci determinate, vel in se, vel saltem in essentia, Dei, in qua continetur eminenter; quare non possit etiam, eodem modo, discurri de futuro creato, libero, quanvis contingenti, & indifferenti, ut sit, vel non sit; adeoque, ut coexistat, vel non coexistat cum divina essentia necessaria.

XLVIII. Dico 2.<sup>a</sup> Adversarii sustinent oppositum contra nos: sique eorum rationes funditus introspiciantur; eo tandem aliquando reducuntur:

Quoad primum, quia non elucet necessitas dicendi, quod veritas non sit inadæquata, sed adæquata conformitas: falsitas, non sit inadæquate disformitas; sicut etiam nulla est necessitas recurrendi ad objectum, pro mensura propositionis: cur enim non possit hoc munus regulæ præstari a divina cognitione, sicut munus regulæ morum præstatur a divina lege, seu præcepto?

Quoad secundum, quia (præscindendo a revelatis) non est assignabile aliquod motivum, ita fundans veritatem, aut falsitatem ullam, saltem creatam; ut de ea nequeat cum scepticis dubitari.

Quoad tertium, quia nulla est, dispar ratio, quare cognitio, & volitio, & similes formæ, sint adæquate intrinsecæ intellectui, & voluntati, cujus sunt perfectio, aut imperfectio: & calor, ac  
fri-

frigus, &cetera id genus, intrinseca subjectis; veritas tamen, ac falsitas, non sint propositionis, adeoque & intellectus perfectio, & imperfectio, adæquate intrinseca tum ipsi cognitioni, tum ipsi intellectui, quem afficiunt, in suo genere, & quidem juxta, vel contra exigentiam naturæ rationalis.

Quoad quartum, quia non apparet repugnans, quod, sicut unum est magis, aut minus simile, vel dissimile alteri, ut patet in coloratis; magis, aut minus æquale, aut inæquale, ut patet in quantis: & sicut ipsa propositio est minus, aut magis clara, aut obscura; ita eadem propositio sit magis, aut minus formaliter conformis, vel disformis objecto; adeoque magis, aut minus vera, vel falsa, quam altera.

Quoad quintum, quia nequit assignari, repugnantia, quare una, eademque propositio non possit repræsentare duo objecta diversa, quorum unum sit, alterum non sit, ut ab illa repræsentatur; adeoque quorum uni ipsa conformetur, alteri disformetur: & quare hujusmodi propositio non sit reputanda vera simul, & falsa.

Quoad sextum, quia non apparet ratio repugantiæ, quare, ut potest Petrus transire de currente in non currentem; ita non possit propositio, repræsentans cursum, aut non cursum Petri, transire de conformi in, disformem cum Petro currente, aut non currente, aut viceversa: cum non aliunde, quam a cursu, aut non cursu Petri, propositio hauriat veritatem, aut falsitatem.

XLIX. Quoad septimum, quia nequit excogitari modus, & via, qua hæc determinata veritas, aut falsitas coherere possit cum omnimodâ libertate creati arbitrii: & quomodo objectum contingens, quod, neque actu est, nec fuit, adeoque nec, ut ita dicam, sui vestigium ullum reliquit a parte rei; possit determinate cognosci certo, & infallibiliter in se, aut in ullo alio medio, quam in divino decreto: a quo unice omnis creatura, futura, determinationem expectat, in existendo.

#### *Corollarium.*

Sed hæc, & similia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, tandem aliquando sunt negativa, ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. ergo tam nos, quam adversarii in hac *disp.* 1. Negative philosophamur.

D E

# DE PROPOSITIONE SYLLOGISTICA

ubi

## De syllogismo

*Primo, in communi. Secundo, demonstrativo.  
Tertio, probabili.*

## DISPUTATIO XII.

### De syllogismo in communi.

*Primo, quid, & quotuplex sit syllogismus. Secundo, de causalitate  
præmissarum in conclusionem. Tertio, de earundem necessitate,  
quoad inferendum. Quarto, de reflexione conclusionis su-  
pra præmissas. Quinto, de bonitate illationis.*

## A R T I C U L U S I.

### Quid, & quotuplex sit syllogismus.

I. **D**ico 1. Quoniam propositio syllogistica dicitur, quæ constituit fabricam syllogismi; loquimur, hoc loco, de syllogismo cum Aristotele: qui libros hosce priores analyticos, idest resolutorios nuncupavit: quod, in illis, philosophus syllogismum in partes resolvat suas, ut ejus essentiam, quasi per anatomen, perscrutetur. Relictis igitur pluribus aliis, quæ, in summtis, de syllogismo præmissimus; quoad ejus essentiam metaphysicam: syllogismus, ut ibi innuimus, est oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quid a positis, necesse est, contingere, eo quod hæc sint. Et passim confunditur cum discursu: nam, sicuti, discursus materialis, seu localis, proprie est motus ex uno in, alium locum; ita discursus intentionalis, seu intellectualis, per metaphoram dictus, est progressio intellectus ex una in aliā veritatem, ex vi prioris: neque enim, ex qualibet veritate indifferenter deduci quodlibet potest, ut temere dicebat Erasistratus: contra quem, ita, ad hominem, arguebat nonnemo: Baculus est in angulo: ergo desipit Erasistratus.

Dico 2.



Dico 2. Discursus, communiter trifariam dividitur, in formalem videlicet, virtualem, & objectivum. Primi generis discursus, scilicet formalis, qui proprie, & absolute venit sub tali nomine, est, quem supra definivimus, scilicet, progressio intellectus, ex vi iudicii ad aliud iudicium. Unde patet, ad huiusmodi discursum requiri saltem duas cognitiones judicativas, quarum una eliciatur ex vi alterius. Dari autem huiusmodi discursum, in intellectu humano, constare videtur experientia: quanvis oppositum docuisse videatur aliquibus Scotus, sed immerito. Huius generis discursum in intellectu divino locum habere non posse, conveniunt passim theologi: quia, cum, ex suo conceptu, aliquam imperfectionem involvat; dedecere videtur infinitam Dei sapientiam, cui, primo intuitu, aperta est omnis veritas, utpote, qui non indiget alia notitia, seu alia cognitione, ut aliam inde, velut lumen ab alio lumine mendicando, deducat. Secundi generis discursus, scilicet virtualis, est unicus indivisibilis actus, quo intellectus unum enunciat, propter aliud: scilicet, modo tendendi illativo, v. g. datur, A, quia datur, B: qui discursus, etiam in Deo, locum habet: quia est modus cognoscendi possibilis, & non dicens imperfectionem, ex suo conceptu: ergo non est divino intellectui denegandus: cui tribui debet, in linea sua, quodlibet, alioqui non indecens, aut repugnans. Exemplum huius discursus est, quod Deus cognoscat, Judam damnari, cruciarique poenâ eterna, quia peccavit, ipsumque non salutariter poenituit peccatorum. Terti generis discursus, nempe objectivus, est, quando intellectus, ex uno, seu in uno objecto, cognoscit alterum, quanvis non modo tendendi illativo, v. g. cum cognoscit visionem Petri, adeoque cognoscit Petrum: cum quis cognoscens, omnipotentiam, posse facere quodlibet factibile, alioqui non repugnans; cognoscit omne factibile, alioqui non repugnans: & hoc non tam est cognoscere unum ex alio, quam unum in alio: qui etiam cognoscendi modus, cum, ex una parte, sit possibilis: ex altera parte, non involvat, ex suo conceptu, imperfectionem, aut indecentiam; non est, cur divinæ omniscientiæ denegetur. Verum, quod ad Deum attinet; hæc fusius dicta sunt, in theol. lib. 1. ubi de scientia divina.

II. Dico 3. Discursus, seu syllogismus formalis subdividitur bifariam: alius enim est a priori, alius a posteriori. Primus est, quo intellectus, ex notitia causæ, seu rei, se habentis ad modum

*Ant. Forti.*

dum

dum causæ, veluti descendit ad notitiam effectus, seu rei, se habentis ad modum effectus: atque hic vocari etiam solet discursus, seu syllogismus propter quid, v. g. Petrus est rationalis: ergo risibilis: rationale enim, utpote prædicatum differentiale, & primum, trahit, ad modum causæ, risibile, tanquam proprietatem essentialem, secundariam, quæ metaphysice oritur ex rationalitate, tanquam ex sui radice. Secundus est discursus, seu syllogismus, quo intellectus, ex notitia effectus, seu rei, se habentis ad modum effectus, veluti ascendit ad notitiam causæ, seu rei, se habentis ad modum causæ: atque hic vocari etiam solet discursus, seu syllogismus, quia: v. g. datur machina, & respublica universi; ergo Deus, ejus supremus architectus, & gubernator. Huc reducuntur argumenta ab adjunctis, & aliis similibus locis, seu fontibus, quos topicos vocant, petita. Ex dictis; quoad essentiam physicam syllogismi,

Dico 4. Syllogismus physice importat duas præmissas, vèr saltem unam, quæ sit æquivalenter duplex, & conclusionem. Assertio satis constat ex definitione syllogismi, si eidem applicetur regula partium, de qua dictum est *disp. 10. art. 10. 11.* Quod attinet ad præmissas, quoniam queri solet an, & quomodo causent conclusionem, erit

## A R T I C U L U S II.

De causalitate præmissarum in conclusionem: deque earum necessitate, quoad inferendum.

III. Dico 1. Præmissæ causant conclusionem solum directive, seu illuminative, non vero physice influendo in entitatem actus conclusionis. Est sententia cōmūnis, apud recentiores, cum Averſa *quæst. 25. sect. 3.* Arriaga *disp. 15. sect. 5.* contra Mastrium, Complutenses, Thomistas passim; & Pontium *disp. 20. quæst. 2. concl. 4.* Probatur: quia nullum habemus inditium dicendi, quod præmissæ, præter hoc, quod est dirigere, seu illuminare intellectum, ut conclusionem eliciat; ipsæ physice, active influant, producendo simul cum intellectu actum conclusionis: ergo dicendum, quod solum directive, & illuminative concurrant, scilicet illuminando potentiam intellectivam: eique proponendo motivum, unde procedat ad actum conclusionis: mi-

*Phil. Neg. Log.*

F fff

mi-

mirum proponendo identitatem extremorum cum uno tertio: unde intellectus affirmet eorundem identitatem, inter se : vel e converso, motivum, unde talem neget identitatem, ut in *summulis* dictum est satis. Requiritur autem doctores communiter, ut præmissæ coexistant conclusioni: moventur, quia concurrunt illuminative ad illam, ad modum lucis intellectualis: atqui lux non existens non dicitur illuminare: ergo nec præmissæ, nisi defacto coexistant conclusioni. Sed quidquid sit de hoc, quod videtur difficile probationis; si velimus ab autoritate præscindere. Enimvero non videtur implicare, quod præmissæ ita dirigant, illuminent, determinent, suo modo, intellectum; ut ille deinde in instanti sequenti, etiam præmissis non dum physice formaliter actu existentibus, erumpat in actum conclusionis, construendo discursum, seu syllogismum non permanentem, sed successivum, ut ita dicam. Sic pyxis, & pagina nautica visa, & considerata, concurrunt ad rectam navigationem: non physice in illam influendo, sed solum dirigendo, & intentionaliter illuminando nauclerum: & quidem huiusmodi pyxis, & pagina suum præstat effectum, etiam postquam visa, & considerata fuit: immo, si forte laceretur, aut comburatur; etiam illum præstare potest, postquam perierit: puta, si adhuc nauclerus eorum memor, quæ vidit, & observavit in pyxide, & pagina jam destructis; ex vi talium notitiarum, ut scopulos, & syrtes declinet; feliciter clavum flectat, & carbasa moderetur. Hæc, quoad causalitatem. Quoad necessitatem vero,

IV. Dico 2. Ad explicationem terminorum, in subjecta materia, duplex datur libertas; adeoque & duplex necessitas, duplici libertati opposita. Una dicitur libertas, quoad speciem, seu libertas contrarietatis: altera dicitur libertas, quoad exercitium, seu libertas contradictionis. Libertas primi generis est, qua redditur potentia indifferens, inter duos actus oppositos, & quasi contrarios, ad ponendum unum, vel alterum, v. g. voluntas ad ponendum amorem, aut odium; intellectus ad ponendam affirmationem, aut negationem. Secundi generis libertas est, qua redditur potentia indifferens, inter duo contradictoria, ad ponendum unum, vel alterum, id est ad ponendum aliquem actum, vel ad illum non ponendum, licet neque ponat actum oppositum, v. g. voluntas in ordine ad amorem, vel non amorem; in ordine ad odium, vel non odium: intellectus, in ordine ad affirmationem, vel

non

non affirmationem; in ordine ad negationem, vel non negationē. Itaque, proportionē servata, necessitas duplex erit, una, quoad speciem, seu contrarietatis: altera, quoad exercitium, seu contradictionis. Necessitas primi generis est, determinatio ad unū, ex duobus actibus oppositis, & quasi contrariis, ita ut non possit potentia, hic, & nunc actum oppositum elicere: v. g. voluntas, si determinetur hic, & nunc ad non odio habendum: ita nimirum, ut possit quidem amare, non autem possit odio habere, quanvis non necessitetur ad amandum. Necessitas secundi generis est, determinatio ad unum, ex duobus contradictoriis, ita ut potentia non possit, hic, & nunc ponere carentiā talis actus, idest talem actum omittere: v. g. voluntas, si ita determinetur hic, & nunc ad amandum, ut non possit non amare: vel intellectus, si ita determinetur, hic, & nunc ad affirmandum, ut non possit non affirmare. His ita præexplicatis; status quæstionis est, cujus generis sit necessitas præmissarum, in ordine ad conclusionem: an scilicet præmissæ necessitent intellectum, in ordine ad conclusionem, non solum necessitate, quoad speciem; verum etiam, quoad exercitium: qua de re, distincte procedendo,

V. Dico 3. Præmissæ necessitant intellectum, in ordine ad conclusionem, necessitate quoad speciem: puta, si illæ sint recte dispositæ, & bene penetratæ. Assertio est communissima, & probatur: intellectum necessitari, quoad speciem, est, ita hic, & nunc determinari, v. g. ad aliquod affirmandum; ut non possit illud positive negare, licet possit affirmationem suspendere: atqui præmissæ affirmatæ necessitant intellectum ad non negandā conclusionem, quam inferunt: ergo præmissæ necessitant intellectum, in ordine ad conclusionem, quoad speciem. Major est explicatio terminorum, ex supra dictis. Minor probatur: intellectus, ex vi præmissarum, affirmans, v. g. identitatem extremorum, eum uno tertio, necessitatur ad non negandam identitatem extremorum, inter se: atqui conclusio negatæ, esset negatio identitatis extremorum, inter se: ergo præmissæ affirmatæ necessitant intellectum ad non negandam conclusionem, quam inferunt. Major probatur: quia intellectus non potest negare verum, cognitum ut verum: sicut nec affirmare falsum, cognitum ut falsum, præsertim, si evidenter: sed intellectus, ex vi præmissarum; ipsi affirmatis, cognoscit, & affirmat, ut veram, identitatem extremorum, inter se: ergo intellectus, ex vi præmissarum, jam af-

firmatarum, cognoscit evidenter identitatem extremorum inter se: ergo non potest illam negare: cum evidens sit, quæ sunt realiter eadem uni tertio, esse eadem inter se. Quod colligitur etiam sufficienter ex ipsa definitione syllogismi prædicta, quæ, ex Aristotele, syllogismus dicitur, oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quid a positis, necesse est contingere, eo quod hæc sint.

VL. Dico 4. Præmissæ, per se loquendo, necessitant intellectum, in ordine ad conclusionem, etiam necessitate quoad exercitium. Est sententia communis, contra Polizzium, & alios, apud ipsum in *log. disp.* 46. sect. 2. n. 12. & probatur, ex dictis: potentia, alioqui necessaria, physice non impedita, non potest non producere suum actum, circa suum objectum, debite sibi applicatum: atqui intellectus, per se loquendo, est potentia, alioqui necessaria: & præmissis recte dispositis, ac penetratis, objectum conclusionis est debite ipsi intellectui applicatum: ergo intellectus, per se loquendo, nisi physice sit impeditus, non potest non elicere actum, conclusionis: sed hæc est necessitas, quoad exercitium, ex dictis: ergo intellectus, per se loquendo, necessitatur, ex vi præmissarum, in ordine ad conclusionem, necessitate etiam quoad exercitium. Major probatur: primo, ignis non potest non comburere stupam; si sit eidem debite applicatus, nec physice impeditus, in ordine ad illam comburendam. Secundo, oculus non potest non videre colorem, sibi debite præsentem; nisi sit impeditus. Tertio, lapis nequit non tendere deorsum, petendo suum centrum; si non sit physice impeditus. Immo quarto, voluntas nequit non amare bonum; si ipsi evidenter repræsentetur absque ulla, etiam dubia, mixtura malitiæ: nec potest non odisse malum; si ipsi evidenter repræsentetur absque ulla, etiam dubia, mixtura bonitatis: & sic de reliquis potentiis, in sensu accommodo: ergo, in universum, quin, & a fortiori, quælibet potentia, alioqui necessaria, non est præsumenda libera in hoc, quod possit non elicere suum actum: & non ferri in suum objectum debite præsens; nisi physice impediatur: ergo intellectus non potest non affirmare, veritatem, evidenter absque ulla mixtura, etiam dubia, falsitatis, cognitam: quod est, hic & nunc, eidem summum bonum, immo unicum bonum; nisi fortasse morte, delirio, vel simili distractione præoccupatus, physice impediretur, vel miraculose, Deo negante concursum ad actum conclusionis: sicut nec potest idem intel-

intellectus non negare falsitatem evidenter cognitam, & absque ulla mistura, etiam dubia, veritatis: quæ falsitas est, hic & nunc, summum, quin unicum malum intellectus. Minor superioris syllogismi probatur etiam: quia objectum, evidenter cognitum, est debite præsens intellectui: sed intellectus, ex vi præmissarum, evidenter cognoscit realem identitatem duorum, inter se: ergo, affirmatis præmissis, evidens est intellectui identitas extremorum, inter se, affirmanda in conclusione. Minor probatur: quia evidens est intellectui: quæ sunt realiter eadem uni tertio, esse eadem inter se: sed in præmissis, affirmatis, cognoscit intellectus realem identitatem extremorum cum uno tertio: ergo, ex vi præmissarum, evidenter cognoscit intellectus identitatem extremorum, inter se. Recolite, quæ diximus, ubi negavimus, tertiam operationem intellectus esse objectum logicæ immediatum *disp. 5. art. 5. & 6.*

VII. Dico 5. Notandum, hoc loco, cum Arriaga *disp. 14. sect. 5. num. 54.* non necessario requiri in syllogismo duas præmissas, realiter inter se distinctas, ad inferendam conclusionem, sed sufficere unam cognitionem, quæ sit æquivalens duabus: quatenus nimirum ostendat duplicem connexionem mediæ cum extremis: quia, ex una parte, non videtur repugnans cognitio, quæ, prædicto modo, æquivalet duabus, quin pluribus, etiam infinitis: sicut nec repugnat lucerna, quæ, quoad luminis copiam, æquivalet duabus, quin pluribus, etiam infinitis, lucernis tenuioris luminis: ex altera parte, si haberetur hujusmodi præmissa; non opus esset duabus præmissis ad inferendum: quia non est, unde colligatur necessitas dualitatis præmissarum, realiter inter se distinctarum.

### A R T I C U L U S III.

Solvuntur objectiones.

VIII. **O**bjicies 1. Contra primam assertionem: aliquando præmissæ producunt speciem impressam objecti, quæ species physice influit deinde in conclusionem: ergo præmissæ sunt causa physica conclusionis. Antecedens probatur: quando, prima vice, cognoscitur ab intellectu conclusio objectiva, id est objectum conclusionis; non supponuntur antecedenter species: ergo producuntur a præmissis.

Re-

Respondeo, in primis, omisso antecedente, distinguo consequens : ergo præmissæ, in aliquo casu, sunt causa physica mediata conclusionis, transeat : immediata, nego consequentiam. Loquimur enim in præsentī de causa immediata, quæ vere, & proprie dicitur influere in effectum : neque enim vere, & proprie avus dicitur physice, & absolute influere in entitatem nepotis. Atque hoc, ex suppositione, quod species physice influant in cognitionem : quod apud me non est verum. Secundo, nego antecedens : ad ejus probationem, concesso antecedente, nego consequentiā : & dico, quod intellectus, ad assentiendum objecto conclusionis, qua tali, vel primo non indiget speciebus : quia illud evidenter ipsi proponitur, ex suppositione præmissarum, jam affirmatarum, cum sit evidens : quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se : vel secundo, si indiget speciebus ; sufficiunt species objecti, habitæ per præmissas, & apprehensiones prævias : jam enim objectum conclusionis continetur in objecto apprehensionum, & præmissarum.

Objicies 2. Contra eandem assertionem : conclusio est illatio : ergo, qua talis, non potest physice dependere, nisi a præmissis.

Respondeo, nego consequentiam. Sufficit, quod conclusio, qua talis, physice pendeat ab intellectu, qui est causa illativa, seu discursiva : sicuti volitio dependet a potentia volitiva, & visio a potentia visiva.

Objicies 3. Contra eandem assertionem : sine præmissis intellectus non potest elicere conclusionem formalem, qua talem : ergo præmissæ sunt physice concausæ intellectus erga conclusionem.

Resp. nego consequentiam : nam quanvis sine luce lucernæ non possit quis noctu scribere ; non tamen lux lucernæ physice, influit in scripturam, sed solum illuminative : sicuti, quanvis sine pyxide, & pagina nautica, nequeat navis recte gubernari ; non ideo pyxis, & charta in rectam navigationem physice influunt, sed solummodo directive.

Objicies 4. Contra quartam assertionem : omnis assensus intellectualis pendet a libera voluntate : unde est, ut error, & judicium temerarium nobis imputetur : ergo potest voluntas libere conclusionem suspendere, licet hæc sit actus intellectualis.

Re-

Respondeo, distinguo antecedens: omnis assensus intellectualis pendet a libera voluntate, si sit circa objectum, & motivum, obicuum, concedo: si sit circa objectum, & motivum evidens, subdistinguo: pendet a voluntate mediate, & indirecte, transeat: immediate, & directe, nego antecedens: & distinguo, eodem modo, consequens: ergo potest voluntas libere conclusionem suspendere, mediate, transeat; immediate, nego consequentiam. Veritas, obscure repræsentata, non est summum bonum, proximum, hic, & nunc intellectui: nec talis, ut omnem formidinem falsitatis, etiam involuntariam, excludat; adeoque, illum non necessitat ad assensum: itaque opus est pia affectione, & voluntatis imperio, ne forte errandi periculo se committat, nisi volens. Veritas tamen, evidenter repræsentata, absque ulla mixtura, etiam dubia, falsitatis, est hic, & nunc summum bonum, proximum intellectui: adeoque illum necessario ad se rapit, cum intellectus sit potentia necessaria. Hinc fit, ut quanvis quilibet assensus subsit mediate imperio voluntatis, in quantum hæc potest libere applicare intellectum, seseque distrahere, vel non distrahere ab his, vel illis motivis considerandis; non tamen subest immediate, & ex suppositione, quod ad motiva evidentia veritatis illum applicuerit: sicut est libera quidem voluntas in ordine ad applicandum, vel non ad applicandum oculum ad tale, vel tale objectum aspiciendum, & in ordine ad se alio distrahendum, vel non; cæterum, ex suppositione, quod oculum, physice non impeditum, tali, vel tali objecto, debite præsentī, applicuerit; non potest libere cohibere visionem: ut non potest libere impedire, ne ignis stupam, alioqui dispositam, comburat, ex suppositione, quod libere illum stupæ applicaverit. Et fortasse, quoad rem, nobiscum sentiunt plures ex doctoribus, qui communiter reputantur nostræ sententiæ oppositi: dum enim docent, assensum cōclusionis subijci imperio voluntatis; intelligunt mediate, & indirecte, hoc est in radice, & in causa: non vero immediate, & directe, nimirum in se: juxta ea, quæ diximus, ubi tertiam operationem intellectus exclusimus ab objecto logicæ immediato, *ubi supra*.

IX. Obijcies 5. Contra eandem: Ex Aristotele 1. *politic. cap. 3.* intellectus despotice subest voluntatis imperio: ergo potest, etiam affirmatis præmissis, per se conclusionem suspendere.

Re-



Respondeo, distinguo, ut supra : in ordine ad objecta , & motiva obscura, transeat : in ordine ad objecta, & motiva evidentiâ, subdividuo : subest voluntatis imperio mediate, & indirecte, concedo : immediate, & directe, nego antecedens, & consequentiam. Sensus, & ratio distinctionis constat ex dictis.

Objicies 6. Intellectus in syllogismis probabilibus, qui non sunt evidentes, non necessitatur ad eliciendam conclusionem: ergo assertio nostra, saltem in aliquo casu, falsificatur.

Respondeo, nego antecedens : nam, licet præmissæ sint probabiles ; ex suppositione tamen, quod sint affirmatæ, ut veræ ; evidens est conclusio : ex suppositione enim, quod sit cognita, ut vera, identitas realis extremorum cum uno tertio ( quod sit per præmissas ) non potest non cognosci, ut evidenter vera, identitas eorundem inter se : & , quanvis consequens sit probabile, ex præmissis probabilibus ; consequentia tamen est evidens : adeoque consequens, licet probabile ; ex suppositione tamen præmissarum, jam affirmatarum, necessario infertur . Unde obiter noto, evidentiam duplicem esse posse: primam absolutam, secundam conditionatam . Absoluta est, circa objectum absolute evidens, v. g. duo non esse tria . Conditionata est, circa objectum non absolute evidens, sed ex suppositione : ita, licet evidens non sit, Petrum se movere ; evidens tamen id est, ex suppositione, quod currat : unde, quanvis evidens non sit absolute veritas hæc: Petrus movetur ; evidens tamen est, veritas illa : *Petrus movetur*, si currit, seu ex suppositione, quod currat : & quidem Petrus, si probabiliter currit ; probabiliter movetur : si certe currit ; certe movetur : si evidentur currit ; evidenter movetur . Cæterum evidens est connexio motus Petri cum hypothesi, hoc est, cum cursu Petri : quia evidens est, quod Petrus, si currit, moveatur . Quoniam autem in præmissis purificatur jam conditio cursus Petri ; evidens fit intellectui, Petrum moveri, vel probabiliter, vel certe, vel evidenter : adeoque intellectus necessitatur, ad affirmandum cursum Petri probabilem, certum, vel evidentem absolute, pro varietate præmissarum : semper tamen conditionate evidentem, idest evidentem, quoad connecti cum præmissis ; adeoque, & quoad existendum, ex suppositione veritatis præmissarum, scilicet si præmissæ sunt veræ . Aliiter posset quis, in syllogismis probabilibus, quanvis recte constructis ; concessa majore, & minore, urgente adversario, respon-

*Ans. Forti.*

dere

dere, dicendo: neque affirmo, neque nego consequentiam, sed suspendo iudicium; quod esset ridiculum, & contra usum scholarum, in omnibus prorsus academiis, ut notat Arriaga *disp.* 15. *sect.* 7. n. 76.

X. Objicies 7. Stante hac doctrina, non potest assignari, cur fidelis mereatur, assentiendo mysteriis fidei, per conclusionem v.g. assentiendo, ex vi harum præmissarum: quidquid Deus summe sapiens, verax, veridicus revelat, verum est: sed revelat Trinitatem: huic conclusioni: ergo Trinitas vera est: ergo nostra assertio est falsa.

Respondeo, nego antecedens, & dico: fidelem mereri, in ordine ad assensum prædictum fidei, & similes: quia libere imperat assensum motivis propositis, & libere iisdem applicatur. Peccat vero, qui non assentitur: quia respuit libere talia motiva, non imperando actum fidei, ubi tenetur imperare: idest non imperando assensum, in ordine ad motiva prædicta, sufficienter proposita, adeoque non solum credibilia, sed credenda: quibus motivis affirmatis, necessitaretur ad conclusionem fidei prædictam. Sed de hoc dictum est *in theol. lib.* 3. *de Fide*.

Objicies 8. Nullum bonum creatum necessitat voluntatem, ad amandum: ergo nullum verum creatum necessitat intellectum ad affirmandum.

Respondeo, in primis: dato antecedente, nego consequentiam: quia omne bonum creatum semper apparet infectum aliqua mistura imperfectionis, & malitiæ: at verum creatum, quod evidenter apparet tale, nulla falsitatis umbra offuscatur. Jam omnino evidens est intellectui, ex suppositione, quod duo extrema sint realiter idem cum uno tertio, esse eadem inter se. Hinc secundo, posset cum aliis distingui antecedens, absolute, concedo; ex suppositione, nego antecedens, & consequentiam: nam, ex suppositione, quod quis efficaciter intendat aliquem finem, ad quem est omnino necessarium medium aliquod; est omnino necessitatus ad electionem illius medii. Et ratio a priori esse videtur, quia tale medium, utpote omnino necessarium ad finem intentum; apparet hic, & nunc optimum voluntati, ex hypothesi.

XI. Objicies 9. Potentia loco motiva subjicitur imperio voluntatis: ergo & intellectus.

Respondeo, omisso antecedente, nego consequentiam. Prima ratio disparitatis est, experientia in potentia motiva, cui

*Phil. Neg. Log.*

G g g g

hic,

hic, & nunc, potest esse bona quies opposita motui locali. Secunda ratio disparitatis est, veritas evidenter cognita, in intellectu, cui verum, evidens, est hic, & nunc, summum bonum proximum: ut est oculo, alioqui non impedito, coloratum debite præsens, & applicatum.

Deinde retorqueo: potentia visiva non subjicitur immediate imperio voluntatis, ut supra diximus: ergo nec potentia intellectiva.

Objicies 10. Aliqui defacto, concessis præmissis, etiam recte dispositis, negant conclusionem: ergo nostra sententia videtur contra experientiam.

Respondeo, distinguo antecedens: si non bene præmissas penetrarint, concedo; si recte penetrarint, nego antecedens, & consequentiam. Quia, qui penetrat, & funditus cognoscit, duo extrema esse realiter eadem cum uno tertio; evidenter cognoscit, esse eadem inter se: adeoque, & hoc negare non potest; immo neque non affirmare; si sit sui compos: sicut affirmare non potest, quod idem sit, & non sit; vel, quod idem neque sit, neque non sit: cum evidens sit intellectui sano: quodlibet est, vel non est.

Objicies 11. Datur habitus logicus, logice diversus, respectu conclusionis, ac respectu præmissarum: atqui, si post præmissas necessario sequeretur conclusio; habitus hic esset omnino superfluous: ergo conclusio non sequitur necessario post præmissas, etiam recte dispositas, & bene penetratas.

Respondeo, nego maiorem, ob rationem ipsam, ab arguente propositam in minore. Siquidem, in ordine ad id, quod necessario sequitur in hypothesi; hac posita, non remanet superanda nova difficultas, ex vi regularum artis logicæ: adeoque ars quævis nova, habitualis, seu diversa ab illa arte habituali, quæ est superativa difficultatum, in ordine ad ipsam hypothesim; esset omnino superflua. Jam, recte dispositis artificio logicæ præmissis, recteque penetratis beneficio luminis intellectualis, ex natura, vel ex natura simul cum arte; non remanet superanda nova difficultas logice, in ordine ad conclusionem: cum nullo modo resistat intellectus, quin rapiatur a vero evidenter cognito: cujusmodi est veritas conclusionis objectivæ: idest realis identitas extremorum inter se, ex suppositione veritatis præmissarum, objectivarum, jam affirmatarum; idest realis identitatis eorundem

dem extremorum cum uno tertio : ergo, in ordine ad conclusio-  
nem, habitus logicæ, diversus ab habitu logico, in ordine ad præ-  
missas, esset omnino superfluus; adeoque non gratis defacto ad-  
mittendus est.

XII. Objicies 12. Cum Polizzio citato n. 17. si objectum in-  
evidens necessitaret intellectum ad ejus assensum; sequeretur,  
quod, dum alicui, ex una parte, aliqua veritas, etiam naturalis,  
evidenter proponitur, si, ex altera parte, urgeat præceptum eli-  
ciendi aliquem actum fidei de alio objecto; non teneatur talem  
actum fidei elicere: sed hoc videtur inconveniens: ergo & ante-  
cedens: Major probatur: quia potentia tota exhauritur per il-  
lum actum, circa aliam veritatem evidentem.

Respondeo, distinguo majorem: sequeretur, quod non te-  
neatur elicere actum fidei, si habeat physicam virtutem utrunque  
actum simul, hic, & nunc, producendi, nego; si talem virtutem  
non habeat, subdistinguo: non teneatur actum fidei elicere, in  
sensu composito, cum applicatione ad objectum evidens, conce-  
do; in sensu diviso ab illa, nego majorem: & distinguo mino-  
rem: consequens est inconveniens, in sensu negato, transeat; in  
sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Ad proba-  
tionem majoris, distinguo antecedens; ex dictis: per unum,  
actum tota potentia exhauritur, si ille non habeat physicæ po-  
tentiam ad utrunque, concedo; secus, nego antecedens, & con-  
sequentiam, ut supra. Et contra sic argumentor: vel ille intel-  
lectus supponitur tantæ virtutis physicæ, ut possit utrunque  
actum simul producere, vel non: si primam; tenetur ad actum  
fidei elicendum: si secundum; nequaquam, quia ad impossi-  
bile nemo obligari potest: adeoque Deus non poterit huic præcipe-  
re actum fidei, pro hoc instanti, in sensu composito cum actu sci-  
entifico de objecto evidenter representato: unde hic homo, in  
tali casu, ad summum teneri posset ad se distrahendum ab objecto  
evidenter representato, & ad elicendum deinde actum fidei: li-  
cet enim intellectus non possit non assentiri objecto, sibi eviden-  
ter representato; non est tamen, quare nequeat se libere ab illo  
distrahere, & quasi alio avertere: ut potest oculus ab uno obje-  
cto alio se convertere.

XIII. Objicies 13. Cum Lynceo lib. 7. metaph. tract. 4. c. 8.  
apud Arriagani hic scilicet 8. n. 69. si Deus revelat has duas pro-  
positiones, hanc scilicet majorem: *quidquid Deus revelat, verum*

*est* : & illam minorem : *sed Deus revelat, non fore in intellectu tres propositiones* : ex vi harum duarum præmissarum, non poterit intellectus inferre hanc conclusionem : *ergo non erunt tres propositiones in intellectu*. Intellectus igitur non semper necessitatur ad assensum conclusionis.

Respondeo, omisso casu, distinguo consequens : intellectus non semper necessitatur ad assensum conclusionis impossibilis, concedo ; possibilis, subdistinguo : si physice impediatur aliunde, concedo ; secus, nego consequentiam. Nos loquimur de conclusione possibili : siquidem, ut dictum est ad præcedentem objectionem, ad impossibile nemo potest obligari, & necessitari : consequentiam autem ex illis præmissis deducere per tertium actum, coexistentem cum illis, esset impossibile ; aliter falsificaretur divina revelatio. Addo cum Arriaga, prædictum argumentum solvendum etiam esse ab adversario, qui sustinet, intellectum, ex vi præmissarum evidentium, necessitari ad assentiendum conclusioni ; quanvis non necessitetur, ex vi præmissarum probabilium : nam, si Petro evidenter reveletur, ut quidem potest, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib. 3. de Fide*, Deum revelare, in ipsius intellectu tres propositiones non extituras, & præterea Deum mentiri non posse ; poterit ne tunc Petrus conclusionem elicere ? Hactenus quod pertinet ad præmissas. Erit

#### A R T I C U L U S IV.

De reflexione conclusionis supra præmissas.

XIV. **D**ico 1. Dari potest conclusio, quæ reflectat supra præmissas objectivas. Est sententia communis, quam defendunt a fortiori, qui contendunt, quanlibet conclusionem, reflectere necessario supra præmissas objectivas, ut tenent Capreolus, Conimbricenses, Salas, Rubius, Fonseca, Vallius, Arriaga, Oviedus, Giattinus, Polizzius, Semeri, & alii. Assertio probatur. Potest quis ita syllogizare : omnis homo est animal : atqui Petrus est homo : ergo Petrus est animal : quia omnis homo est animal, & Petrus est homo : sed hoc est, conclusionem reflectere supra præmissas objectivas, id est supra objectum præmissarum : ergo potest conclusio reflectere supra præmissas objectivas. Major probatur : quia nulla, in hujusmodi actu illativo, ita

ita reflectente, apparet repugnantia: immo valde congruum videtur actui, ex intrinsecis suis illativo. Minor est explicatio terminorum.

Dico 2. Potest etiam dari conclusio, quæ non reflectat, prædicto modo, supra præmissas objectivas. Assertio est contra auctores supra citatos: pro qua asserri solent Okamus, Gabriel, Gregorius, Averſa, Comptonus, Lynceus, & alii. Probatur: quia ad actum conclusionis sufficit, quod sit iudicium, illatum ex vi præmissarum, seu propter præmissas, ut ita dicam materialiter, seu exercite; non formaliter, & signate: atqui hoc non importat necessario, & essentialiter reflexionem supra præmissas objectivas: ergo potest dari conclusio, quæ non reflectat, modo præ-explicato, supra præmissas objectivas. Minor probatur: quia, ad hoc salvandum, sufficit, quod, habita notitia præmissarum, & affirmata in præmissis identitate extremorum cum uno tertio; intellectus, aliunde instructus lumine naturæ, cognoscens, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se, determinetur ad immediate affirmandum pariter; extrema esse idem inter se: sed ad hoc, non requiritur essentialiter, & necessario prædicta reflexio; per actum conclusionis supra præmissas objectivas: ergo iudicium inferri materialiter, & exercite ex vi præmissarum, non importat necessario, & essentialiter reflexionem ipsius iudicii, supra præmissas objectivas. Minor probatur: sufficienter intellectus determinari potest ad affirmandum immediate, duo extrema esse idem inter se, per hoc, quod affirmaverit in præmissis identitatem extremorum cum uno tertio, & aliunde sit instructus lumine naturæ, quod, quæ sunt realiter eadem uni tertio, sint eadem inter se: ergo &c. Antecedens probatur: quia intellectus, ex dictis, cognita veritate evidenter, satis est potens; & determinatus ad illam, etiam immediate affirmandam, sine reflexione; ut clarius infra assert. 7.

XV. Dico 3. Dari potest conclusio, quæ reflectat supra præmissas formales. Probatur: quia non videtur implicare, quod, quis, per actum conclusionis reflexæ, assentiatur identitati extremorum, inter se, ex vi identitatis ipsorum cum uno tertio, pro ut cognita reduplicative: ita, ut etiam, per eandem conclusionem, simul cognoscat, & assermet cognitiones ipsas, seu præmissas formales, ex vi quarum, talem identitatem in tertio cognovit: sed hoc est, conclusionem reflectere supra præmissas formales: ergo potest

potest dari conclusio, quæ reflectat supra præmissas formales. Major probatur: quia non est assignabilis huiusmodi repugnantia. Minor est explicatio terminorum. Et quidem, licet sufficiat, illas esse motivum, ut quo: quippe sunt representatio, & quasi applicatio objecti, quod immediate moveat ad conclusionem: sicut, in sententia communi, cognitio est representatio bonitatis, quæ immediate movet voluntatem ad amorem; potest tamen etiam accidere, ut præmissæ sint motivum, ut quod, ut communiter discuntur theologi de præmissis, aut quasi præmissis fidei, in ordine ad actum fidei supernaturalis, qui est conclusio, aut quasi conclusio: quavis multi de ipsa locutione divina oppositum teneant, apud Comptonum hic *sect. 5. num. 6.* volentes, illam, quoad actum fidei, esse motivum, ut quo, seu potius meram applicationem motivum. Sed de fide divina, satis dictum est, in *theol. lib. 3.*

**Dicto 4.** Dari etiam potest conclusio, quæ non reflectat supra præmissas formales. Probatur: quia, ex dictis assertionibus secundæ, adhuc, ut actus, seu cognitio, dicatur, hic, & tunc, illatio; sufficit, si fiat dependenter a præmissis formalibus, seu vi illarum; seu propter illas, proptereitate quadam conditionis, materiali, exercita, & ut quo: sed hæc dependentia, hæc proptereitas, hæc quasi causalitas, ut quo, sufficienter salvari potest, per hoc, quod actus ille fiat, apparentibus illis præmissis, modo prædicto, determinantibus ergo dari potest conclusio, quæ non reflectat supra præmissas formales. Minor probatur: non opus est alio determinativo superaddito: ergo sufficienter potest salvari, per hoc, quod actus fiat, apparentibus illis præmissis. Antecedens probatur: præmissæ, ex dictis, necessitant intellectum ad conclusionem; & quidem, tum quoad speciem, tum quoad exercitium: ergo implicat, elici actum hunc, quo affirmatur, v. g. identitas extremorum inter se, apparentibus præmissis, quibus ostenditur, identitas extremorum cum uno tertio; quin dicatur hic actus pendere moraliter a præmissis; fieri, ex vi illarum, & propter illas: ergo non opus est alio determinativo. Sic, ubi causa essentialiter est necessitata ad ponendum aliquem effectum physicum; hoc, quod est, hunc effectum pendere physice a tali causa, salatur sufficienter, per ipsam entitatem effectus, & causæ, absque ullo modo superaddito, aut simili causalitate distincta.

XVI. Di-

XVI. Dico 5. Propositio prædicta reduplicative, ut conclusio, constitueretur inadæquate ab ipsis præmissis: quia, in esse talis, nequit intelligi formaliter constituta, nisi per ipsas: a quibus, modo prædicto, dependendo, dicitur esse iudicium elicitum, ex vi præmissarum, seu propter præmissas, adeoque conclusio, aliquo modo, puta saltem materialiter, & exercite. Ex dictis

Dico 6. Propositio, quæ hic, & nunc, est conclusio; dicenda est, posse non esse talis: nisi efficaciter aliunde constet, illam, in individuo, esse ex intrinsecis suis, essentialiter illativam. Assertio est plurimum recentiorum, & videtur coincidere, saltem ex parte, cum Lynceo. Probatur: quia nulla cognitio, seu propositio entitative, seu specificative considerata, dicenda est implicans non dependere a præmissis, nisi assignetur implicantia: neque enim, defacto sunt ponendæ connexiones essentielles, nisi probentur: quandoquidem standum semper pro divina omnipotentia, proque subiectione creaturarum, in ordine ad absolutum dominium ejusdem omnipotentis: non solum, quoad simpliciter essendum; sed etiam, quoad essendum secundum quid: cum Deus sit omnipotens, nō solum, in ordine ad simpliciter operandum; sed etiam, in ordine ad modum operandi, alioqui non repugnantem: ut fuse, dictum est in *theol. lib. 6. de Sacramentis*, ubi de potentia obedienciali. Sicut igitur, nisi efficaciter probetur, non dicimus, objectum aliquod esse implicans produci; aut permitti simpliciter a Deo, miraculose operante; ita, nisi efficaciter probetur, non est dicendum, quod aliquod, in ordine ad ipsum Deum, miraculose operantem, sit implicans secundum, quid, v. g. implicans separari ab alio, implicans non pendere ab aliquo, implicans componi cum aliquo; adeo, ut veluti resistat aliquibus usibus divinæ omnipotentis, & libertatis: cui tribuendum quidquid non evincitur esse implicans contradictionem. Adeoque ipse, actus, specificative acceptus, qui nunc est conclusio syllogismi; potuisset non esse conclusio: quia nimirum idem numero actus, qui nunc immediate affirmat identitatem extremorum inter se, scilicet determinatus tanquam ab applicatione, ab apparentia præmissarum, ostendunt identitatem eorundem cum ~~inter~~ tertia; potuisset affirmare eandem identitatem extremorum inter se immediate: unde, in esse talis conclusionis, confirmaretur inadæquate a præmissis, modo prædicto, prælucentibus intellectui. Breviter clarius,

XVII.



XVII. Dico 7. Recte coordinatis, penetratis, & affirmatis præmissis; intellectus sanus, physice non impeditus, necessitatur primo, ad non errandum, in inferenda conclusione, cuius objectum videt virtualiter in præmissis: adeoque, ne erret, utque recte inferat (saltem, si velit inferre) non opus est novo præcepto, & regula logica, nec novo formaliter artificio, supra artificium præmissarum. Ideoque secundo, necessitatur ad non eliciendum actum oppositum conclusioni, quam sequi videt ex huiusmodi præmissis: quæ est necessitas, quoad speciem, ut dictum est *art. 2.* Immo tertio necessitatur, per se loquendo, nisi fortasse se alio distrahat, vel aliunde physice impediatur; ad eliciendū actum conclusionis: huiusmodi autē necessitas est vaga: siquidem quarto, actus conclusionis esse poterit, vel duntaxat materialis, & exercitus, & quasi, per actum facti, illativus; quatenus videlicet fiat ex determinatione præmissarum prædicta: qui sane actus non erit reflexivus supra præmissas: vel quinto, esse poterit formalis, signatus, reflexivus supra præmissas, puta supra illas reflectens, proptereitate sibi adæquate intrinseca: quavis non sit huiusmodi actus necessarius: ad eum modum, quod dictum est *in theol. lib. 7. de pœnitentia*, peccatorem, de peccato commisso, dolere posse, ex motivo aliarum virtutum: & tunc actus ille erit actus pœnitivus, seu pœnitentiæ, materialis, exercite, per actum facti: & posse præterea, de eodem peccato, dolere, ut deleat, scilicet ex ipsomet formali motivo pœnitendi: & tunc actus ille erit formaliter pœnitivus, seu formalis, pœnitentiæ, signate, & reflexe: qui sane secundi generis actus non est simpliciter necessarius ad remissionem peccatorum, cum sufficiat primi generis, ut dictum est *in theol.* loco citato.

## A R T I C U L U S V.

Solvuntur objectiones.

XVIII. **O**bjicies 1. Contra primam assertionem: prædicta reflexio vel deberet fieri clare, explicite, & formaliter; vel sat esset, si obscure, implicite, & virtualiter: neutrum dici potest: ergo falsa conclusio.

Respondeo, nego minorem, & dico: posset primo modo; sed sat esset, si secundo. Enim vero potest quis hoc pacto concludere syllogismum: *omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo*

*Ant. Forti.*

*ergo Petrus est animal; quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*: in quo casu, est clara, explicita, & formalis reflexio. Et potest quis, ita syllogizando, concludere: *omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal*: ita, ut Tò, ergo, intelligatur habere vim significandi: *propterea, ex his, hinc, qua de causa, quamobrem, &c.* licet obscure: in quo casu, dicitur haberi reflexio obscura, implicita, & veluti virtualis, supra præmissas objectivas,

Objicies 2. Contra eandem assertionem: si conclusio reflectere posset supra objectum præmissarum; sequeretur, quod medius terminus ingrederetur conclusionem: consequens est contra regulas summularum: ergo & antecedens,

Respondeo, distingo sequelā majoris: sequeretur, quod medius terminus ingrederetur conclusionem, ut quo, concedo; ut quod, nego sequelam majoris, & distingo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Regula summularum præscribit, tales fieri, itaque coordinari præmissas, ut inde medius terminus non ingrediatur conclusionem, ut illius subjectum, aut prædicatum: non autem, ne ingrediatur, ut ratio formalis motiva uniendi subjectum cum prædicato.

XIX. Objicies 3. Contra eandem assertionē: si conclusio reflecteret aliquando supra objectum præmissarum; sequeretur, quod posset quandoque esse simul vera, & falsa: consequens est absurdum, & contra nostra principia *disp. 11. art. 8. asser. 1. et 2.* ergo & id, unde sequitur. Major probatur: nanque id contingeret, si quis ita syllogizaret:

*Omnis substantia est homo:*

*Sed Petrus est substantia:*

*Ergo Petrus est homo; quia omnis substantia est homo, & Petrus est substantia.*

Respondeo, nego majorem: ad ejus probationem, nego assumptum: quia, in tali casu, talis conclusio esset simpliciter falsa, formaliter: quippe simpliciter disformis objecto, ex dictis de veritate; licet quandoque esse possit conclusio materialiter vera, immo, & de fide: ut, si quis inferret, Christum esse hominem, quia est substantia; & omnis substantia est homo: inferret enim verum materialiter ex præmissa falsa, cujusmodi est: omnis substantia est homo.

Objicies 4. Contra eandem assertionem: si conclusio reflecteret

*Phil. Neg. Log.*

H h h h

cteret

Areret supra præmissas objectivas; sequeretur, quod eadem propositio simul esset affirmativa, & negativa: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela probatur: quia id contingeret, si quis ita syllogizaret:

*Nullus homo est hinnibilis:*

*Sed omnis equus est hinnibilis:*

*Ergo nullus equus est homo; quia nullus homo est hinnibilis; & omnis equus est hinnibilis.*

Respondeo, distinguo maiorem respectu diversorum, concedo; respectu ejusdem, nego maiorem: & distinguo minorem: consequens est absurdum, in sensu negato, transeat; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem majoris, nego assumptum, in sensu distinctionis: & dico, conclusionem prædicti syllogismi esse formaliter negativam, virtualiter tamen etiam affirmativam: est formaliter negativa, quia habet modum tendendi negativum inter subjectum, & prædicatum suum: virtualiter affirmativa, quia reflexe affirmat aliquid aliud, nempe omnem equum esse hinnibilem. Neque est absurdum, quod, in hoc sensu, idem actus sit negatio unius, & affirmatio alterius: sicuti non est absurdum, quod idem actus constitutionis sit amor Dei, & odium peccati; quodque aliquis actus odii sit amor sui, & odium objecti, per eundem actum odio habiti.

XX. Objicies 5. Contra eandem assertionem: si conclusio reflecteret supra præmissas objectivas; sequeretur saltem, falsificari doctrinam Aristotelis, ubi docet, quod ex præmissis falsis possit inferri verum: ergo nostra sententia opponitur Aristoteli.

Respondeo, nego antecedens: & primo, dico: Aristoteles non docet, ex præmissis falsis posse inferri verum per conclusionem, reflectentem supra præmissas. Secundo, dico: Aristoteles docet, per conclusionem non reflectentem, posse inferri verum materialiter, seu specificative, non autem formaliter, seu reduplicative: quandoquidem conclusio, quæ non reflectit supra præmissas, constituitur, ex dictis, in esse conclusionis, semiextrinsece, per ipsas præmissas: adeoque, quæ talis, seu, ut conclusio est, non potest simpliciter esse vera; si contineat falsum: ad falsificandum enim simpliciter binarium, seu ternarium propositionum, quæ tale, sufficit falsificatio unius partis: in quo sensu, malum ex quocunque defectu.

Objicies 6. Contra eandem assertionem: si aliquando conclusio

clusio reflecteret supra præmissas objectivas; sequeretur quod quoties quis recordaretur objecti talis conclusionis; recordaretur etiam & objecti præmissarum: sed hoc videtur falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, nego maiorem in universum. Conclusio relinquit quidem in intellectu speciem sui, sui que objecti, quod, in hac hypothesi, continet etiam objectum præmissarum: cum ipsa conclusio reflectat supra præmissas objectivas. Ceterum species illa non semper excitare necessario debet memoriam, & cognitionem totius objecti; si illud sit divisibile: ut patet experientia, pro varietate phantasmatum, species hic, & aunc excitantium. Hinc sæpe contingit, ut, per unam cognitionem, cognoverit quis decem homines; & tamen deinde recordetur unius, vel alterius, & non omnium decem: sicut etiam sæpe contingit, ut quis cognoverit Petrum in talibus, & talibus circumstantiis; & deinde recordetur ejusdem Petri, non autem omnium circumstantiarum, quas, simul cum ipso Petro, per eundem actum, cognovit.

XXI. Obijcies 7. Contra eandem assertionem: si conclusio reflecteret supra præmissas objectivas; sequeretur, quod etiam minor præmissa reflectere posset supra objectum majorem.

Respondeo, transeat hoc: quid tum? verum talis reflexio, licet contingere possit, & fortasse defacto, saltem multoties, contingat, exprimi que soleat per particulam, *sed, atqui*, aut similem; non tamen est necessaria: quia non colligitur ex essentia minoris, ut sic, reflectere, dicto modo, supra maiorem.

Obijcies 8. Contra eandem assertionem: si conclusio reflecteret supra objectum præmissarum; sequeretur, quod intellectus syllogizans, in eodem instanti, bis assentiretur objecto præmissarum: sed hæc repetitio esset inutilis: ergo.

Respondeo, distingo maiorem: sequeretur, quod intellectus syllogizans, in eodem instanti, bis assentiretur objecto præmissarum, diverso modo, concedo: eodem modo, nego maiorem: & distingo minorem: sed hæc repetitio esset inutilis, in sensu negato, transeat: in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Syllogizans, in tali casu, reflectens per conclusionem supra objectum præmissarum, assentiretur eidem objecto indirecte, & transitive, scilicet considerato, in ordine ad aliud, per præmissas vero assentitur illarum objecto directe, & intransitive.

Obijcies 9. Contra secundam assertionem: dependentia con-

clusionis a præmissis, seu ordo transcendentalis, habitudo, respectus, tendentia conclusionis ad præmissas, quam recentiores proptereitatem appellant, scilicet, esse propter præmissas; non potest esse aliquod semiextrinsecum conclusioni: ergo est aliquod, ei adæquate intrinsecum: ergo conclusio reflectit necessario supra præmissas objectivas. Antecedens probatur: ordo ad suum motivum, propter quod, in actibus voluntatis, nequit esse illis semiextrinsecus: ergo neque in actibus intellectualibus.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, distinguo antecedens: si motivum necessitet voluntatem ad actum, nego: si non necessitet, transeat antecedens, & nego consequentiam. Quia, actum elici propter motivum indifferens, non potest explicari, per hoc præcise, quod actus eliciatur, præcognito motivo: cum possit præcognosci motivum indifferens; & nihilominus actus non esse propter illud: nequit tamen haberi motivum, necessitans ad actum sive voluntatis, sive intellectus; & haberi actum non propter illud motivum; aliter non esset motivum necessitans, sed indifferens.

XXII. Obijcies 10. Contra eandem assertionem: præmissæ objectivæ semper sunt motivum conclusionis: sed motivum attingitur ab actu, cujus est motivum: ergo præmissæ objectivæ necessario attinguntur ab actu conclusionis: ergo non potest dari conclusio, quæ non reflectat supra præmissas objectivas.

Respondeo, ex Comptono, distinguo majorem: semper sunt motivum, saltem extrinsecum, seu impulsivum, seu applicativum, & mere, ut quo, concedo; semper intrinsecum, seu terminativum, & ut quod, nego majorem: & distinguo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam.

Obijcies 11. Objectum conclusionis non habet, ex se, sufficientem veritatem ad intellectum movendum: ergo debet necessario movere, mediis præmissis: ergo conclusio debet necessario reflectere supra objectum præmissarum.

Respondeo, distinguo antecedens: ut conclusio est, transeat; non ut conclusio, nego antecedens: & distinguo primum, consequens: ergo debet necessario movere, mediis præmissis, si non consideretur ut conclusio, nego; si ut conclusio, subdistinguo: mediis præmissis, tanquam motivo sive extrinsecus, sive

in-

intrinseco, concedo; necessario, intrinseco, nego primā, & secundam consequentiam. Sensus distinctionis satis constat ex dictis.

Objicies 12. Contra eandem assertionem: objectum præmissarum necessario est objectum formale, respectu actus conclusionis, respectu cuius est objectum materiale ipsum objectum conclusionis: ergo.

Respondéo, nego antecedens: cum assumat id, quod est in quæstione. Licet enim possibilis sit actus ita reflectens; non tamen necesse est, ut, quilibet actus conclusionis, ita se habeat: cum satis superq; in ipso objecto conclusionis inveniri possit: objectum materiale, & formale, nempe veritas, quæ terminet immediate ipsum actum: licet ad hunc præmissæ fuerint motivum impulsivum, seu extrinsecum, seu duntaxat applicativum.

Non negaverim tamen, ut dictum est *in theol. lib. 3. de Fide*, quod huiusmodi actus reduplicative, ut conclusio, haberet, pro objecto formali, objectum præmissarum: enimvero huiusmodi actus reduplicative, ut conclusio, importat tum seipsum, tum præmissas: ergo hic actus reduplicative, pro ut conclusio, inadequate consideratus, scilicet secundum id, quod dicit de præmissis; habet, pro objecto formali, objectum formale præmissarum. Breviter: præmissæ habent, pro objecto formali, suum objectum formale (propositio est verissima, quippe identica) sed actus reduplicative, prout conclusio, importat inadequate ipsas præmissas: ergo actus, reduplicative, prout conclusio, inadequate sumptus, habet, pro objecto formali, objectum formale præmissarum.

XXIII. Objicies 13. Contra eandem assertionem: evidens est intellectui, quod quæ realiter identificantur cum uno tertio, identificentur inter se: sed, in præmissis, cognoscit intellectus, extrema identificari cum uno tertio: ergo, in conclusione, non potest non assentiri huic veritati: sed hoc non nisi reflectendo: ergo.

Respondeo, concesso syllogismo, nego minorem subsumptā. Intellectus enim exercite, & quasi per actum facti, semper affirmat, per conclusionem, extrema identificari inter se: quia cognovit in præmissis, illa identificari cum uno tertio; non tamen est necesse, ut signate, & reflexe per actum conclusionis. Quod, si eidem intellectui satis etiam evidenter repræsentetur hæc veritas universalis conditionalis, quod nimirum, si hæc, & quævis alia extrema identificentur realiter cum uno tertio; identificen-

tur.

tur etiam inter se, ex eo, quia identificantur cum uno tertio: cum, ex generali principio metaphysico, *quæ sunt realiter eadem, cum uno tertio, sunt idem inter se*; assentietur quidem intellectus huic veritati per alium actum; sed, cum id poterit; cū non sit necessesse, ut talem assensum præbeat per ipsum actum conclusionis, de quo hic loquimur.

Objicies 14. Contra eandem assertionem: actus conclusionis intrinsece differt ab assensu præmissarum: sed nonnisi, quia habet proprietatem, respicientem præmissas objectivas, secum adequate identificatam, qui est modus quidam tendendi reflexivus supra præmissas objectivas: ergo necessario reflectit.

Respondeo, distinguo majorem: aliquis actus conclusionis, concedo; omnis, nego majorem: & concessa minore, nego consequentiam. Sensus distinctionis constat ex dictis, quia, licet hujusmodi diversus modus tendendi reflexivus haberi possit in aliquo actu formali, & signato conclusionis; & passim fortasse habeatur, ut exprimitur regulariter per particulam, ergo, quæ videtur significare: *hinc sequitur*, aut quid simile; non tamen est necessarius ad omnem actum conclusionis, etiam materiale, & exercitiū: cum judicium, affirmans hic & illuc identitatem extremorum inter se, apparentibus præmissis, quæ ostendant identitatem eorundem cum uno tertio; non sit, cur reputari non possit actus conclusionis materialiter, & exercite, semiextrinsece talis, ex præmissis, tanquam ex motivo impulsivo, & extrinseco, quanvis non terminativo, & intrinseco: seu potius ex præmissis, tanquam pura applicatione, non tanquam ex medio termino ejusdem actus conclusionis specificative considerati.

XXIV. Objicies 15. Contra eandem: experimur, in omni conclusione, necessario hunc modum tendendi, signate reflexivum supra præmissas objectivas: ergo necesse est, ut omnis conclusio sit essentialiter reflexiva signate supra objectum præmissarum.

Respondeo, nego assumptum eadem facilitate, qua illud asserunt adversarii: quod etiam si verum esset, id scilicet in nobis semper contingere; non adhuc inferretur, id esse simpliciter necessarium omni possibili conclusioni, ex essentiali sua, adeoque respectu cujusvis intellectus syllogizantis.

Objicies 16. Contra quartam assertionem: ex Confalonerio in libros priorum assert. 13. num. 2. conclusio, ut ajunt summulisti, est quasi sententia, quæ profertur a iudice, auditis partibus

atqui

atque sententia fertur a iudice, ex auctoritate testium, ut approbata: ergo & conclusio profertur ab intellectu, ex auctoritate præmissarum, ut affirmatarum: ergo conclusio reflectit supra præmissas formales.

Respondeo, distinguo maiorem: conclusio est quasi sententia, quæ profertur a iudice, auditis partibus, saltem exercite, concedo; necessario, & essentialiter, signate, nego maiorem: & distinguo minorem: sed sententia fertur a iudice, ex auctoritate testium, ut approbata exercite, concedo; signate, subdistinguo: essentialiter, & ex intrinsicis suis, nego; per accidens, & ab extrinseco decreto legislatorum, transeat minor: & nego consequentiam. Sensus distinctionis satis constare potest ex sæpius replicatis: nam *Td*, esse propter, sicut in conclusione, ita & in sententia iudicis, quantum est ex se, scilicet præcise spectata natura, & essentia sententiæ, ut sic; posset salvari exercite, etiam si non habeatur signate: scilicet posset salvari, per hoc, quod testes, approbati, essent iudici motivum extrinsecum, & impulsivum ad ferendam sententiam: si nimirum essent tales, ut determinarent iudicem ad sententiam necessario ferendam: ut præmissæ determinant intellectum ad conclusionem: nam, si adhuc relinquant iudicem indifferentem, ut passim occurrit; non sufficit ad hoc, ut dicatur sententia proferri, ex vi testium, quod existat sententia, præcognitis testibus, & approbatis; sed requiritur alia tendentia specialis, seu ordo reflexivus supra illos: & si similis reflexio, etiam alioqui non necessaria, ex intrinsicis suis, tamen hic, & nunc requireretur a legislatoribus; id satis prudenter, & ad maiorem cautelam in iudicando, vel ob aliam, id genus, finem, requireretur.

XXV. Obijcies 17. Contra eandem assertionem: ex Giattino *quest. 9. log. art. 2. §. ad secundam questionem*: conclusio dicit, duo identificari inter se, quia identificantur cum uno tertio: sed hoc, *quia*, non potest salvari, nisi conclusio reflectat supra præmissas formales: ergo conclusio necessario, & infallibiliter reflectit non solum supra præmissas objectivas, verum etiam supra formales. Minor probatur: ly, *quia*, importat causalitatem, saltem moralem: sed causalitas hæc explicari non potest, nisi conclusio reflectat supra præmissas formales: ergo hoc, *quia*, nequit salvari sine prædicta reflexione.

Respondeo, distinguo maiorem: conclusio dicit hoc, saltem, exerc-



exercite, concedo; necessario signate, nego majorem: & distinguo minorem: in sensu negato, traaseat; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam, Ad probationem minoris, concessa majore, nego minorem. Conclusio affirmat objectum conclusionis, propter præmissas, modo supra explicato: & hoc est, intellectum exercite affirmare conclusionem, quia affirmavit præmissas. Cæterum non est necesse, ut id signate dicat, & reflexe attingat per ipsum actum conclusionis; cujus quidem moralis dependentia a præmissis, ut supra diximus, commode salvatur absque ulla habitudine, ordine, seu modo tendendi speciali, supra illas reflexivo: cum sufficiat dependentia, seu, ut ajunt recentiores, proptereitas meræ applicationis: in quo sensu, dicitur supra etiam cõburi ab igne, propter approximationem. Cæterum, sicuti potest salvari causalitas physica conclusionis ab intellectu; quin cognitio habeat, pro suo objecto, ipsum intellectum, a quo physice dependet; ita absque ulla reflexione supra præmissas, a quibus physice conclusio dependeret, salvari etiam posset causalitas physica conclusionis a præmissis, per physicum influxum, & quidem realiter distinctū, ob indifferentiā ad physice procedendum ab illis. Quidquid in contrarium sentiat Comptonus, & Arriaga.

Objicies 18. Contra eandem assertionem, ex eodem Giatino: aliud est affirmare rem, & causam ipsius moralem: aliud, affirmare rem propter causam. Porro cõclusio est affirmatio propter præmissas formales, tanquam propter causas morales: ergo, affirmare conclusionem propter præmissas, importare necessario debet modum tendendi signate reflexivum supra præmissas.

Respondeo, distinguo majorem: si causa sit indifferens, concedo; si sit determinans, nego majorem; & distinguo minorem: sed conclusio est affirmatio propter præmissas formales, tanquam propter causas morales determinantes, concedo; indifferentes, nego minorem, & consequentiam. Conclusio est affirmatio, seu assensus propter præmissas formales, tanquam propter motivum extrinsecum, & impulsivum, & propter causam moralem: simili quodam modo, ac deambulatio nocturna est propter lumen lucernæ, ostendentis viam: cum hoc tamen discrimine, quod lumen lucernæ non determinet potentiam ad ambulandum: adeoque, ut dicatur potentia ambulare, ex vi lucernæ; requiratur aliquid aliud: præmissæ vero determinant intellectum ad assensum

*Ant. Forti.*

sum

sum conclusionis; adeoque non opus sit alia tendentia, seu ordine speciali, præter ipsum esse conclusionis, & esse præmissarum, affirmatarum ab intellectu, ut dicatur conclusio pendere a præmissis, modo explicato.

## A R T I C U L U S VI.

De bonitate illationis.

XXVI. **D**ico 1. Intellectus, recte syllogizans, cognoscit bonitatem illationis objectivæ. Probatur, quia bonitas illationis objectivæ est connexio objecti præmissarum cum objecto conclusionis: sed intellectus, recte syllogizans, cognoscit connexionem objecti præmissarum cum objecto conclusionis: ergo intellectus, recte syllogizans, cognoscit bonitatem illationis objectivæ. Major est explicatio terminorum. Minor probatur: qui non cognoscit connexionem objecti præmissarum cum objecto conclusionis; non potest moveri ab objecto præmissarum, ad inferendum objectum conclusionis: sed intellectus, recte syllogizans, movetur, ex dictis, ab objecto præmissarum ad inferendum objectum conclusionis: ergo intellectus, recte syllogizans, non potest non cognoscere connexionem objecti præmissarum cum objecto conclusionis. Major probatur: quia, si quis, non cognito motivo, seu, non cognita connexione duorum, affirmaret unum propter aliud; iste talis omnino temere, & imprudenter procederet: nec dicendus esset philosophari, & discurrere, sed potius divinare, ni dicere velimus, insanire, ut innuebam.

*art. 1. num. 1. contra Erasistratum.*

Dico 2. Hujusmodi autem bonitatem illationis objectivæ licet possit intellectus syllogizans cognoscere signate, & reflexe, puta, sive per ipsum actum conclusionis, sive per alium actum superadditum: cum non repugnet, ex dictis, hujusmodi modus tendendi signatus, & reflexivus: sive in ipsa conclusione, sive in alio actu superaddito; nihilominus potest intellectus syllogizans cognoscere, solum exercite, per ipsum syllogismum, bonitatem prædictam illationis objectivæ. Hæc assertio probatur: quia nulla est necessitas aut prædicti modi tendendi, signate reflexivi, supra hujusmodi bonitatem illationis objectivæ, in ipso actu conclusionis; aut alicujus actus superadditi. Enimvero intellectus, licet cognoscat quidem, se cognoscere: sicut qui amat, eo-

*Pbil. Neg. Log.*

I i i

gno-

gnoscit, se amare: & qui videt, cognoscit, se videre: & licet id cognoscere possit signate, & expresse, etiam per actum superadditum; non tamen necesse est: sed sufficit, quod id cognoscat, & experiatur exercite, per ipsam cognitionem: ergo intellectus recte syllogizans, licet id cognoscat, & cognoscere quidem possit, vel per ipsum actum conclusionis reflexivum, vel signate, & expresse, per alium actum superadditum; id tamen necesse non est: cum sufficiat, ut id cognoscat exercite, per ipsum syllogismum, hic, & nunc, nempe per ipsas hasce propositiones, quæ hic, & nunc construunt syllogismum. Eodem modo,

XXVII. Dico 3. Intellectus recte syllogizans cognoscit bonitatem illationis formalis. Probatur: quia bonitas illationis formalis est connexio ipsarum præmissarum formalium cum conclusione formali, quæ elicitur ex vi illarum: sed intellectus recte syllogizans cognoscit connexionem prædictam: ergo intellectus recte syllogizans cognoscit bonitatem illationis formalis. Major est explicatio terminorum. Minor probatur, ut supra: intellectus recte syllogizans cognoscit, se inferre conclusionem formalem, ex vi præmissarum formalium: ergo cognoscit connexionem ipsarum præmissarum formalium cum conclusione formali; aliter imprudenter, & temere omnino procederet. Antecedens probatur: quia intellectus cognoscens cognoscit, se cognoscere, ut supra dicebam: sicuti amans experitur, se amare: & videns experitur, se videre: ergo intellectus, taliter cognoscens, cognoscit, se taliter cognoscere: ergo intellectus, inferens conclusionem formalem ex vi præmissarum formalium, cognoscit, se inferre conclusionem formalem, ex vi præmissarum formalium.

Dico 4. Huiusmodi bonitatem illationis formalis, licet possit intellectus syllogizans cognoscere signate, & reflexe, sive per ipsum actum conclusionis, sive per alium actum superadditum: cum non repugnet, ex dictis, huiusmodi modus tendendi signatus, & reflexivus, sive in ipsa conclusione, sive in alio actu superaddito; nihilominus potest intellectus syllogizans cognoscere solum exercite, per ipsum syllogismum, bonitatem prædictæ illationis formalis. Probatur: quia potest intellectus syllogizans cognoscere solum exercite, per ipsum syllogismum, bonitatem illationis objectivæ: ergo, a fortiori, potest intellectus syllogizans cognoscere solum exercite, per ipsum syllogismum, bonitatem illationis formalis. Antecedens constat ex dictis *assert.* 2. Consequen-

quentia tenet, ob identitatem rationis : nec enim est assignabilis dispar ratio, unde in hoc specialis repugnantia inferri possit.

## ARTICULUS VII.

Analysis prædictorum in argumenta  
negativa.

XXVIII. **D**ico : Tota hæc *disp.* 12. præcipue devolvitur in hæc puncta : primum videlicet : præmissæ non influunt physice in actum conclusionis, sed solummodo directive.

Probatur aliquando tandem : quia nulla est necessitas, aut sufficiens motivum dicendi, quod physice influant : cum possint omnia bene salvari, per solum influxum moralem, idest illuminativum, seu directivum, alioqui admissum etiam ab adversariis.

Secundum, necessitant intellectum ad conclusionem, necessitate, quoad speciem.

Probatur, quia non est explicabile, quomodo possit intellectus affirmare falsum, cognitum evidenter, ut falsum ; aut negare verum, cognitum evidenter, ut verum : sicut non est explicabile, quomodo possit voluntas amare malum, cognitum evidenter, ut malum ; aut odire bonum, cognitum evidenter, ut bonum. Et in universum, sicut nequit ulla potentia tendere in aliquod, in quo non inveniatur ratio formalis objecti, ad talem potentiam pertinentis.

Tertium, necessitant etiam, necessitate, quoad exercitium.

Probatur, quia non probatur, nec præsumenda est in intellectu, physice non impedito, aut distracto, libertas, seu indifferentia aut non affirmandi verum cognitum evidenter, ut verum ; aut non negandi falsum, cognitum evidenter, ut falsum : sicut non probatur, nec præsumitur talis libertas, seu indifferentia in potentia visiva, physice aliunde non impedita, & non alio distracta, in ordine ad non videndum objectum suum, sibi alioqui debite præsens, & applicatum sufficienter : nec similis libertas tribuitur aliis potentiis, alioqui necessariis, in sua linea, proportionis servata, & in sensu accommodato.

Quartum, conclusio potest supra præmissas, adeoque & supra bonitatem illationis reflectere, & potest non reflectere.

Probatur, quia neutrius generis conclusio videtur involvere repugnantiam.

XXIX. Dico 2. Adversarii oppositum sustinent contra nos. Eorum rationes eo devolvuntur tandem, si bene considerentur: puta,

Quoad primum: quia præmissæ habent omnia signa, & requisita, ut reputentur causæ physicæ, respectu conclusionis: ergo, sicut aliæ, in quibus huiusmodi signa, & requisita reperiuntur, defacto reputantur causæ physicæ, respectu suorum effectuum, & non morales duntaxat; ita & præmissæ, respectu conclusionis, quam alioqui causant, nobis fatentibus. Antecedens probant: quia non est assignabile, quodnam, ex huiusmodi signis, aut requisitis, deficiat præmissis. Consequentiam probant inductione, & paritate: cum non assignetur, in subjecta materia, dispar ratio.

Quoad secundum, & tertium: quia tanta vis movendi, contra quam positive, aut saltem negative procedere non possit intellectus, puta per libertatem, seu indifferentiam positivam, idest quoad speciem: aut saltem negativam, idest quoad exercitium; non probatur sufficienter, nec debet præsumi: ergo, sicut voluntas est libera, quoad omne bonum, saltem creatum: & sicut potest despotice imperare aliquibus potentiis executivis, sibi subiectis; ita & poterit intellectui, quantunvis post præmissas recte dispositas, & bene penetratas, in ordine ad actum conclusionis.

Quoad tertium: aliqui, in ordine ad primam partem, quia connectiones essentielles in creaturis vel repugnant: vel saltem non sunt defacto admittendæ, nisi positive (sic loquuntur adversarii) probentur: atqui non probatur positive, quod ullus actus intellectualis, seu conclusio possibilis, aut saltem defacto existens, sit, modo suo, connexus essentialiter cum præmissis, ita ut sit implicans poni, & non dependenter ab illis: ergo dicendum, quod talis actus vel repugnet, vel saltem nunquam defacto detur. Alii, e diametro oppositi, in ordine ad secundam partem: quia sine proptereitate, adæquate intrinseca actui intellectuali, dicente ordinem ad præmissas recte dispositas, & penetratas, adeoque ad bonitatem illationis, nequit intelligi, & explicari, quoniam modo possit constitui in esse conclusionis: sicut, sine tali proptereitate in suum motivum, nequit intelligi, & explicari, in actibus voluntatis, quid sit, hunc actum hic, & nunc procedere, & causari finaliter ab

ab hoc, aut illo motivo : scilicet quid sit, hanc numero actionem fieri propter hunc, aut propter alium finem.

*Corollarium.*

Sed hæc, & similia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, sunt negativa : cum tandem aliquando resolvantur in alicujus objecti non apparentiam : ut constat ex dictis in Clavi *disp.* 1. ergo tam nos, quam adversarii in hac *disp.* 12. de syllogismo in communi, argumentis utimur Negativis.



DISP.

# DISPUTATIO DECIMATERTIA

## De Syllogismo demonstrativo.

*Primo, quid sit metaphysice, & quotuplex syllogismus demonstrativus. Secundo, de ejus præmissis. Tertio, de certitudine, & evidentia talium præmissarum.*

*Quarto, an hæ sint veriores, certiores, evidentiores conclusionem. Quinto, de conclusione syllogismi demonstrativi: ubi, de scientia, & circulo, seu regressu: & de prærequisitis ad demonstrationem.*

### A R T I C U L U S I.

Quid sit, & quotuplex syllogismus demonstrativus.

**I.** **D**ico 1. Syllogismus demonstrativus, seu demonstratio, metaphysice definitur ab Aristotele *prim. post. cap. 2.* syllogismus scientialis, seu faciens scire: quod passim explicatur per hoc, quod sit syllogismus, constans præmissis certis, & evidentibus; unde deducitur conclusio certa, & evidens, in qua proprie residet scientia: siquidem syllogismus demonstrativus, seu demonstratio adæquate, idest prout importans tum præmissas, tum conclusionem, est syllogismus, in quo, ex præmissis certis, & evidentibus, infertur conclusio certa, & evidens.

Dico 2. Demonstratio dividitur primo: in demonstrationem a priori, & demonstrationem a posteriori. Primi generis est, in qua per causam, vel quasi causam, demonstratur effectus, vel quasi effectus. Secundi generis, in qua, per effectum, vel quasi effectum, demonstratur causa, vel quasi causa: cujus divisionis explicatio constat ex *disp. præcedente de syllogismo in communi art. 1.* Dividitur secundo demonstratio in demonstrationem perfectissimam, seu potissimam, & in demonstrationem non perfectissimam. Primi generis est, ex Aristotele, syllogismus, constans ex præmissis, 1. veris, 2. primis, 3. immediatis, 4. notioribus, 5. prioribus, 6. causis conclusionis, 7. necessariis, 8. universalibus,

libus, 9. propriis. Quarum proprietatum explicationem habet sequens articulus. Secundi generis demonstratio est syllogismus, constans præmissis certis quidem, & evidentibus, at non omnes prædictas proprietates habentibus. Erit autem magis, vel minus perfecta demonstratio, quo magis, vel minus accesserit ad perfectissimam: eo nimirum, quod plures, vel pauciores proprietates habeat, ex requisitis ad perfectissimam: vel illas modo magis, aut minus perfecto participet: puta ubi modus participandi suscipere possit, in aliquo sensu, magis, & minus: quod infra explicandum erit. Interim

Dico 3. Syllogismus, physice sumptus, constituitur præmissis, & conclusione certis, atque evidentibus. Assertio satis constat ex supra dictis. Dixi autem, præmissis, puta vel duabus realiter distinctis inter se; vel una, æquivalenter duplici, quæ duarum vim habeat, quoad inferendum, ut innuebam *disp. præc. art. 1.* Ut igitur syllogismi demonstrativi, quasi per anatonien, essentiam physicam perscrutemur; videndum prius de ejusdem præmissis, tum de conclusione.

## A R T I C U L U S II.

De præmissis syllogismi demonstrativi.

II. **D**ico 1. Præmissæ syllogismi, utcunque demonstrativi, debent esse certæ, & evidentes. Quid autem sit, esse certum; quid, esse evidens, mox explicabitur. Præmissarum vero syllogismi demonstrativi perfectissimi, seu demonstrationis perfectissimæ, ut innuebam *art. 1. assert. 2.* novem præcipuè recensentur proprietates, 1. veritas, 2. primitas, 3. immediatio, 4. notioritas, 5. prioritas, 6. causalitas, 7. necessitas, 8. universalitas, 9. proprietas. Enimvero

Dico 2. Prima proprietas est veritas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi, seu demonstrationis perfectissimæ, debent esse veræ: quæ proprietas convenit etiam cuilibet syllogismo demonstrativo. Et sane, si præmissæ syllogismi demonstrativi debent esse certæ, & evidentes; a fortiori debent esse veræ: cum certitudo, & evidentia, de quibus infra, requisita ad syllogismum demonstrativum, supponat veritatem. Quid autem sit, eas esse veras, constat ex dictis *disp. 1. de veritate.*

Dico.



Dico 3. Secunda proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi perfectissimi, est primitas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi perfectissimi debent esse primæ, idest per se notæ, & indemonstrabiles per alias præmissas: scilicet debent esse tales, ut per se innotescant ex sola perceptione terminorum: ut sunt prima principia, v. g. idem non potest simul esse, & non esse: totum est majus sua parte.

Dico 4. Tertia proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi perfectissimi, est immediatio: nam præmissæ syllogismi demonstrativi perfectissimi debent esse immediatæ, nimirum demonstrantes immediate prædicatum de subjecto, per causam, vel quasi causam ipsius immediatam. Hinc sequitur, in demonstratione perfectissima, probari de subjecto primam passionem per essentiam, seu definitionem illius prædicati, a quo talis passio immediate, suo modo, procedit. Unde, in sententia communi, si demonstraretur homo esse risibilis, quia rationalis; hæc non esset demonstratio perfectissima: quia risibilitas immediate profluere intelligitur ab admirativitate, non a rationalitate.

Dico 5. Quarta proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi perfectissimi, est notioritas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi perfectissimi debent esse notiores, idest, ex propositionibus per se notis, melioris conditionis: quandoquidem, etiam inter propositiones, per se notas, dantur magis, vel minus perfectæ. Et quidem magis perfectæ existimantur illæ, quæ sunt per se notæ, tum quoad nos, tum quoad se, & insuper evidentes. Enimvero propositio per se nota, alia est talis, tum quoad nos, tum quoad se; alia quoad nos, non vero, quoad se. Primi generis est, quæ non solum quoad nos, sed nec in se habet medium, unde demonstrari possit, v. g. quodlibet vel est, vel non est. Secundi generis est, quæ in se habet medium, unde demonstrari possit; sed nos illud ignoramus, & solum cognoscimus, rem illam in se, v. g. Ætna mons intestinalis incendiis agitur. Jam dividendo ulterius,

III. Dico 6. Propositio per se nota, alia est evidens, alia probabilis. Primi generis est, v. g. totum est majus sua parte. Quid autem sit evidentia, explicabiliter infra. Secundi generis est, v. g. mater diligit suum filium. Itaque evidens propositio, alia dicitur primum principium; alia vero non item. Primum principium est, quod non aliunde demonstrabile est: quæ vero

*Ant. Forti.*

non

non est primum principium, licet sit propositio evidens; dicitur propositio ex primis principiis demonstrata.

Dico 7. Prima principia dividuntur, ex philosopho hic cap. 2. in dignitates, pronunciata, postulata.

Primo, dignitas est propositio omnibus nota, & præsupponenda ad omnem scientiam, v. g. idem simul esse, & non esse, non potest: totum est majus sua parte.

Secundo, pronunciata, vel sunt suppositiones, vel definitiones: suppositiones sunt propositiones, notæ quidem ex terminis; at, si recte explicentur: ideoque, non omnibus cognitæ, prima fronte, sed ante scientiam explicandæ: ut in mathematicis, v. g. *si ab inæqualibus æqualia demas; quæ remanent sunt inæqualia.* Definitiones sunt explicationes rerum, quæ patent ex ipsis terminis, v. g. punctum est, cujus pars nulla est, vel nulla esse concipitur: linea est longitudo, cujus latitudo nulla est, vel nulla esse concipitur.

Tertio, postulata sunt propria mathematicorum, quædam nimirum petitiones, ut aliquid fiat, vel demonstretur, v. g. rectam lineam bifariam secare. Placuit, pro Tyronibus hæc inferre, & ita explicare cum Confalonerio in lib. post. assert. 14, ad intelligentiam terminorum. Regrediendo ad rem nostram,

Dico 8. Quinta proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi perfectissimi, est prioritas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi, perfectissimi, debent esse priores, idest per se notæ a priori: pro cujus proprietatis explicatione. Propositio per se nota, alia est talis a priori, alia a posteriori. Primi generis est, in qua prædicatum nequit demonstrari de subiecto, per causam, seu quasi causam, idest per rationem a priori: cujusmodi sunt propositiones de essentiis rerum, in sua linea: si enim potest explicari per aliud prius; non est primum. Secundi generis est, in qua prædicatum nequit demonstrari de subiecto, per aliquem effectum, posteriorem: cujusmodi sunt propositiones de ultima subiecti passione: si enim passio demonstrari potest per aliam posteriorem; non est ultima.

IV. Dico 9. Sexta proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi, perfectissimi, est causalitas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi, perfectissimi, debent esse causa conclusionis, non solum in cognosci, sed & in esse: ut scilicet medius termi-

*Phil. Neg. Log.*

K k k k

nus

nus, in illis contentus, sit causa, vel quasi causa, idest causa physica, vel metaphysica objecti conclusionis.

Dico 10. Septima proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi, perfectissimi, est necessitas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi, perfectissimi, esse debent necessariæ; & quidem necessitate absoluta, quarum scilicet prædicatum, absolute implicet, nõ convenire subiecto.

Dico 11. Octava proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi, perfectissimi, est universalitas: nam præmissæ syllogismi demonstrativi, perfectissimi, esse debent universales, idest primo, de omni: secundo, secundum quod ipsum: tertio, per se. Primo, de omni, quarum scilicet prædicatum conveniat omnibus inferioribus illius speciei: secundo, secundum quod ipsum, idest quarum prædicatum conveniat subiecto, quæ tali, cum quo dicatur ad convertentiam: tertio, per se, quarum scilicet prædicatum conveniat subiecto per se, non autem per accidens: per se autem, in primo modo. Nam quatuor sunt per Aristotelem modi per se: primus est, cum prædicatum est de essentia, seu quidditate subiecti: secundus, cum prædicatum est passio, necessario fluens a subiecto: tertius modus competit substantiæ, quæ per se existit, & non in gratiam alterius, instar accidentis: quartus modus competit causæ, in ordine ad effectum realiter distinctum, ad quem, ex natura sua, ordinatur: ut cum dicitur: musicus cantat: non autem esset prædicatio per se, sed per accidens, si diceretur: musicus ædificat.

Dico 12. Nona proprietas præmissarum syllogismi demonstrativi perfectissimi, est proprietas. Nam præmissæ syllogismi demonstrativi, perfectissimi, esse debent propriæ, idest solum aptæ ad hanc determinatam conclusionem inferendam: huiusmodi sunt, v. g. quæ continent rei definitionem, quæ non potest rebus, ab illa re distinctis, esse communis. Ex dictis,

Dico 13. Constat primo, quam difficile sit, demonstrationem perfectissimam invenire: secundo, constat, ut supra innuimus, præmissas cujuscunque syllogismi demonstrativi esse debere saltem veras, certas, & evidentes. Jam, quoniam de veritate dictum est disp. 11. oportet hic breviter certitudinem, & evidentiam explicare.

A R-

A R T I C U L U S III.

De certitudine.

V. **D**ico 1. Certitudo in communi alia est objecti, alia conclusionis: prima certitudo est necessaria connexio, vel disconnexio inter subjectum, & prædicatum propositionis: secunda certitudo, quæ dicitur etiam formalis; vel primo, est objectiva: vel secundo, subjectiva, seu, ut alii loquuntur, adhesiva. Certitudo cognitionis, seu formalis objectiva, est necessitas ad veritatem; vel, quia cognitio, ex intrinsicis suis, habet exigentiam, ut sit vera, etiam de objecto, aliqui contingenti: cuiusmodi est, in sententia communi theologorum, actus fidei: supernaturalis, v. g. de Incarnatione Verbi: vel, quia objectum necessario ita se habet, sicuti per ipsam cognitionem representatur, cuiusmodi est propositio, in materia necessaria, v. g. homo est animal rationale: Dens est, habens tractivum omnis ulterioris perfectionis, simpliciter simplicis: juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib. 1. de Deo*. Certitudo cognitionis, seu certitudo formalis subjectiva, aut adhesiva, est firma adhesio cognitionis, per quam intellectus firme judicat, objectum ita se habere, sicuti per cognitionem representatur: adeo ut firme, voluntarie persistere, vel in tali iudicio. Hæc autem certitudo subjacet, falsitati; nisi proveniat ex evidentia. Unde hanc certitudinem adhesivam habere potest, ad suos articulos falsos, etiam falsa fides hereticorum, ut dictum est in *theol. lib. 3. de Fide*:

Dico 2. Certitudo formalis subdividitur trifariam, celebri divisione, in metaphysicam, physicam, & moralem. Prima, quæ est omnium nobilissima, & regulariter, antonomastice venit nomine certitudinis, est, quæ fundatur in principiis, seu objectis, quæ nec miraculose possunt abesse a vero, v. g. certitudo illius actus, quo enunciatur: quodlibet est, vel non est: insuper certitudo actus fidei supernaturalis, qui talis sit, ex intrinsicis suis. Secunda certitudo est, quæ fundatur in principiis naturalibus, quæ, licet naturaliter non possint fallere; possunt tamen miraculose: v. g. certitudo actus, quo judicamus, hæc accidentia parietis, quæ cernimus, esse nunc in subjecto; quia accidens nequit naturaliter conservari sine subjecto: hoc enim potest divinitus contingere, ut contingit defacto in Eucharistia: nec potest naturaliter videri, aut percipi sensibus objectum non actu existens. Tertia certitudo

do, est certitudo actus, ex motivo, vel objecto fallibili quidem, etiam naturaliter, sed perquam difficile, v. g. certitudo illius actus, quo credimus. Sinarum regnum existere, ob illorum testimonium: qui, licet mentiri possint, aut falsum dicere; difficillimum tamen est, eos omnes defacto mentiri, aut loqui falsum: vel certitudo illius actus, quo judicamus, aliquem nunc, sedentibus nobis in gymnasio, urbem perambulare.

## ARTICULUS IV.

### De evidentia.

VI. **D**ico 1. Evidentia est, quasi objecti videntia, seu visio, idest talis cognitio, & tam clara, ut, per ipsam, necessario intellectus cōvincatur de vera certitudine, tum ipsius cognitionis, tum objecti, per illam expressi. Itaque, ut videtis, evidentia differt primo, a veritate: quia hæc est conformitas cognitionis cum objecto, præscindendo a certitudine, idest a necessitate, vel indifferentia ad veritatem. Differt præterea, evidentia a certitudine: quia certitudo, si sit objectiva, licet dicat necessitatem ad veritatem; non tamen importat, ex suo modo tendendi, & ex suo conceptu, tantam claritatem, ut inde necessitet intellectum ad assensum, vel dissensum. Hinc actus fidei supernaturalis, licet sint certi; non sunt tamen, saltem defacto regulariter, evidentes. Si vero sit certitudo formalis adhæsiva; non solum componi potest cum obscuritate, sed etiam cum falsitate, ut notat Aristoteles 7. *eth. cap. 3.* & ideo addidi, *Tò, de vera certitudine.*

Dico 2. Evidentia, vel est in actu primo, vel in actu secundo. Evidentia in actu primo, quæ etiam evidentia causalis nuncupatur, est cognitio, quæ, sua claritate, necessitat intellectum ad affirmandum, vel negandum objectum repræsentatum: & huiusmodi sunt præmissæ, respectu conclusionis. Evidentia in actu secundo, quæ etiam formalis appellatur, est claritas ipsius actus, quæ intellectus, non solum necessitatur; sed etiam redditur impotens formidare, circa objectum repræsentatum: cuiusmodi est illa cognitio: quodlibet vel est, vel non est.

Dico 3. Evidentia in actu secundo, seu formalis dividitur in immediatam, & mediatam. Immediata est, cum veritas cognitionis clare patet ex ipsis terminis, v. g. totum est majus sua parte.

te. Evidentia mediata est, cum veritas cognitionis, non ex ipsis met terminis, sed ope medii termini, clare patet.

Dico 4. Ut certitudo, ita evidentia passim dividitur trifariam in metaphysicam, physicam, & moralem. Prima, est claritas cognitionis, omnino infallibilis, & excludentis formidinem, in omni casu possibili. Secunda, est claritas cognitionis, naturaliter infallibilis, & excludentis formidinem, in omni eventu naturali. Tertia, est claritas cognitionis, valde difficile, aut valde raro fallibilis (quæ scilicet nunquam fallat, aut fere nunquam) formidinem excludentis. De hac autem evidentia, ut de certitudine, plura dicta sunt in *theol. lib. 3. de Fide*. Quibus præexplicatis, facile declarabit

## A R T I C U L U S V.

An præmissæ syllogismi demonstrativi sint veriores, certiores, evidentiores conclusione.

VII. **D**ico 1. Præmissæ syllogismi demonstrativi non sunt veriores conclusione. Probatur: quia non potest una propositio esse altera verior: cum veritas consistat in indivisibili, ut probatum est *disp. 11. de veritate*.

Dico 2. Præmissæ syllogismi demonstrativi non sunt certiores conclusione, certitudine objecti. Probatur: quia, ut etiam *loco citato* dictum est, non potest unum objectum, proprie, & rigorose loquendo, esse magis necessarium; quam alterum: sicut nec magis impossibile, aut magis ens, aut magis existens, aut magis non existens, quam alterum; licet possit unum esse magis, aut minus perfectum: non enim, quia Deus est ens perfectius homine; est magis ens, quam sit homo: sicuti homo non est magis animal, quam equus; licet sit animal magis perfectum, quam equus: sed, ut una propositio esset certior altera, certitudine objecti; deberet objectum unius esse magis necessarium, quam objectum alterius: ergo non potest una propositio esse certior altera, certitudine objecti: ergo præmissæ non sunt, in hoc sensu, certiores conclusione.

Dico 3. Si sermo sit de certitudine formali, adhæsiiva; præmissæ, qua tales, sunt certiores conclusione. Quod intelligendum in quovis syllogismo, ubi comparentur cognitiones objecti for-

ma-

malis, cum cognitione objecti materialis. Est sententia communis ex Aristotele, & probatur: intellectus adhæret objecto præmissarum, quâ tali certitudine quadam appetitive, seu interpretative, majore; adeoque magis perfecta; quam objecto conclusionis; sed hæc est major quædam certitudo adhæsiva; ergo præmissæ habent certitudinem adhæsivam majorem; quam habeat conclusio. Minor non indiget probatione: hoc enim intelligimus, nonne majoris certitudinis adhæsivæ; aliter erit quæstio de nomine. Major probatur: voluntas, modo suo, appetitive, seu interpretative, dicitur magis amare finem, quam medium; magis objectum formale, quam materiale, v. g. magis sanitatem, quam medicinam: ergo intellectus, modo suo, appetitive, seu interpretative, magis intelligitur adhærere objecto præmissarum; quam objecto conclusionis: nam objectum præmissarum est objectum formale: objectum vero conclusionis, objectum materiale, respectu intellectus. Et sane regulariter, & per se loquendo, si quis deberet omittere vel amorem finis, vel amorem medii; potius omitteret amorem medii, quam amorem finis, qui movet ad amandum medium, v. g. amorem medicinæ potius, quam sanitatis: &, in subiecta materia, intellectus, si ab alterutro se deberet avertere; potius se avertere intelligeretur ab objecto conclusionis, quod affirmat, propter objectum præmissarum; quam ab objecto præmissarum, quod affirmat, propter se. His non obstantibus,

VIII. Dico 4. Conclusio, quâdoq; in aliquo sensu minus proprio, esse potest certior præmissis: vel scilicet primo, certitudine materiali: vel secundo, intensiva. Primo, certitudine materiali; in quantum esse potest certa ex pluribus capitibus, quam præmissæ. Secundo, certitudine intensiva, idest certitudine adhæensionis, essentialiter quidem minore, at gradualiter majore: sicuti volitio inefficax salvandi merces, potest esse intensive major in mercatore navigante; quam volitio efficax quidem, at valde remissa, illas projiciendi in mare, imminente naufragio. Quæ enim in hujusmodi actibus intellectualibus repugnantia?

Dico 5. Simili modo, proportionem servata, discurrendum de evidentia, asserendo nimirum, præmissas esse evidenter conclusionem, veluti appetitive, & interpretative: non quia illæ convincant intellectum de veritate, aut certitudine objectiva majore: hoc enim nequit, juxta superius tradita: sed quia immedia-

diatē patent intellectui syllogizanti: conclusio vero mediatē, scilicet mediis præmissis, & quasi per lumen, ab ipsis emendicatum. Jam evidētia immēdiata, rationabiliter reputatur major appretiative, & interpretative, utpote magis perfectā in suo genere; quam evidētia mediatā, ut de certitudine dictum est. Et in hoc sensu locum habet ex Aristotele 1. *post.* tritum illud, *propter quod unumquodque tale; & illud magis*: quod axioma, etiam si in aliis causis, non raro fallat, multasque patiatur difficultates; in causā tamen motivā intentionali, adeoque in subiectā materia, verum communiter reputatur, si recte explicetur, ut notat Comptonus, & Peñafiel, ex eodem Aristotele, qui utitur exemplo cognitionis, & amoris. Quidquid contra putent alii cum Hurtado *disp.* 11. *log. sect.* 3. *num.* 46. qui contendunt, illud, non nisi in causā finali, locum habere, v.g. si diligimus pœnitentiam propter gloriam; magis, idest a fortiori, diligimus gloriam ipsam, quam pœnitentiam: si diligimus Petrum propter sapientiam ejus; a fortiori diligimus sapientiam: & in universum, si diligimus aliquid propter motivum distinctum; a fortiori diligimus ipsum motivum, puta sive eodem, sive diverso genere amoris, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib.* 7. *de pœnitentia*. Quod sane, proportionē servatā, cum militet identitas rationis, dicendum etiam de actibus intellectus. Prædicto axiomati simile tradidit Aristoteles in *metaph. lib.* 2. *cap.* 4. *unumquodque maxime tale est præ ceteris, cujus causa, ceteris nomine, & ratione, idem convenit*. Legite, si lubet, Comptonum *disp.* 44. *log. sect.* 2. *n.* 12. & Peñafielem in *log. disp.* 8. & 17. *quest.* 5. *a num.* 2. ubi tamen multa congerit, quæ non placent. Hæc de præmissis.

## A R T I C U L U S V.

De conclusione syllogismi demonstrativi,  
ubi

de scientia, & circulo seu regressu, & de prærequisitis  
ad demonstrationem.

IX. **D**ico 1. Scientia, quanvis late sumi possit diversimode, nimirum, etiam prout dicitur de his, quæ opinamur, & credimus; strictē tamen, apud philosophos, scientia est cognitio certa, & evidens rei per causam, aut quasi causam, idest per



malis, cum cognitione objecti materialis. Est sententia communis ex Aristotele, & probatur: intellectus adhæret objecto præmissarum, quâ tali, certitudine quadam appetitive, seu interpretative, majore; adeoque magis perfecta; quam objecto conclusionis; sed hæc est major quædam certitudo adhærsiva; ergo præmissæ habent certitudinem adhærsivam majorem; quam habeat conclusio. Minor non indiget probatione: hoc enim intelligimus, nomine majoris certitudinis adhærsivæ; aliter erit quæstio de nomine. Major probatur: voluntas, modo suo, appetitive, seu interpretative, dicitur magis amare finem, quam medium; magis objectum formale, quam materiale, v. g. magis sanitatem, quam medicinam: ergo intellectus, modo suo, appetitive, seu interpretative, magis intelligitur adhærere objecto præmissarum; quam objecto conclusionis: nam objectum præmissarum est objectum formale: objectum vero conclusionis, objectum materiale, respectu intellectus. Et sane regulariter, & per se loquendo, si quis deberet omittere vel amorem finis, vel amorem medii; potius omitteret amorem medii, quam amorem finis, qui movet ad amandum medium, v. g. amorem medicinæ potius, quam sanitatis: &, in subjecta materia, intellectus, si ab alterutro se deberet avertere; potius se avertere intelligeretur ab objecto conclusionis, quod affirmat, propter objectum præmissarum; quam ab objecto præmissarum, quod affirmat, propter se. His non obstantibus,

VIII. Dico 4. Conclusio, quâdoq; in aliquo sensu minus proprio, esse potest certior præmissis: vel scilicet primo, certitudine materiali: vel secundo, intensiva. Primo, certitudine materiali; in quantum esse potest certa ex pluribus capitibus, quam præmissæ. Secundo, certitudine intensiva, idest certitudine adhærsionis, essentialiter quidem minore, at gradualiter majore: sicuti volitio inefficax salvandi merces, potest esse intensiva major in mercatore navigante; quam volitio efficax quidem, at valde remissa, illas projiciendi in mare, imminente naufragio. Quæ enim in hujusmodi actibus intellectualibus repugnantia?

Dico 5. Simili modo, proportionem servata, discurrendum de evidentia, asserendo nimirum, præmissas esse evidenter conclusionem, veluti appetitive, & interpretative: non quia illæ convincant intellectum de veritate, aut certitudine objectiva majore: hoc enim nequit, juxta superius tradita: sed quia immedia-

diate patent intellectui syllogizanti: conclusio vero mediate, scilicet mediis præmissis, & quasi per lumen, ab ipsis emendicatum. Jam evidētia immediata, rationabiliter reputatur major appetitiva, & interpretative, utpote magis perfecta in suo genere; quam evidētia mediata, ut de certitudine dictum est. Et in hoc sensu locum habet ex Aristotele 1. *post.* tritum illud, *propter quod unumquodque tale; & illud magis*: quod axioma, etiam si in aliis causis, non raro fallat, multasque patiat. difficultates; in causa tamen motiva intentionali, adeoque in subiecta materia, verum communiter reputatur, si recte explicetur, ut notat Comptonus, & Peñafiel, ex eodem Aristotele, qui utitur exemplo cognitionis, & amoris. Quidquid contra putent alii cum Hurtado *disp.* 11. *log. sect.* 3. *num.* 46. qui contendunt, illud, non nisi in causa finali, locum habere, v.g. si diligimus poenitentiam propter gloriam; magis, idest a fortiori, diligimus gloriam ipsam, quam poenitentiam: si diligimus Petrum propter sapientiam ejus; a fortiori diligimus sapientiam: & in universum, si diligimus aliquod propter motivum distinctum; a fortiori diligimus ipsum motivum, puta si eodem, si diverso genere amoris, juxta ea, quæ dicta sunt in *theol. lib.* 7. *de poenitentia*. Quod sane, proportionē servata, cum militet identitas rationis, dicendum, etiam de actibus intellectus. Prædicto axiomatici simile tradidit Aristoteles in *metaph. lib.* 2. *cap.* 4. *unumquodque maxime tale est præ ceteris, cujus causa, ceteris nomine, & ratione, idem convenit*. Legite, si lubet, Comptonum *disp.* 44. *log. sect.* 2. *n.* 12. & Peñafielem in *log. disp.* 8. & 17. *quest.* 5. *a num.* 2. ubi tamen multa congerit, quæ non placent. Hæc de præmissis.

## A R T I C U L U S V.

De conclusione syllogismi demonstrativi,  
ubi

de scientia, & circulo seu regressu, & de prærequisitis  
ad demonstrationem.

IX. **D**ico 1. Scientia, quanvis late sumi possit diversimode, nimirum, etiam prout dicitur de his, quæ opinamur, & credimus; stricte tamen, apud philosophos, scientia est cognitio certa, & evidens rei per causam, aut quasi causam, idest per

per medium, seu motivum : & quidem esse poterit formalis , si præsupponat præmissas, a se distinctas; vel virtualis, si in discursu virtuali sita sit. Hoc loco sermo est proprie de scientia formali, idest prout importat conclusionem syllogismi demonstrativi: de qua

Dico 2. Dividitur primo scientia in speculativam , & practicam . Hujus divisionis explicatio satis constat ex dictis *disp.* 4. n. 12. ubi logicam, scientiam practicam esse, statuimus. Dividitur secundo scientia in actualem, & habituales : actualis, est conclusio syllogismi demonstrativi, ut diximus : habitualis, est habitus, per se inclinans ad hujusmodi actus. Dividitur tertio scientia in subalternantem , & subalternatam : subalternans dicitur, cui alia scientia subordinatur : subalternata dicitur, seu subalterna, quæ alii scientiæ subordinatur . Dicitur autem una scientia (idem intelligendum de arte) subordinari alteri ; vel primo, ratione objecti: quia scilicet considerat objectum alterius, sed cum addito, seu cum variatione accidentali : sic musica subordinatur arithmeticæ, in sententia communi: quia musica considerat numerum, cum addito, nempe sonorum : arithmetica vero numerum, ut sic : vel secundo, ratione finis : quia nimirum, habet pro fine aliquod, quod ordinatur ad finem alterius scientiæ: quod idem intelligendum de arte. Unde frænifactoria, v. g. subordinatur equestri : quia frænium, aut operatio circa frænium conficiendum, quod communiter reputatur ejus finis ; subordinatur, & inservit recte equitationi, quæ est finis equestris : vel tertio, ratione principiorum : quia videlicet, ad probandas conclusiones proprias, utitur præmissis, vel conclusionibus alterius scientiæ . Hinc medicina dicitur subordinari physicæ, a qua supponit, v. g. quod calor, & frigus sint contraria : unde commune illud pronuntiatur : ubi desinit physicus, incipit medicus.

X. Dico 3. Quælibet scientia, in sua sphæra; quæ est una per aggregationem plurium actuum, vel habituum partialium : sicuti exercitus est unus per aggregationem plurium militum; una dicitur, unitate quidem vel totali, vel partiali, ratione unius objecti formalis totalis, vel partialis: &, ex eodem capite, ab aliis distinguitur : ut enim alibi diximus, possunt diversæ scientiæ habere idem objectum materiale.

Dico 4. Dari scientiam, non revocatur in dubium a prudentibus : cum satis constare videatur experientia : quis enim un-

*Ant. Forti.*

quam

quam ; nisi demens , non judicavit , duo esse pauciora , quam centum , quia totum est majus sua parte ? Et sane ab iis , qui negant scientiam syllogismo demonstrativo , de novo partam , & acquisitam , peto : dum nosmetipsos homines esse , experimur ; experimur esse discursivos , & defacto discurrere . Discurrere autem quid est , nisi syllogizare ? Immo ipsi adversarii , si velint nos convincere , persuadendo , nullum revera dari syllogismum Aristotelicum , unde novam scientiam adipiscamur ; afferant , quæso , modum , quo nos convincant ; nisi discurrant : nosque modum istum admirabilem doceant , quo ipsi discurrere solent , si id non agunt per syllogismum , saltem virtuales , aut oretenus detruncatum .

Dico 5. Temere , stulteque scientiam pernegarunt Academici , Pyrrho , Carneades , aliique , contra quos Aristoteles , Divus Augustinus , Bagotius , & alii passim scriptores , ne dum orthodoxi , verum etiam infideles : alii scientiam se , nondum invenisse , sed invenire posse putarunt ; ideo Sceptici , idest quæsitores , seu consideratores dicti : alii de scientia invenienda desperandum omnino pronunciarunt : unde Acataleptici nuncupati . Scientiam dari fassi sunt philosophi omnes dogmatici , licet inter se divisi in varias partes : nam & fuerunt Peripatetici cum Aristotele : & Stoici cum Zenone , & Chrysippo : & demum Epicurei , aliæque philosophorum sectæ e Platonis schola dimanatæ . Fuit autem error Platonis , Socratis , & Pythagoræ cum suis affectis , non dari scientiam de novo acquisitam : hominem nihil scire de novo : latitare in humano intellectu scientias omnes : harum dari solummodo reminiscantiam hic & nunc per varia sensuum exercitia , quasi e somno revocatam , & excitatam .

XI. Contra Platonem specialiter est , quia ipse , ut passim dicitur , opinionem hanc fundatam voluit in ideis , quæ communiter rejiciuntur , ut dictum est *disp.* 8. ubi de universali . Contra Pythagoram specialiter est , quia ipse hunc errorem fundavit in alio de metempsychosi , idest de animarum successione : putavit enim , omnes animas esse ejusdem rationis : præterea unam eandemque animam plura corpora successive animare : adeout anima , quæ fuit in Socrate , v. g. illo mortuo , transeat vel in alium hominem , vel in aliud animal , etiam brutum , immundumque , juxta merita , vel demerita ejusdem Socratis . Qui error , præterquamquod contra fidem , est etiam purum figmentum , nul-

*Phil. Neg. Log.*

L III

la-

laque ratione, aut etiam verisimilitudinis umbra suffultum. Contra utrunque præterea est, quia gratis omnino fingitur, dari in omnibus scientias, natura inditas, illasque non acquiri de novo, sed tantummodo excitari: experimur enim, nos plurima de novo etiam evidenter addiscere: cum etiam experiamur, quid valde diversum esse recordari de oblitis, quæ alia vice didiceramus. Non ideo tamen negaverim, plura esse cuicunque intellectui, recte disposito, & non impedito, per se nota, atque evidentia, ut, quodlibet est, vel non est: & similia, quæ sunt ipso lumine naturæ nota: non sine divina providentia, juxta illud *Job cap. 38. v. 36. posuit in visceribus hominis sapientiam*, pura quasi semen quoddam scientiarum, ut loquitur D. Thomas, ubi ait, *universales conceptiones, quarum cognitio nobis est naturaliter insita, sunt quasi semina quedam omnium sequentium cognitionum.*

XII. Dico 6. Quod si olim Augustinus scientiam de novo acquisitam negaverit; errorem hunc postea retractavit, inquitur dixi, quod in disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio, in se illas, oblivione obrutas, erunt discendo: & quodammodo refodiunt. Sed hoc improbo: credibile est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitis earum; quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt: non, quia ea noverant aliquando, & oblitæ sunt; quod Platoni, & talibus visum.

Dico 7. Quæri hoc loco solet de regressu demonstrativo: cum nimirum probamus aliquam conclusionem per præmissas, deinde utimur ipsa conclusione ad demonstrandam aliquam ex præmissis: v. g. si, postquam argumentati simus dicendo:

*Omne admirativum est risibile:*

*Sed Petrus est admirativus:*

*Ergo Petrus est risibilis.*

Deinde argumentemur dicendo:

*Omne risibile est admirativum:*

*Sed Petrus est risibilis:*

*ergo Petrus est admirativus.*

Breviter, circa hunc regressum, seu circulum, assero: illam esse posse rectum, & virtuosum: sed posse etiam esse irrectum, & viciosum. Rectus, ac virtuosus erit, si conclusionem, quæ vel mentis aëuatione vehementiore, vel aliunde ex aliis motivis evasit notior, & clarior; reassumamus ad aliquam ex præmissis pro-

probendam, inferendamque: quod enim est notius, potest recte inservire ad inferendum id, quod est minus notum, ut patet. Atque hunc regressum demonstrativum admittit Aristoteles 1. *post. cap. 4.* eoque, ut medio, utili ad scientias acquirendas, utitur 8. *ph. test. 48. & 53.* & aliis in locis. Irrectus erit, ac vitiosus, si conclusionem, quæ non evasit notior aliunde, sed solum nobis innotuit per præmissas; reassumamus ad aliquam ex præmissis probandam, atque inferendam: cum enim conclusio, seu veritas illa, in hac hypothese, non habeat aliam lucem, quoad nos, præter eam, quam habuit a præmissis, idest, cum non evaserit aliunde notior; probatur idem per idem, eodem prorsus modo cognitum: adeoque proceditur inutiliter. Enimvero nullam novam lucem, & scientiam, quam semper intendit; assequitur intellectus. Et hic vocatur in scholis, circulus vitiosus, quem damnat philosophus 1. *post. cap. 3.*

XIII. Dico 8. Quæri etiam solet, hoc loco, de prærequisitis ad demonstrationem: siquidem ante demonstrationem, idest antequam construamus syllogisimum demonstrativum, nonnullis indigemus prærequisitis, puta præcognitis, & præcognitionibus.

Præcognita dicuntur illa objecta, quæ debent necessario præcognosci. Præcognitiones dicuntur illæ notitiæ, quas, de objectis præcognitis ante demonstrationem, habere oportet.

Præcognita, per Aristotelem, tria sunt, primum, subjectum: secundum, passio, idest prædicatum: tertium, principia, idest medium: nisi enim præcognoscatur subjectum, prædicatum, & medius terminus; nullus, ut patet, constitui poterit syllogismus demonstrativus. Dixi, *præcognoscatur*, puta vel prius prioritate temporis, vel saltem prioritate ordinis, aut rationis.

Præcognitiones sunt duæ, scilicet notitia de quid sit res: & notitia de an sit. Præcognitio circa quid sit res, dividitur, in circa quid rei, & in circa quid nominis: prima est præcognitio essentiæ, puta metaphysicæ, aut physicæ: secunda est præcognitio nominis. Præcognitio circa, an sit res, dividitur, in circa, an sit possibilis: & in circa, an sit existens defacto. His positis, juxta doctrinam aristotelicam;

De subjecto debet primo, præcognosci quid sit: secundo, debet etiam quandoq; præcognosci, an sit. Et merito quidem: primum; nam, si nescimus, quid sit A, quomodo dignoscere poterimus, an, A, existat, vel sit possibile? Secundum; nam aliquid quæri

potest demonstrandum de subiecto existente, quod queri nequit de subiecto non existente. Quandoquidem, cum queritur de prædicato essentiali, v. g. an Antichristus sit homo; non opus est præcognoscere, an Antichristus sit, scilicet an existat defacto. Ratio est, quia, ut, in summulis dictum est, propositiones essentielles semper sunt veræ, ideoque dicuntur propositiones æternæ veritatis: cum sensum habeant conditionatum: scilicet Antichristus, si est existens; est homo. Cum autem queritur de prædicato accidentali, v. g. an Antichristus sit albus; oportet præcognosci, & præsupponi, quod Antichristus sit existens; aliter propositio erit falsa, & de subiecto non supponente: huiusmodi enim propositiones sensum continent absolutum: & duo affirmant, scilicet, Antichristus & existit, & est albus: ideoque, dixi, quod de subiecto debeat *quandoque*, non semper, & in omni materia, præcognosci, an sit.

De prædicato, seu de passione, debet præcognosci quid sit, non autem, an sit: siquidem hoc secundum, puta an sit, quippe an sit in subiecto; per ipsam demonstrationem probandum est: id enim inquiritur per demonstrationem, scilicet, utrum hoc prædicatum subiecto competat.

De principiis, idest de præmissis objectivis, puta de medio termino, præcognosci oportet tum, quid sit; tum, an sit: utrumque enim requiritur ad inferendum. De præmissis formalibus, præcognoscendum, an sint tales, puta an sint veræ, & quidem certo, & evidenter.

## A R T I C U L U S VII.

Solvuntur objectiones.

XIV. **O**bjicies 1. Cum Antiperipateticis, præsertim ex Van-Elmont: omnis disputatio tandem conclusionem parit: omnis autem conclusio tandem opinionem inducit. Immo, quod fortissimum ratiocinium, syllogismum vocant Peripatetici; nullam prorsus unquam scientiam dederit, aut dare sit aptum: ergo non datur scientia, per syllogismum acquisita.

Respondeo, nego antecedens: quoad secundam, & tertiam partem. Et contra sic argumentor: vera est prima pars ejusdem antecedentis Van-Elmontiani: ergo falsa est secunda: ergo etiam falsa est tertia. Enimvero si omnis disputatio tandem parit conclu-

clussionem; ergo, dum controvertitur, ex omni disputatione (quæ sane fieri nequit, nisi discurrendo, quoad rem controvertam; adeoque syllogizando de eadem) aliquid de novo deducitur: nam, si nihil de novo; ergo hujusmodi disputatio nihil parit: neque enim parit seipsam: ergo nullam parit conclusionem: atqui parit conclusionem, ut ipsi adversarii fatentur: ergo omnis disputatio, omnis discursus, omnis syllogismus aristotelicus, de re controversa, aliquid de novo deducit; dum infert conclusionem. Jam subsumo: sed aliqua conclusio, per adversarios, opinionem inducit: ajunt enim, ut habet secunda pars antecedentis assumpti, quod omnis conclusio opinionem inducat: si autem, per ipsos, vera est propositio universalis, *omnis conclusio*; non poterit non esse vera particularis, *aliqua conclusio*. Inde infero contradictorium antecedentis, contra ipsos: scilicet: ergo non omnis conclusio opinionem inducit: quandoquidem, si potest aliqua conclusio inducere opinionem; quare aliqua non poterit inducere scientiam? Et sane vel non potest præcise, quia, per syllogismum, nihil disputando deducitur: vel quia nihil deducitur judicando: vel quia nihil deducitur judicando scientifice: non primum; aliter falsa est prima pars antecedentis Van-Elmontiani: non secundum; quia aliter falsa est secunda pars ejusdem antecedentis: jam enim concedit, quod omnis conclusio inducit opinionem: opinio autem est judicium probabile: non tertium; quia petit manifeste principium: & adhuc afferenda est ratio, quare intellectus, syllogizando, ex præmissis probabilibus, potest conclusionem deducere, opinativam; non autem possit, ex præmissis certis & evidentibus, scientificam.

XV. Objicies 2. Inter novem supra decem syllogismorum formulas, duodecim concludunt negative: nulla autem negatio unquam scientiam peperit: cum aliquid privative contineat: nihilque doceat esse, quod negat, aliquid esse. Scientia vero positive sit, necesse est: cum sit positivi, & de positivo duntaxat: ergo saltem, per hujusmodi syllogismos, nulla scientia acquiri potest.

Respondeo, nego minorem. Et contra sic argumentor: potest dari scientia (quidquid sit, & undecunque scientia) positivi, & de positivo, ut ipse arguens fatetur in argumento allato: ergo & dari potest scientia negativi, & de negativo: quæcunque enim ratio afferatur, vel utranque scientiam evertit, vel neu-



neutrā. Et sane, si sciri potest, quod Deus necessario existat, quodque sit essentialiter unicus; quare sciri non poterit, quod non existat carentia Dei, nec possit existere: quodque necessario non existat alter Deus: adeoque necessario existat ejus carentia? (quomocunque verificetur hæc propositio, pro opinionum varietate, negantium, aut affirmantium carentias abusivas.) Si autem sciri potest, quare non per syllogismum demonstrativum, ita, aut simili modo syllogizando? *duo contradictoria non possunt simul existere: adeoque, si existit unum; alterum non existit: atqui Deus, quod est contradictorium suæ carentiæ, (idest sui non esse, quomocunque hoc explicetur) necessario existit: ergo carentia Dei, quæ est contradictorium ipsius Dei (idest non esse Dei, quomocunque explicetur) necessario non existit: viceversa, si Deus est essentialiter unicus; implicat alter Deus: adeoque necessario non existit alter Deus: atqui Deus est essentialiter unicus: ergo implicat, adeoque necessario non existit alter Deus. Quod autem necessario non existit, manifestum est, quod non potest existere.* Inde, idem nequit simul nec esse, nec non esse: atqui alter Deus necessario non est: ergo alter Deus non non necessario non est: sed non esse alterum Deum, est, *deri ejus non esse (quomocunque hoc explicetur, pro opinionum varietate de verificativo talium propositionum) ergo necessario datur non esse, idest carentia alterius Dei.* Utque afferatur exemplum clarius, ex formulis aristotelicis, concludendi negative; en syllogismum demonstrativum, v.g. in Celarent; *nulla pars est equalis, aut major suo toto: sed omnis unitas est pars, respectu numeri, quippe respectu sui totius: ergo nulla unitas est equalis, aut major numero.*

XVI. Objicies 3. Cum omnis syllogismi basis sita sit in eo, quod, si duo convenient simul, eadem debeant convenire in aliquo tertio, cujus convenientiæ conformitas debet apparere in ipsa conclusionem; necessario igitur in nobis præexistit cognitio illius conformitatis, ante conclusionem: adeo ut in generali præsciverim omnino id, quod per conclusionem demonstratur. Est igitur logicalis inventio mera resumptio ejus, quod prius erat scitum: nescitumque ideo nescit logica: quoniam est impossibile, noscere, an præmissæ sint veræ, apparentes, vel falsæ; nisi terminorum cognitio prius in nobis fuerit, cum omni notitia adæquationis, & conformitatis illorum; ergo scientia, per syllogismi conclusionem, acquiri de novo minime potest.

Re-

Respondeo, transiſſo antecedente, nego conſequentiam: vel, claritatis gratia, diſtinguo conſequens: præexiſtit cognitio, adeout in præmiſſis præciverim omnino id., quod in conſequentia demonſtratur, ſumpto Tò, præciverim, ſtrictè, & rigoroſe, pro actu ſcientiæ, quæ unice reſidet in conſequentia, nego antecedens, tanquam implicans in terminis; ſumpto Tò, præciverim, pro, prænoverim, ſubdiſtinguo: prænoverim realiter, ex parte obiecti, concedo; prænoverim formaliter, ex parte actus, nego conſequentiam. Et

Primo dico: ſcientiæ ſtrictè, ac rigoroſe, prout ſumitur in præſenti, (& de qua controvertitur cum adverſariis, an poſſit dari de novo) eſt conſequentia ſyllogiſmi demonſtrativi: ergo implicat in terminis, præcisci aliquid (in ſenſu controverſiæ præſentis) mere per præmiſſas, qua tales.

Secundo dico: in præmiſſis realiter, & ex parte obiecti cognoscitur totum obiectum: adeoque, ſi cognoscitur unum prædicatum terminorum; cognoscuntur omnia ejus prædicata metaphyſica: repugnat enim præciſio ex parte obiecti, ut dictum eſt diſp. 7. n. 65. In quo ſenſu, dū cognoscitur Deus, cognoscuntur realiter, ex parte obiecti, omnia prædicata divina, utpote cum ipſo realiter identificata, ut dictum eſt in theol. lib. 1. de Deo. Adeoque, in hoc ſenſu, veteres, impii & infideles, qui Deum quomodo-  
cunque noverunt, etiam obſcuriſſime, & imperfectè; omnia Dei prædicata cognoverunt; etiam Trinitatem. Sed hoc non facit ad rem: Nam

Tertio dico: ſenſus quæſtionis præſentis eſt, an, per conſequentiam, ſciri poſſit de obiecto, alioquin præcognito in præmiſſis, aliquid aliud formaliter, ex parte actus, diſtinctum ab obiecto præmiſſarum; quod aliquando tandem importat, an unum, idemque realiter obiectum, præcognitam minus clare in præmiſſis, poſſit per conſequentiam cognosci clariùs: & ita quidem, ut huiusmodi claritas afferat novum quid formaliter, ex parte actus, id eſt diſtinctione rationis ratiocinatæ diſtinctum ab ipſomet obiecto præmiſſarum, præciſe ut talium. Hoc nos affirmamus cum Ariſtotele, & quidem tam in materia probabili, & opinativa; quam demonſtrativa, & ſcientifica. Unde, loquendo illi hoc ſenſu,

XVII. Quarto dico: in præmiſſis, cognoscitur ſola identitas duorum terminorum cum uno tertio, puta cum medio termino: in

in conclusione infertur identitas illorum duorum terminorum, inter se : atqui, licet realiter, & ex parte objecti, identitas duorum cum uno tertio, & identitas eorundem inter se, identificentur ; distinguuntur tamen formaliter, ex parte actus, distinctione rationis ratiocinatæ, utpote cum fundamento in re : ergo aliquid de novo cognoscitur in conclusione, quod non fuit præcognitum in præmissis. Affero exemplum : *omne totum est majus, respectu sue partis* : sed *omnis numerus est totum, respectu unitatis* : ergo *omnis numerus est major respectu unitatis*.

In maiore præmissa apparet solū identitas huius termini, *totum*, cum hoc alio termino, *majus*, puta respectu sue partis. In minore præmissa apparet identitas huius termini, *numerus*, cum prædicto termino, *totum*, puta respectu unitatis : adeoque mere per præmissas apparent hi duo termini, *numerus*, & *major* : identificata cum illo tertio, *totum* : non dum autem elucet identitas eorundem inter se. In conclusione vero apparent ulterius hi duo termini, identificati inter se : dum infertur : *ergo omnis numerus est major*. Quod autem identitas duorum cum uno tertio, & identitas eorundem inter se, distinguantur ex parte actus, distinctione rationis ratiocinatæ, scilicet cum aliquo fundamento in re, probatur : & antequam probetur, suppono, mysterium Trinitatis, non solum esse verum, sed protoeypum veritatis. Illud autem dicit Unitatem, & Trinitatē Dei : Unitatem Naturæ, Trinitatem Personarū. Personas tres, distinctas inter se : Naturam unam, identificatam tamen cum singulis adæquate : adeoque personalitates, distinctas inter se, quanvis identificatas cū uno tertio : quomocunque appelletur huiusmodi identitas, & distinctio, pro opinionum varietate, de qua fufe dictum est in *theol. lib. 1. de Deo*. Tum sic argumentor : quæ, licet realiter, & ex parte objecti identificentur, sunt tamen præscindibilia ex parte actus, & quidem cum aliquo fundamento in re ; distinguuntur formaliter, ex parte actus, distinctione rationis ratiocinatæ : atqui ita se habent identitas duorum cum uno tertio, & identitas duorū inter se : ergo distinguuntur formaliter ex parte actus, modo prædicto. Major est explicatio terminorum, ex dictis *disp. 7. de dist. rationis a n. 54*. Minor, in qua est difficultas, probatur : quæ respiciunt diversa connotata, seu terminos diversos, sunt, prædicto modo, præscindibilia : sed identitas duorum cum uno tertio, & identitas duorum inter se, respiciunt terminos diversos :

Ant. Forti.

ergo

ergo, modo prædicto, se habent. Major supponitur, ex dictis *disp. 7. supra citata de distinctione rationis*: nec videtur posse negari; licet enim diversitas connotatorum non sit caput necessarium ad huiusmodi præscindibilitatem; est tamen caput sufficiens: ita & caput sufficiens est diversitas terminorum.

XVIII. Minor probatur: convenientia duorum cum uno tertio, & convenientia duorum inter se, respiciunt terminos diversos: ergo identitas duorum cum uno tertio, & identitas duorum inter se, respiciunt terminos diversos: identitas enim est species convenientiæ, quæ est genus. Antecedens probatur: convenientia duorum cum uno tertio, est confundibilis cum identitate singularum Personalitatum divinarum cum Natura: siquidem omnes tres Personalitates divinæ conveniunt identice in Natura, tanquam cum tertio communi: convenientia duorum inter se, non est confundibilis cum identitate singularum Personalitatum prædicta: quia Personalitates divinæ non conveniunt identice in Personalitatibus: adeoque viceversa, convenientia duorum immediata, inter se, est confundibilis cum identitate immediata, inter Naturam, & Personalitatem: non autem est confundibilis cum identitate mediata inter Personalitates: ergo respiciunt terminos diversos. Et quidem, quæcunque supponatur sententia catholica de identitate, & distinctione in divinis, in ordine ad mysterium Trinitatis; vel verum, vel saltem controversum est, quod, saltem in divinis (nam aliqui, licet immerito, quid simile reputant possibile etiam in creatis) sint, nemine cogitante, separabilia hæc duo, scilicet identitas duorum cum uno tertio, & identitas eorundem inter se: ergo hi duo sunt termini diversi: adeo ut, unus sit præscindibilis ab alio, cum aliquo fundamento in re: ergo, sicuti hoc sufficit, ut hi duo termini in divinis, scilicet identitas cum uno tertio, & identitas inter se, distinguantur formaliter, ex parte actus, cum aliquo fundamento in re; sufficit etiam, ut, quæ ita se habent, etiam in creatis, ut, quanvis realiter, ex parte objecti identifcentur, formaliter tamen, ex parte actus, unum respiciat, ut sui terminum, cum quo confundibilis sit, identitatem (saltem controversam) in divinis duorum inter se: & aliud illam non respiciat, sed respiciat ut sui terminum, solam identitatem in divinis cum uno tertio; hoc, inquam, est etiam sufficiens fundamentum, ut hæc in creatis distinguantur formaliter, ex parte

*Phil. Neg. Log.*

M m m m

te

te actus, distinctione rationis ratiocinatæ, juxta ea, quæ dicta, etiam sunt *in theol. lib. 3. de fide*. Tandem

Quinto dico: ad argumentum allatum, dixi, transmissio antecedente: siquidem stricte, & rigorose loquendo, formaliter tota machina syllogismi Aristotelici non fundatur in hoc, quod, si duo realiter identificentur inter se; debeant necessario identificari cum uno tertio (ut supponere videtur adversarius) sed e converso, quod nimirum, si duo realiter identificentur cum uno tertio; debeant necessario identificari inter se. Unde fit, ut, si per impossibile duo realiter identificarentur inter se, non autem cum uno tertio; inferretur quidem, quod hæc illorum identitas non esset demonstrabilis per syllogismum: non autem inferretur, quod falleret machina syllogismi, licet in subjecta materia non posset inservire. At vero contra: si per impossibile, duo realiter identificarentur cum uno tertio, & nihilominus non inter se; machina peripatetici syllogismi, quippe tota fundata in hoc, quæ sunt realiter eadem uni tertio, sunt eadem inter se, falsificata corrueret. Et ideo diximus, in divinis, quoad mysterium Trinitatis, Personalitates singulas, & Naturam identificari, ac distingui inter se nõ pure realiter, sed Ineffabiliter, juxta doctrinam D. Augustini, est aliquod ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut & numerus sit, & numerus non sit. Verum hæc *in theol. lib. 1. de Deo*, ubi de mysterio Trinitatis, libertatis, ac scientiæ contingentium.

Objicies 4. Consistit totum ministerium, munus, & utilitas logicæ in duobus tantum: ut nimirum docens queat suam putationem imprimere distincte in audiente; &, ut audiens reminiscantiam, vel recordationem excitet, per connexionem, adæquationem, & conformitatem terminorum: atqui hoc non est munus inventivum scientiarum, sed postera quædam discursus consecutio ad id, quod inventum erat: ergo, per syllogismum Aristotelicum, de novo scientia non acquiritur.

Respondeo, nego majorem: ratio negationis satis constat ex dictis ad superiores objectiones.

A R-

A R T I C U L U S VIII.

Analyſis prædictorum in argumenta  
negativa.

XIX. **D**ico 1. Nos in hac *diſp.* 13. hæc præcipue ſtatui muſſe  
primum, præmiſſas ſyllogiſmi demonſtrativi non  
eſſe veriores concluſione.

Tandem aliquando probatur, quia, ut dictum eſt *diſp.* 10.  
non eſt explicabile, quomodo veritas ſuſcipere poſſit magis, &  
minus: cum pendeat unice ab eſſe, aut non eſſe objecti: quæ duo  
non ſuſcipiunt magis, & minus.

Secundum, præmiſſas ſyllogiſmi demonſtrativi non eſſe con-  
cluſione certiores, certitudine objecti.

Probatur, quia, ex prædicta ratione, nec videtur, quomodo  
neceſſitas ſuſcipere poſſit magis, & minus: cum, unice pendeat  
ab non poſſe eſſe, aut non eſſe objecti: quæ duo, nequit intelligi,  
quomodo ſuſcipere poſſint magis, & minus: cum eſſe, & non eſ-  
ſe; adeoque poſſe, & non poſſe eſſe, videantur ſita eſſe in indi-  
ſiſibili.

Tertio, præmiſſas ſyllogiſmi demonſtrativi eſſe certiores,  
certitudine appetitiua, ſeu interpretatiua.

Probatur, quia, quoad alias potentias, objectum formale ut  
tale, in linea ſua, relate ad potentiam, appetitiua, ſeu inter-  
pretatiua præſtat objecto materiali: neque eſt, quare non præſtet:  
cum formale attingatur in gratiam ſui, materiale in gratiam  
alterius: ergo non eſt, quare non & in ſubjecta materia, relate  
ad intellectum, demonſtratiue ſyllogizantem.

Quarto, præmiſſas ſyllogiſmi demonſtrativi poſſe etiam cer-  
tiores eſſe concluſione, tum certitudine materiali, extenſiva; tum  
formali, intenſiva, graduali. Quinto, & concluſionem eſſe poſſe  
præmiſſis certiorē, tum materialiter, extenſive; tum formaliter, in-  
tenſive gradualiter. Sexto, proportionem ſervata, diſcurrimus de  
evidentia.

Probatur, quia hæc non videntur involvere repugnantiam,  
abſurditatem, innaturalitatem ullam, aut indecentiam.

Septimo, dari de facto ſcientiam de novo acquiſitam.

Probatur primo: quia, ſicut nobiſmetiſſis videmur experiri  
plura de novo in nobis, aut extra nos; ita experiri videmur ſcire

M m m m 2

plu-

plura, quæ antea non item : ergo, si non est, quare quoad primum falli dicamur; nec quoad secundum: aliter non poterit amplius rationabiliter impugnari, qui contenderit, prorsus omnia, ea etiam, quæ videmur experiri; erroribus, & illusionibus redundare. Secundo, quia non est, quare per syllogismum, inferri possit opinio, ut fortasse aliqui ex adversariis concedere videntur; at non scientia. Tertio, quia non est, quare demonstrative concludi possit de positivo, ut ajunt quidam; non autem de negativo.

XX. Dico 2. Adversarii oppositum sustinent contra nos. Quoad primum, secundum, tertium, quartum, quintum, & sextum, contendunt, nos minus coherenter procedere. Probant: quia, quoad puncta prædicta, quæcunque asseratur ratio vel omnia evincit, vel nullum: ergo, si aliquod ex prædictis est, & potest; omnia sunt, vel possunt. Si aliquod non; nullum. Vel asseratur ratio, quæ non vel omnia prædicta, de quibus controversitur, probet; vel nullum probet.

Quoad Septimum, primo, quia nulla est necessitas, aut fundamentum, aut argumentum evincens, dari defacto in nobis scientiam de ulla re; aut saltem dari scientiam, penitus de novo acquisitam: cum omnia possint bene salvari; aut sine scientia simpliciter, aut saltem sine scientia secundum quid, scilicet prout penitus de novo acquisita. Secundo, quia non apparet, quomodo intellectus concludere possit de rebus incognitis in præmissis: si autem de rebus præcognitis; quomodo concludere valeat quid de novo: quod videtur continere implicantiam terminorum.

#### Corollarium.

Sed hæc, & similia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, sunt argumenta negativa, quippe tandem aliquando fundata super alicujus objecti non apparentiam, ut probatum est in Clavi *disp.* 1. ergo tam nos, quam adversarii, in hac *disp.* 13. de syllogismo demonstrativo, syllogismis utimur Negativis.

## DISPUTATIO DECIMAQUARTA

De syllogismo probabili,  
ubi

De opinione, ac fide humana.

*Primo, quid sit, & quotuplex opinio, fidesque humana. Secundo, de earum incertitudine. Tertio, de earundem compossibilitate inter se, & cum scientia in eodem intellectu. Quarto, de compossibilitate, seu identitate opinionis fidei, ac scientia in eodem actu.*

## ARTICULUS I.

Quid sit, &amp; quotuplex opinio, fidesque humana.

*De opinione.*

I. **D**ico 1. Quoniam ex Aristotele in libris Topicorum, ubi agit de syllogismo probabili, syllogismus mere probabilis constat propositionibus mere probabilibus: cum utranque, vel alterutram saltem ex præmissis mere probabilem habeat: & mere probabilem inde conclusionem deducat, non scientificam: propositio vero mere probabilis, vel est opinio, vel fides; ideo logicis agendum hic de opinione, & de fide humana: nam de divina non est hic locus, cum de eafatis dictum sit in *theol. lib. 3.* Loquendo igitur de opinione, opinio ex Aristotele, in communi accepta, est iudicium incertum probabile, ex medio intrinseco. Dicitur primo, incertus, ut distinguatur ab actibus scientiæ, & fidei divinæ, quæ sunt iudicia certa. Secundo, probabile, puta absolute, & simpliciter, pensatis pensandis, probabile: ut distinguatur ab errore, qui proprie est iudicium, non solum incertum, sed etiam, in sensu prædicto, improbabile: nam, proprie loquendo, aliud est error, aliud iudicium falsum: iudicium enim falsum est, quod difformatur objecto: erroneum, quod est incertum, & improbabile, in sensu tradito, adeoque imprudens, irrationabile, temerarium, juxta ea, quæ fuse dicta sunt in *theol. lib. 8. de moral. act. hum.* ubi de celeberrimo recentiorum probabilismo, antiprobabilismo, monoprobabilismo.

Dico



Dico 2. Opinio dividitur communiter in immediatam, & mediatam : immediata, est præmissa; mediata, conclusio. Primi generis opinio, ex Aristotele hic *cap. 26.* est, acceptio immediata propositionis non necessariæ, idest non necessariæ, & incertæ, ex suo modo tendendi, non autem ratione objecti : nam de objecto necessario potest haberi opinio : sicut de objecto divino haberi potest cognitio creata ; de infinito, finita. Secundi generis opinio, est iudicium incertum, probabile, in sensu jam explicato, scilicet absolute, & simpliciter, pensatis pensandis, approbativum objecti, quod, modo suo, iudicat hic & nunc : illatum ex aliis iudiciis, aut ex alio (cum sit conclusio) nitens motivo intrinseco : quod nimirum motivum non sit testimonium loquentis, præcise, ut tale ; aliter erit fides. Nam

*De fide humana.*

II. Dico 3. Fides humana, seu non divina, est iudicium, saltem probabile, nitens motivo extrinseco creato, hoc est, testimonio humano, seu creato. Dixi primo, *saltem probabile* : ut fides distinguatur ab errore, qui probabilitatem non habet, in sensu præ-explicato. Dixi secundo, *saltem probabile* : quia, in sententia communi, non est, cur fides stare non possit cum evidentia inattestante : puta quod creatura loquatur, & quod præterea non possit hic & nunc falli, aut fallere : & ideo non addidi *Tò*, incertum. Dixi tertio, *nitens testimonio humano, seu creato*, quod venit nomine motivi extrinseci humani, seu creati : ut distinguatur a fide divina, quæ innitur testimonio divino. Porro testimonium importat duo, scilicet auctoritatem in loquendo, idest fidedignitatem, & præterea locutionem. Quid autem sit auctoritas, seu fidedignitas, quid locutio ; non opus est logicis ulterius explicare, quam dicendo, auctoritatem esse prædicatum, seu meritum, ut alicui credatur ; si loquitur : quodcumque sit tale prædicatum, & quidem sive unum, sive multiplex, pro opinionum varietate : locutionem esse socialem signi prolationem. De quibus, ex professo, dictum est in *theol. lib. 3. de Fide.* Dixi quarto, *humani, seu creati* : quia, quæ testimonio humano nititur, erit fides humana ; quæ angelico, fides angelica nuncupabitur : & utraque fides creata, quia innixa testimonio creature.

Dico 4. Dividitur fides in immediatam, & mediatam. Primi generis est, quando immediate auditur persona loquens, ex vi cuius testimonii, creditur. Secundi generis est, quando non  
imme-

immediate auditur persona loquens, sed vel quando creditur ejus nuntio, aut legato: vel ex eo, quod immediate auditum fuerit, aliud infertur, habens connexionem cum illo. Quoniam verum opinio, tum fides humana regulariter umbram secum ferunt incertitudinis. Erit

## ARTICULUS II.

De incertitudine opinionis, & fidei humanæ.

III. **D**ico 1. Cohærenter ad ea, quæ *disp. præc.* dicta sunt de certitudine; incertitudo, illi opposita, duplex est: una, quæ se tenet ex parte objecti: altera, quæ se tenet ex parte actus. Prima est connexio, vel disconnexio non necessaria inter subjectum, & prædicatum. Secunda subdividitur in objectivam, absolute dictam, & subjectivam. Primi generis est, indifferentia judicii ad veritatem, aut falsitatem. Secundi generis est, adhæssio non firma, idest formido, in ordine ad veritatem talis judicii. Hæc incertitudo subjectiva subdividitur iterum in negativam, & positivam. Incertitudo negativa importat in judicio præcisivam carentiam prudentis firmitatis, seu firmæ adhæssionis, erga suum objectum. Et hæc incertitudo negativa, appellari etiam solet ab aliquibus formido radicalis, ab aliis formido virtualis. Positiva incertitudo est actus positivus, quo quis dubitat de veritate judicii sui, dicendo: res fortasse non ita se habet, ut ego judico. Et hæc incertitudo positiva, appellari etiam consuevit formido formalis, sive actualis. Incertitudo positiva subdividitur præterea, in absolutam, & secundum quid. Primi generis est, quando quis absolute, & simpliciter dubitat de suo objecto, dicens: hoc objectum fortasse non ita se habet, sicuti per hoc judicium exprimitur. Secundi generis est, quando quis non dubitat absolute, & simpliciter de objecto, sed aut conditionate, aut secundum quid, v.g. hoc objectum; si spectetur præcise hæc ratio, seu quantum est, præcise ex vi talis rationis, seu medii, posset aliter se habere: quæ formido appellatur etiam ab aliquibus, formido radicalis.

Dico 2. Incertitudo, relate ad certitudinem, de qua dictum est *disp. præc.* dividitur trifariam celebri divisione, in metaphysicam, physicam, & moralem: quæ divisio explicatur, proportio-

ne

ne servata ad triplicis generis certitudinem, cui, in sensu accom-  
modo, opponitur. His præexplicatis,

IV. Dico 3. Est de essentia opinionis aliqua incertitudo ne-  
gativa, seu formido virtualis, non autem incertitudo positiva,  
seu formido actualis. Prima pars assertionis probatur: quia opi-  
nio innititur motivo, non ostendenti necessariâ connexionem in-  
ter subjectum, & prædicatum: adeoque, si vir prudens reflecte-  
ret, & bene cognosceret suum iudicium; utique de ejus veritate,  
præcise quantum est ex vi talis motivi, formidaret. Secunda ve-  
ro pars patet experientia: nos enim ipsi multa sæpius opinamur,  
quin actu, & formaliter de nostræ opinionis veritate, positiva-  
formidine trepidemus.

Dico 4. Incertitudo non est de essentia fidei humanæ (de hac  
controvertitur: nam actus fidei divinæ supernaturalis est omni-  
no certus, & infallibilis, excludens omnem prorsus formidinem  
voluntariam, ut dictum est *in theol. lib. 3. de Fide*) licet, regula-  
riter loquendo, aliqua incertitudo negativa, seu formido radica-  
lis, ut opinionem; ita & comitetur humanam fidem. Prima  
pars assertionis probatur: si quis assentiatur creaturæ loquenti,  
de qua certo sciat, esse sapientem, veracem, atque veridicam,  
in ordine ad objectum, de quo loquitur hic & nunc: & præ-  
terea certo, & evidenter audiat, atque cognoscat ejusmodi crea-  
turæ locutionem de tali objecto; utique hic actus, nisi quæstio  
fiat de nomine, aut petatur principium, erit fidei humanæ, &  
tamen omnino certus: ergo incertitudo non est de essentia fidei  
humanæ. Secunda pars assertionis probatur: quia regulariter  
nec datur creatura, quæ non possit falli, neque fallere, etiam in  
ordine ad aliquod hic & nunc: neque id certo constat, & evidenter:  
immo nonnulli putant, repugnare hujusmodi creaturam: ergo re-  
gulariter, ut in opinione, ita etiam est locus alicui formidini in  
fide humana. Utrum autem, & quomodo cohærere possint cum  
certitudine, & evidentiâ; sequentibus articulis agitur. Sit  
igitur

Ant. Forti,

A R-

A R T I C U L U S III.

An opinio, fides humana, & scientia inveniri possint  
simul in eodem intellectu

V. **D**ico 1. Quaritur, an actus opinionis, actus fidei, & actus scientiæ, esse simul possint in eodem intellectu. Quæstio autem procedit ex suppositione, quod possint simul in eodem intellectu componi plures actus; nisi aliunde illi inter se opponantur, & excludantur: quod sane constare videtur experientia: puta, in intellectu nostrate haberi virtutem eliciendi simul, conservandique plures actus: quoties tales actus, aliunde inter se, non pugnant; nec adeo multiplicantur, ut potentiam illam intellectivam exhauriant, & exuperent. Jam, ut distinge, & gradatim a facilioribus ad difficiliora procedatur,

Dico 2. Opinio, fides, & scientia stare simul possunt in eodem intellectu, de objecto diverso. Assertio, in hypothesi, in qua loquitur; videtur certa, & probatur: quia non est, ut in eodem instanti non possit intellectus opinari, v. g. quod cognosci possit aliquod objectum inexistentibile; ex eo quia cognosci possit aliquod objectum possibile non existens: & præterea credere, quod Africa existat; quia Petrus dixit: & insuper scire, quod nunc dies sit; quia nox non est: neque enim hujusmodi actus opponuntur: atqui primus, est actus opinionis; secundus, fidei; tertius, scientiæ, de objectis diversis: ergo opinio, fides, & scientia possunt stare simul in eodem intellectu, de objecto diverso.

Dico 3. Opinio, fides, & scientia, possunt esse simul in eodem intellectu, de eodem objecto incomplexo. Assertio videtur etiam certa, in hypothesi, & probatur: quia, nomine objecti incomplexi, intelligimus hic solam subjectum propositionis objectivæ, v. g. Petrum: atqui de eodem Petro potest quis, in eodem instanti, opinari, esse cito moriturum; ex motivo probabili: credere, esse filium Pauli; ob testimonium hominis fidedigni: nec non scire, quod sit risibilis; quia defacto ridet: ergo opinio, fides, & scientia possunt esse simul, de eodem objecto incomplexo.

VI. Dico 4. Opinio, fides, & scientia, possunt esse simul in eodem intellectu, etiam de eodem objecto complexo. Est sententia hodie communis, ex Bonaventura, Alensi, Henrico, Joanne Bachonio, Okamo, Gabriele, & alijs Nominalibus; nec non

*Phil. Neg. Log.*


N n n n

Mo-

Molina, Suarez, Valentia, Hurtado, Tannero, Arriaga, quos citat, & sequitur Comptonus *disp. 1. in lib. top. sect. 2.* & pro eadem stant recentiores passim, paucis exceptis. Contra Scotum, Caetanum, Bânes, Medinam, Canum, & alios apud Valentiam, cum Rubio, Turriano, Lorca, aliisque, qui partem simpliciter negativam defendunt. Est præterea contra Valsequez, qui, fidem posse componi, affirmat, cum scientia, habita per species abstractivas, non vero per proprias. Contra Coninchum, qui id solum concedit de scientia intuitiva supernaturali: nec non contra alios, qui de cognitione sensitiva solum affirmant: & contra alios, qui de visione tantum beatifica: & tandem contra Durandum, quem sequuntur Conimbricenses: qui volunt, posse opinionem stare cum scientia; si medium actus opinionis, licet tantum sit probabile, existimetur tamen esse evidens: secus vero, si sciatur, illud esse duntaxat probabile. Hæc apud Comptonum *loco citato*. Assertio probatur: quia potest intellectus in eodem instanti opinari, v. g. diem esse; quia pueri sunt in gymnasio: idem credere; quia Petrus dicit: idem scire; quia nox non est: atqui, ut patet, primus actus, est opinio: secundus, fides: tertius, scientia, de eodem objecto complexo, saltem materiali, nempe, de existentia diei: ergo potest, in eodem instanti, esse simul in intellectu opinio, fides, & scientia, de eodem objecto complexo. Major probatur: quia non est excogitabile caput, unde talium actuum impossibilitas oriatur. Enimvero non ex eo præcise, quia sunt plures actus: loquimur enim in hypothesis, quod intellectus possit simul plures actus elicere, recipere, conservare: nec præcise, quia sunt plures actus circa idem objectum: nam potest, etiam per adversarios, idem omnino objectum simul attingi pluribus actibus tum intellectualibus, tum aliarum potentiarum; scilicet videri simul, apprehendi, enunciari, inferri, amari, considerari: neque ex eo, quia sunt tales actus in specie, aut in individuo: cum sit petitio principii: neque aliunde, quia non potest hoc assignari, ut solutione argumentorum constabit.

#### A R T I C U L U S IV.

Solvuntur objectiones.

- VII.  Bjiicies 1. Contra quartam assertionem: non potest intellectus, de eadem re, esse simul certus, & incertus:

tus : atqui per opinionem , & fidem humanam , regulariter saltem , esset incertus : per scientiam vero esset certus : ergo non potest intellectus habere simul actum opinionis , actum fidei , & actum scientiæ , de eodem objecto complexo.

Respondeo , distinguo majorem : certus , & incertus absolute , & simpliciter , concedo ; secundum quid , subdistinguo : eadem certitudine , & incertitudine , concedo ; diversa , nego majorem : & distinguo minorem : in sensu negato , concedo ; in sensu concessio , nego minorem , & consequentiam . Intellectus per scientiam est certus de objecto absolute , & simpliciter : in hoc sensu , non est incertus , aut dubitans , aut formidans : per opinionem vero , & fidem humanam , est incertus secundum quid , incertitudine virtuali , & radicali ; scilicet quantum est , ex vi motivi mere probabilis , non redditur certus de objecto : quæ quidem , est incertitudo quædam negativa , seu , ut alii loquuntur , præcisiva : licet de eodem objecto reddatur securus aliunde , idest ex motivo , & actu scientifico . Jam , ut sæpius dictum est , licet essent contradictoria , intellectum absolute , & simpliciter esse certum ; absolute , & simpliciter non esse certum , de eodem objecto ; non tamen sunt contradictoria , intellectum esse simul certum de eodem objecto , ex vi unius motivi , & ex vi unius actus , non vero ex vi alterius : sicut , licet essent contradictoria , quod hæc domus simpliciter haberet lumen , & simpliciter non haberet lumen ; non tamen sunt contradictoria , quod eadem omnino domus , idem omnino lumen recipiat ex una fenestra , & non recipiat ex alia ; quod est , domum esse illuminatam , & non esse illuminatam , secundum quid . Et sicuti domus absolute , & simpliciter dicitur illuminata , licet ab una , & non ab alia fenestra lumen recipiat ; dummodo illud absolute , & simpliciter recipiat : cum hæc sit denominatio positiva ; ita intellectus dicitur absolute , & simpliciter certus de objecto v. g. de existentia diei , & impotens illud negare , aut circa illud absolute , & simpliciter dubitare , vel formidare ; quanvis id certo noverit ex vi motivi scientifici , non autem ex vi motivi opinativi , aut motivi fidei . Ad eum modum , quo Petrus dicitur absolute , & simpliciter insolubiliter ligatus ; licet taliter alligetur ex vi catenæ ferreæ , qua cohibetur , fortiter , non autem ex vi ligaminis serici , quo etiam debiliter astringitur . Atque in hoc sensu intelligendus Divus Thomas 1. 2. *quest.* 7. art. 3. ubi ait , *de ratione opinionis est , ut accipiatur cum formidine*

dine *alterius oppositi*: nam idem Sanctus doctor alibi docet, scientiam cum opinione naturaliter compossibilem esse.

VIII. Objicies 2. Scientia est clara, fides obscura: ergo non possunt simul esse in eodem intellectu, & de eodem objecto.

Respondeo; distinguo secundam partem antecedentis: fides est obscura, ex genere suo, nego; regulariter, subdistinguo: est obscura negative, seu præcise, concedo; positive, nego antecedens, & consequentiam. Fides, ex genere suo, est iudicium ob testimonium loquentis: præscindit, ex suo conceptu, ab obscuritate, vel claritate: regulariter est obscura, quia non constat evidenter, quod persona loquens non possit falli, neque fallere: etiam si certo constet, quod defacto loquatur hic & nunc. Hæc autem obscuritas, seu non claritas, negativa, seu præcisa dicitur, quatenus fides ex se, præcise ex vi prædicti sui motivi, obscuritatem non discutit; non vero quatenus pugnat cum claritate de eodem objecto, quæ aliunde, ex vi alterius motivi, puta scientifici, haberi posset in intellectu. Ita albedo est non dulcedo, negative, seu præcise, non positive: quatenus nimirum albedo non est dulcedo; nec tamen illam excludit a subjecto, in quo ipsa albedo est, ut patet in tacte. Breviter, sicut albedo non facit, subjectum esse dulce; non tamen positive facit, ipsum esse non dulce: cum non impediat, illud posse aliunde dulcificari, scilicet per dulcedinem: est enim albedo ex se indifferens, ut conjungatur cum dulcedine, vel cum carentia dulcedinis; ita regulariter fides, præcise ex vi sui motivi, non reddit intellectum, clare cognoscentem objectum: sed neque illum positive reddit cognoscentem non clare, nisi secundum quid, id est, quantum est ex vi sui motivi: quandoquidem fides, licet claritatem non asserat; non tamen impedit, ne intellectus claritatem habeat aliunde, quæ ei objectum clare, & evidenter innotescat: adeoque fides, præcise ut fides, præscindit: cum sit indifferens, ut conjungatur cum claritate, aliunde habita; vel cum carentia claritatis, quam sane fides ipsa non asserit, præcise ut fides.

IX. Objicies 3. Pugnant inter se iudicium opinativum, iudicium scientificum, & iudicium fidei: ergo non possunt componi in eodem intellectu.

Respondeo, nego antecedens: sicut primo, non pugnant in Christo scientia infusa, immo & visio beatifica, cum scientia naturali, ut dictum est in *th. lib. 5. de incarnatione*: & secundo, in eo-

eodem, amor Dei necessarius, & amor Dei liber, quo pro nobis merebatur: tertio, in Deo, non pugnat amor inefficax salutis omnium, in quibus includuntur etiam præsciti: vult enim Deus, omnes homines salvos fieri; & amor efficax damnationis eorundem: cum defacto damnentur, juxta ea, quæ dicta sunt *in theol. lib. 1. de Deo*: quarto, in eadem anima, in sententia illorum, qui admittunt potentias realiter distinctas, habetur intellectus, qui est potentia videns, & voluntas, quæ est potentia cæca; absque ulla oppositione, aut repugnantia: nec, qui negant potentias distinctas, negant præcise, quia impossibiles inter se: ergo neque est, cur pugnent actus scientiæ opinionis, & fidei, in uno, eodenque intellectu simul.

Objicies 4. Idem objectum non potest simul videri, & credi: atqui objectum, per scientiam, veluti videtur, utpote evidenter cognitum: per fidem creditur: ergo non potest idem objectum, ab eodem intellectu, simul cognosci per fidem, & per scientiam.

Respondeo, nego majorem, quæ petit principium: assumit enim id, quod est in questione, & aliunde probandum esset.

Objicies 5. Non potest potentia visiva, in eodem instanti, per unum oculum videre idem objectum clare, & per alterum illud videre obscure: ergo nec potest potentia intellectiva, per unum actum, puta per scientificum, cognoscere idem objectum clare, & evidenter: per alium actum, puta per opinativum, aut per actum fidei, idem objectum cognoscere obscure.

Respondeo, distinguo antecedens: si uterque oculus necessario habeat idem medium, concedo; si non necessario habeat idem medium, nego antecedens, & consequentiam. Si aliunde non implicat, quod unus oculus possit habere unū mediū, seu motivū, aut determinativum, quo determinetur ad videndū objectum; & alter aliud medium, seu motivum, seu determinativum, quod est, v. g. in sententia communi, species impressa visualis: sique aliunde non probetur, aut supponatur repugnans talis capacitas; nec repugnabit, quod per oculum dexterum, excitatum specie A, videat quis objectum clare; & per sinistrum, excitatum specie B, videat idem objectum obscure.

X. Objicies 6. Actus opinionis, & fidei, præsentē scientia, essent superflui: ergo non possunt simul componi in eodem intellectu, saltem naturaliter. Antecedens probatur: si una causa physica sufficienter aliquem effectum producit; aliæ causæ physicae



sic hic & nunc sunt superflui: ergo, si actus scientiæ sufficienter ostendit intellectui objectum; actus opinionis, & fidei erunt superflui.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, omisso antecedente, quod in physicis erit examinandum, nego consequentiam. Disparitas est, quia causæ physiciæ habent pro fine primario, & per se, existentiam realem suorum effectuum: actus vero intentionales perfectionem potentiae, quæ diversimode perfici posse, passim existimatur, per varios actus ex motivis diversis, etiam circa idem objectum; si aliunde tales actus ejusdem potentiae vires non superent; aut inter se non opponantur, aut ex aliquo speciali capite non repugnent. Id autem experientia deducitur: unde tandem aliquando desumitur dispar ratio.

Objicies 7. Lumen lucernæ, præsentē lumine solis, est superfluum: ergo lumen opinionis, & fidei, præsentē lumine scientiæ, est superfluum.

Respondeo, distingo antecedens: si tale lumen exigatur præcise, ut medium, ad videndum objectum quomodocunque, transeat: si ad alium finem diversum, alioqui non repugnantem, nec dissonum, nec lumine solis æque facile allequibilem, nego antecedens, & consequentiam. Si quis, præsentē lumine solis, vellet lumen lucernæ ad aliquam experientiam faciendam, pro qua tali specificè lumine, flammaque opus esset; vel ad calefaciendam ollulam cocolatæ; cur huic tale lumen esset superfluum? Jam, diversa lumina intentionalia, cum ex natura sua præcipue ordinari, passim existimentur, ut dictum est, ad intellectum perficiendum; non est, cur non possint, simul elici ab intellectu, si nihil obstat specialiter aliunde: quodlibet enim lumen ex illis perfectionem habet diversam, qua possit intellectui diversis finibus inservire, eumque perficere diversimode.

XI. Objicies 8. Aristoteles 1. post. cap. ult. docet: *Intellectus non potest idem omnino opinari, & scire*: ergo nec scire, & credere: ergo nostra sententia opponitur Aristoteli.

Respondeo, distingo antecedens: ex vi ejusdem motivi, transeat: ex vi diversi motivi, nego antecedens: & distincto, eodem modo, consequente, nego utranque consequentiam. Ubi Aristoteles docet, non posse intellectum, idem omnino objectum opinari, & scire; id negat, quantum est ex vi ejusdem motivi: quod fortasse innuit particula illa, *omnino*, per quam videtur significat-

ficari tum objectum materiale completum, tum formale, quod esse potest motivum. Nec gratis philosophum ita explicamus, ne ipsum negare aliquid temere, utpote contra rationem, existemus.

Objicies 9. Si opinio, fides, scientia possent simul componi in eodem intellectu; possent identice in eodem actu: consequens est absurdum: ergo, & antecedens.

Responsio erit

## A R T I C U L U S V.

An idem actus possit simul esse opinio, fides humana, & scientia.

**D**ico 1. Procedendo a facilioribus ad difficiliora, potest idem actus esse opinio, fides, & scientia de diversis objectis. Probatur: quia potest, ex dictis *art. 3. assert. 2.* idem intellectus de diversis objectis habere tres actus, quorum unus sit opinio, alter fides, & alter scientia: ergo potest dari unicus actus, æquivalens illis tribus, quo, v. g. intellectus opinetur, posse cognosci objectum non existibile: credat, Africam esse: & sciat, diem existere, ex diversis motivis: sicuti, eodem actu contritionis, potest voluntas amare Deum, & odio habere peccatum; eodenque actu potest intellectus affirmare unum objectum, & negare alterum: ergo potest idem actus esse opinio, fides, & scientia, de diversis objectis: sicuti potest idem actus voluntatis esse amor, & odium: idèq; actus intellectus affirmatio, & negatio diversorum.

Dico 2. Potest idem actus esse opinio, fides, & scientia, de eodem objecto complexo. Probatur: quia ex dictis *art. supra citato assert. 3.* potest intellectus, per tres actus diversos, opinari, quod Petrus sit cito moriturus: credere, quod sit filius Pauli: scire, quod sit risibilis: ergo potest id præstare per unicum actum, qui æquivalet illis tribus: vel assignetur specialis ratio repugnantiae.

XII. Dico 3. Potest idem actus esse simul opinio, fides, scientia, de eodem objecto complexo: qui tamen actus non sit pura opinio, pura fides, aut pura scientia, ut patet ex ipsis terminis; sed medium quid, seu tertia quædam species, ut communiter reputatur lycisca, nuciprunum, & alia id genus bruta, plan-

plantæ, vel fructus. Est sententia communis, maxime apud recentiores, & probatur: quia potest intellectus, ut diximus *art. 3. assert. 4.* idem objectum complexum opinari, credere, & scire, per tres actus diversos: ergo potest id præstare per unicum indivisibilem actum, qui æquivalet illis tribus: dicendo, v. g. dies est; quia pueri sunt in gymnasio, quia Petrus dixit, quia nox non est. Consequentia probatur: quia non potest assignari specialis ratio repugnantia. Enim vero hæc non venit primo, præcise, quia ex genere suo opinio, fides, & scientia sunt impossibiles: cum componi possint, ut vidimus. Non secundo, ex eo præcise, quia non potest unus actus æquivalere pluribus: cum experiamur defacto, plures actus tum intellectus, tum voluntatis, licet indivisibiles, posse æquivalere pluribus actibus distinctis, atque diversis, cognoscendo tot objecta, quot cognoscuntur per plures cognitiones: totidemque amando, aut odio habendo; quot amantur, & odio habentur per plures actus. Non tertio præcise, quia idem affirmari non potest per diversa motiva: cum experiamur, nos sæpius judicare ob motiva valde diversa; sicut experimur, & velle idem objectum per plura motiva diversa, v. g. deambulationem, propter sanitatem, propter delectationem, propter invisendum amicum, propter curiositatem novæ rei aspiciendæ: & odio habere aliquid, & respuere item propter diversa: ut cum uni tentationi resistitur ex motivis diversis variarum virtutum. Non quarto, ex alio capite, quia hoc non est assignabile. Jam limitando, seu potius explicando conclusionem,

XIII. Dico 4. Non potest opinio, & fides esse simul cum scientia de eodem objecto materiali complexo; si talis opinio, aut fides sit cum voluntaria formidine actuali de veritate objecti absolute, & simpliciter. Assertio probatur: quia implicat, intellectum certe, absolute, & simpliciter scientem objectum aliquod, licet ex vi alicujus determinati motivi; de ejusdem objecti veritate absolute, & simpliciter, voluntarie dubitare: quanvis dubitare possit de illius veritate conditionate, & secundum quid: hoc est, quantum est, præcise, ex vi motivi opinativi, & mere probabilis: videlicet, si præcise appareret, aut considerari vellet solum motivum mere probabile, præscindendo a motivo scientifico.

A R T I C U L U S VI.

Solvuntur objectiones.

XIV. **O**bjicies 1. Contra tertiam assertionem : actus, qui simul esset opinionis, fidei, & scientiæ, esset simul clarus, & obscurus : atqui claritas, & obscuritas, non possunt identificari : ergo non potest idem actus esse opinio, fides, & scientia de eodem objecto complexo.

Respondeo, distinguo majorem : prædictus actus esset clarus, & obscurus simpliciter, nego ; secundum quid, subdistinguo : ex vi diversi motivi, concedo ; ejusdem, nego majorem : &, distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Et explico distinctionem, ut supra *art.* 5. Ejusmodi actus simpliciter, esset clarus : quia simpliciter claritatem haberet suam, qua convinceret intellectum, & excluderet omnem formidinem voluntariam de veritate sui objecti, simpliciter : quoniam vero esset quidem, clarus, at non ex vi motivi opinionis, aut fidei, sed ex vi solius motivi scientifici ; dici etiam posset obscurus secundum quid, puta negative, idest non clarus, quantum est præcise ex vi motivi opinionis, aut fidei : quæ obscuritas negativa secundum quid, seu modalis, idest quoad modum claritatis habendæ ; non opponitur claritati simpliciter dictæ : sicuti diximus, hanc scholam, esse absolute, & simpliciter illuminatam ; dici tamen posse negative obscuram, idest non claram, secundum quid, & conditionate ; quatenus non est illuminata per fenestram, A, clausam, sed per fenestram, B, apertam : adeout, si solam fenestram, A, clausam haberet ; esset obscura.

Objicies 2. Actus opinionis est essentialiter incertus : actus scientiæ essentialiter certus : ergo nequit idem actus esse scientia, & opinio.

Respondeo, distinguo antecedens : puræ opinionis, transeat ; opinionis, quæ sit etiam scientia, nego antecedens : & distinguo consequens : ergo non potest idem actus esse pura opinio, & simul scientia, concedo ; non potest esse veluti mixtus, idest opinio simul, & scientia, nego consequentiam. Pura opinio est quidem absolute, & simpliciter incerta, cum pura opinio sit : si tamen illa simul fuerit scientia ; non est obnoxia incertitudini absolute, & simpliciter dictæ : cum hæc absolute, & simpliciter arceatur ; licet ex motivo scientiæ, non autem ex motivo

*Phil. Neg. Log.*

O o o o

opi-

opinionis . Sic mere Episcopus, v. g. non gaudet privilegiis Cardinalium: gaudet tamen, si simul Episcopus fuerit, & Cardinalis; licet: ex uno titulo, & non ex altero.

XV. Objicies 3. Fides est essentialiter absolute, & simpliciter obscura, & inevidens: scientia essentialiter clara, & evidens: ergo non potest idem actus esse simul scientia, & fides.

Respondeo in primis, nego antecedens, quoad primam partem: quia fides, ut supra diximus, præscindit a claritate, & obscuritate: &, ex genere suo, solum essentialiter importat, esse judicium innixum testimonio loquentis; sive hoc evidenter, sive obscure representetur.

Deinde distingo antecedens: fides pura, est absolute, & simpliciter obscura, & inevidens, saltem negative, trauscat; fides non pura, quæ nimirum sit simul scientia, nego antecedens, & consequentiam, ut supra. Quod autem actus, qui non sit pura fides, sed fides simul atque scientia, repugnet; controversatur; & debet aliunde probari.

Objicies 4. Si posset dari tertia species actus, qui sit simul impura opinio, impura fides, impura scientia; posset dari tertia species animalis, v. g. coalescens ex homine, equo, & leone, quæ sit impurus homo, impurus equus, impurus leo: consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Respondeo, distingo sequelam majoris: si hæc tertia species aliunde non repugnat, concedo; secus, nego sequelam majoris; & distingo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Jam recentiores non verentur sequelam concedere, dummodo accipiatur cum grano salis. Enimvero sicuti dantur in plantis, & fructibus hujusmodi tertiæ species: ut nuciprunum, nucipersicum, & similia: & tertia quædam species inter malum aureum, & limonem: & sicut datur lycisca, quæ, in sententia communi, reputatur tertia quædam species inter canem, & lupum; quare etiam dari non poterit, in alia rerum serie, tertia quædam species hominis, equi, leonis; animal nimirum, quod simul esset rationale, simul hinnibile, simul rugibile, sed nullum horum pure, quodvis impure? Et sane defecto datur homo, qui est simul animal flebile, & risibile; animal volitivum, & nolitivum; animal affirmativum, & negativum; animal volitivum, & intellectivum; quare dari non poterit, in alio rerum ordine, animal, quod simul sit

fit rationale, hinnibile, & rugibile? Quando autem communiter dicuntur homoequus, hircocervus, & similia esse chimeræ; sensus est de homine puro, de hirco puro: idest de homine, exigente essentialiter exclusionem equi; de hirco, exigente essentialiter exclusionem cervi, & viceversa: evidenter enim repugnat, ex ipsis terminis, purum hominem esse purum equum, & simul utrumque; purum hircum esse purum cervum, & simul utrumque: esset enim, & non esset talis: cum in illo differentia hominis, differentia equi, differentia hirci, differentia cervi, esset adæquata, & non adæquata: adeoque importaret contradictoria.

XVI. Objicies 5. Non potest eadem entitas esse simul lux, & tenebræ: ergo non potest eadem entitas esse simul opinio, & scientia.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est: quia lux, & tenebræ sunt forma, & carentia ejusdem formæ: evidenter autem repugnat, formam identificari cum sui non esse, cui contradictorie opponitur: opinio vero, & scientia non sunt hujusmodi: nec trahunt post se, aut præsupponunt, ex suo conceptu, contradictoria.

Objicies 6. Singula illa motiva, scilicet motivum fidei, motivum opinionis, motivum scientiæ, vel concurrerent, suo modo, ad totū illū actum indivisibiliter, vel non; sed primū motivū concurreret ad formalitatem fidei: secundum, ad formalitatem opinionis: tertium, ad formalitatem scientiæ: neutrum dici potest: ergo nequit idem actus, suo modo, pendere simul a motivo fidei, a motivo opinionis, & a motivo scientiæ. Minor probatur: nam, si primum; ergo singula motiva ferrentur extra proprios limites: si secundum; ergo vel darentur formalitates ex natura rei, aut virtualiter, aut ineffabiliter distinctæ, nemine cogitante; vel de eodem omnino objecto verificarentur prædicata contradictoria.

Respondeo, nego minorem, & eligo primam partem. Singula motiva ad totum quidem actum concurrerent; licet non totaliter: nam prædicata hujus actus identificantur realiter: ergo quidquid concurrit; vel ad totum actum concurrit, vel ad nihil ejusdem actus concurrit. Hinc non sequitur, motiva extra propriam sphaeram vagari: sicut enim non vagatur extra sphaeram lupus, cum cane lyciscam progenerans: nec vagatur extra suam sphaeram species impressa Petri simul cum specie impressa Pauli

combinata, determinans, modo suo, potentiam ad visionem, aut cognitionem, indivisibiliter repræsentatam Petrum simul, & Paulum; ita nec singula motiva, dum omnia tria simul ad tertiam illam speciem actus concurrerent: respectu cuius singula dicenda essent causæ partiales, seu inadæquatæ: cum concursum, suo modo, attemperarent: sicut canis, & lupo, in ordine ad lyciscam; species impressa Petri, & species impressa Pauli, in ordine ad unam eandemque visionem, aut cognitionem, quæ sit tum Petri, tum Pauli repræsentativa: & ita quidem, ut, quolibet ex his tribus motivis deficiente, non posset huiusmodi actus produci: qui nimirum indivisibiliter unus, idemque sit opinionis, fidei, & scientiæ.

XVII. Objicies 7. Non potest explicari, quandonam intellectus, proposito triplici motivo diverso, assentiatur objecto per unicum actum tertiæ speciei; quando per tres actus distinctos: ergo non potest, modo prædicto.

Respondeo, nego antecedens, & dico: congruum videri, quod, quando simul proponuntur talia motiva, intellectus in unum indivisibilem actum erumpat; si nihil obstat aliunde: sicut solet, per se loquendo, ipsa potentia intellectiva per unam simul cognitionem cognoscere plura objecta, simul proposita; visiva per unam visionem: sin vero prius propositum fuerit motivum unius actus distincti, & intellectus unicum actum produxerit; tum, proposito alio motivo, regulariter, per alium actum distinctum, assentitur; nisi adsit peculiaris ratio, ob quam prædictus ille actus destrui debeat: qui, ut ita dicam, gaudens possessione existentiae, jam supponitur.

Objicies 8. Regulariter calor, & siccitas nequeunt, saltem naturaliter, concurrere, modo suo; ad tertiam quandam speciem, participantem de utraque: ergo neque motiva fidei, scientiæ, & opinionis concurrere ad actum tertiæ speciei.

Respondeo, omisso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia, in hac rerum serie, huiusmodi qualitates producuntur transeunter a causa univoca, ejusdem prorsus speciei, ut constare videtur experientia: de actibus vero intentionalibus, experientia constat oppositum: videmus enim, unum, eundemque actum voluntatis esse defacto simul charitatis, & misericordiæ; unum, idemque peccatum esse simul inobedientiæ, & intemperantiæ; unam, eandemque speciem intelligibilem; unam, eandemque

demque cognitionem , aut visionem esse repræsentativam simul hominis , & leonis ; unam, eandemque volitionem esse amorem , unius , odium alterius , seu amorem unius quidem , at ob plura motiva longe diversa.

XVIII. Objicies 9. Cum Ezparza *quest. 25. de scientia, & fide* : qui cognoscit objectum propter mediū clarum , ut est scientificum , nequit assentiri eidem objecto propter medium obscurum , ut est motivum opinativum, utq; etiam regulariter est motivum fidei : ergo. Antecedens probatur : quia cognitio objecti per medium obscurum , est quid proprium intellectus indigentis , qui, dum quærit scientiam , & non invenit; eligit potius obscuritatem opinionis , aut fidei , quam incidere in errorem , aut ignorantiam .

Respondeo , nego antecedens : ad ejus probationem , distinguo antecedens : aliquando , concedo ; semper , nego antecedens , & consequentiam . In circumstantiis , in quibus quis nequit habere scientiam , esto actus opinionis , & actus fidei , sint veluti propria indigentis ; in circumstantiis tamen , in quibus intellectus possidet jam objectum per scientiam , opinio , & fides non erunt propria absolute , & simpliciter indigentis ; sed absolute, ac simpliciter liberi, & ex suo beneplacito indigētis hypothetice, & secundū quid : id est in ordine ad alios suos fines, ex suppositione, quod libere velit assentiri eidem objecto , tum propter motivum scientiæ, tum propter motivum opinionis , tum propter motivum fidei : in ordine enim ad hos fines obtinendos , non sufficit motivum , aut actus solius scientiæ , ut patet ex ipsis terminis.

XIX. Objicies 10. Cum eodem : projectio mercium , v. g. non est eligibilis , secluso periculo naufragii : ergo motivum opinionis , aut fidei , non est eligibile, secluso periculo erroris , aut ignorantia , quod jam arcetur per motivum scientificum.

Respondeo , distinguo antecedens : si projectio mercium non habeat aliam bonitatem , nisi medii ad evitandum naufragium , concedo ; si illa aliam quoque habeat bonitatem , nego antecedens , & consequentiam . Et sane , sicuti projectio mercium habere potest aliam bonitatem , quæ moveat mercatorem ad illas in mare projiciendas : cujusmodi esset , v. g. finis renunciandi divitiis secularibus, Deo sic inspirante , vel dictante philosophia , qua motos id fecisse, legimus aliquos ethnicos sapientes : vel alius finis ab eodem apprehensus , ut bonus : puta v. g. ne filium dyscolum , &  
ino-



inobedientem tantarum opum hæredem relinquat, aut quid simile: ita, qui habet jam sibi propositum motivum scientiæ, etiam nullo imminente proximo periculo erroris, aut ignorantæ; poterit eligere motivum opinionis, aut fidei: ut v. g. idem objectum multiplici argumento comprobari posset (ut sit passim in ordine ad probandam existentiam Dei) ut loquenti obsequium præstet; ut virium proprii intellectus periculum faciat: vel ob peculiarem bonitatem, & perfectionem, quam cognoscit in actu, qui simul sit opinio, fides, & scientia; aut in triplici, ut ita dicam, fœdere actuum distinctorum, alioqui non repugnantium.

Obijcies 11. Cum eodem: qui interponit suam autoritatem, ut credatur res, alioqui evidens, videtur illudere: ergo fides cum scientia componi minime potest.

Respondeo, distinguo antecedens: in aliquo casu, & per accidens, transeat: in omni casu, & per se, nego antecedens, & consequentiam. Esto, quandoque quis ludat, dum rem, quam oculis cernimus, vel aliunde evidenter cognoscimus, nobis vi suæ autoritatis credendam proponit, perinde ac si objectum, illud sua autoritate indigeret; per se tamen loquendo, potest quis ob alios suos fines rem, alioqui certam, & evidentem, alteri credendam proponere: immo in sacris paginis multa dicuntur a Deo, adeoque credibilia sunt, immo credi debent sub pœna infidelitatis (imprudenter enim Deus revelaret id, quod credibile non esset, ut dictum est *in theol. lib. 3. de fide*) & tamen sunt aliunde demonstrabilia, certissima, & evidentiæ: cujusmodi est, inter alia, ipsiusmet Dei existentia, ut dictum est *in theol. lib. 1. de Deo*.

XX. Obijcies 12. Prædictus actus, qui simul esset opinio, fides, & scientia; vel libere, vel necessario eliceretur: neutrum dici potest: ergo hujusmodi actus repugnat.

Respondeo, nego minorem: & dico, quod libere eliceretur: licet enim, proposito motivo evidenti, & motivo mere probabili, intellectus necessitaretur ad aliquem actum scientificum, ex vi motivi scientifici; cum tamen non necessitaretur, ex vi motivi opinativi; hinc fit, ut sicut absolute, & simpliciter non necessitatur ad actum opinionis; ita neque necessitetur ad actum, qui simul sit scientia, & opinio indivisibiliter: unde etiam est, ut imperium talis actus esse possit meritum, aut demeritum, quan-

quantum est ex hoc capite, puta, quia imputabile, quippe liberum.

Obijciēs 13. Sequeretur, quod idem actus esse simul possit opinionis, scientiæ, & fidei divinæ: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, distingo majorem: nisi obset specialis repugnantia, concedo; si obset specialis repugnantia, nego majorem: & distingo minorem: in sensu negato, concedo; in sensu concessio, nego minorem, & consequentiam. Ceterum *in theol. lib. 3. de Fide*, sequelam concessi cum recentioribus communissime, putans, fidem divinam componi posse, etiam cum evidentia in attestante. Verum id theologi examinent. Nos loquimur: in præsentia de fide humana.

Obijciēs 14. Si posset dari actus, qui simul sit opinio, fides humana, & scientia; posset etiam dari unus, idemque habitus, qui simul indivisibiliter, sive identice, esset habitus fidei, scientiæ, & opinionis: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Respondeo, concessa sequela majoris, nego minorem: si enim hujusmodi actus possibiles sunt; quare non possibilis reputetur habitus, per se inclinans ad hujusmodi actus? Si, ut ita dicam, fructus non sunt chimerici; quare eorum radix erit reputanda chimera? Quid autem sint habitus, & utrum defacto dentur; videbitur, ubi de anima, in physicis.

## ARTICULUS VII.

Analysis prædictorum in argumenta negativa.

XXI. **D**ico 1. In hac *disp. 14.* præcipue assertiones nostræ sunt quatuor. Prima, scientiam, fidem, opinionem de diversis objectis componi posse. Secunda, de eodem objecto, ob idem prorsus motivum, componi minime posse. Tertia, etiam propter diversa motiva, componi non posse scientiam cum actuali dubio, vel formidine, absolute, & simpliciter. Quarto, posse tamen, secluso actuali dubio, vel formidine, & quidem tum in eodem intellectu, tum in eodem actu.

Prima assertio, tandem aliquando probatur, quia, ex una parte, non videtur, quomodo salvari possit experientia, quam nos habere videmur de hoc: aut quare hæc, quam putamus experientiam, sit corrigenda, tanquam error, & illusio plane communis: cum nihil obset, nec ulla in hoc appareat repugnantia. Se-

• Secunda, quia motivum absolute, & simpliciter vel apparet nobis essentialiter certo, evidenter connexum cum objecto, vel non: si apparet tale; non est, quare non scientificè judicemus: sin minus; non apparet, quomodo possimus scientificè judicare: puta sine motivo scientifico.

Tertia, quia vel habetur motivum certum, evidens, sufficienter scientificum de tali veritate, vel non: si primum; ergo absolute, & simpliciter certissimi sumus, & quidem evidenter, de hujusmodi veritate, undecunque proveniat talis certitudo, & evidentia: ergo non videtur explicabile, nec perceptibile, quomodo, citra contradictionem, in sensu conjuncto cum hac certitudine, & evidentia, possimus de eadem prorsus veritate absolute, & simpliciter dubitare, vel formidare: si secundum; ergo non videtur, quomodo haberi possit scientia de hac veritate, puta si non habetur motivum sufficiens scientificum.

Quarta, quia neutrum convincitur repugnans, absurdum, aut inconveniens, aut saltem supra vires creati intellectus, qui alioquin supponatur capax plurium actuum simul, aut unius propter plura diversa motiva: ergo, si potest, quoad diversa objecta; quare non quoad idem? si potest per plures actus successive; quare non simul? si potest per ternarium actuum realiter distinctorum; quare non per ternarium prædicatorum realiter identificatorum in una, eademque entitate actus, distinctorum solummodo distinctione ratiocinata per intellectum?

XXII. Dico 2. Adversarii, quoad primam, secundam, & tertiam assertionem non contradicunt. Quoad quartam negant: quia, inquiunt, non videtur, quomodo essentia opinionis, sine incertitudine, adeoque sine actuali formidine salvari possit: idem dicunt de fide humana: quæ, ut humana, non videtur, quomodo præscindere possit ab incertitudine, adeoque a formidine actuali: immo, præcise ut fides, quæ natura sua cæca est; non videtur, quomodo, in sensu conjuncto cum evidentia, adeoque sine obscuritate, salvari possit de objecto, alioquin viso per alium actum: & a fortiori, de objecto viso per unum, eundemque actum, quo creditur, aut opinative affirmatur.

*Corollarium.*

Sed hæc, & similia, tam nostra, quam adversariorum argumenta, ut dictum est in Clavi *disp.* 1. sunt negativa: ergo tam nos, quam adversarii, in hac *disp.* 1. 4. de syllogismo probabili, Negative syllogizamus.

*Ant. Forti.*

DI-

## DISPUTATIO DECIMAQUINTA

De propositione vocali ,  
 seu  
 de vocum significatione.

*Primo, an, & quid vocabula significant naturaliter. Secundo, quid significant ad placitum. Tertio, utrum immediate significant rem, an vero conceptum mentis.*

*Quarto, unde formaliter constituantur significativa ad placitum.*

## ARTICULUS I.

An, & quid vocabula significant naturaliter.

I. **D**ico 1. Haftenus de propositione mentali. Quoniam vero mentis interpret est vox externa; deinceps cum Aristotele in libris *Περὶ Ἑρμηνείας*, quod, de interpretatione, latine sonat, non abs re additur disputatio praesens, in cuius hoc primo articulo, quaestio est de vocabulis, de vocibus nimirum articulatis, humano modo prolatis, juxta ea, quae dicta sunt in summulis *disp. 1. art. 3. & 4.* Jam hujusmodi voces naturaliter, aliquo modo, significant: primo, existentiam sui, seu seipsas materialiter acceptas: secundo, loquentem, seu potentiam locutivam: tertio, voluntatem loquendi in loquente: quarto, in eodem cognitionem vocis, qua ipse utitur: quinto, in eodem cognitionem objecti significati per vocem. Assertio probatur: quia vox articulata, humano modo prolata, primo, ingerit audienti speciem, & cognitionem sui: quod enim auditur, cognoscitur ab audiente: secundo, ingerit audienti cognitionem loquentis, seu potentiae locutivae: si enim vox est, & auditur; aliquis loquatur necesse est, naturaliter, & humano modo: tertio, significat, seu indicat voluntatem loquendi: qui enim non voluntarie loquitur; non loquitur, modo humano: quarto, cognitionem vocis, in ipso loquente: qui enim vult vocem illam; cognoscit: quia nil volitum, quin praecognitum: praeterea

*Phil. Neg. Log.*

P p p p

terea significat, in eodem loquente, cognitionem rei significatæ per ipsam vocem: quia, si aliquid ex his deficiat; non potest haberi vox, humano modo prolata: ergo, qui audit hujusmodi voces, arguitive, seu per modum argumenti in horum omnium cognitionem inducitur: ergo hæc omnia, per hujusmodi voces, aliquo modo significantur; & quidem natura sua: quia, in ordine ad hujusmodi significationem, non pendent a libero voluntatis arbitrio: suntque effectus, qui, aliquo modo, ducit in cognitionem suæ causæ, ut aliquale signum instrumentale, natura sua.

II. Dico 2. Dixi, aliquo modo, scilicet minus proprie, & rigoroſe. Quandoquidem utrum, respectu horum omnium, vox articulata dicenda sit proprie, & rigoroſe signum; quæſtio eſt de nomine. Et primo negant doctores communiter, idem proprie, & rigoroſe dici poſſe ſignū, respectu ſui ipſius: cum ſignum proprie, & rigoroſe ſit, ex D. Auguſtino, quod, cognitum, ducit in cognitionem alterius, ut innuebam *in ſumm. diſp. 1. n. 4.* Unde, in ſententia communi, cognitio adæquate reflectens ſupra ſeipſam, chimerica reputatur: ſupponitur enim, omnem cognitionem eſſe debere proprie, & rigoroſe ſignum, & imaginem intentionalem: atqui non eſſet proprie, & rigoroſe ſignum, & imago; ſi adæquate reflecteret ſupra ſeipſam: ergo eſſet, & non eſſet cognitio: ergo chimera. Minor probatur: quia & ſupponitur, ex dictis, ſignum proprie, & rigoroſe non eſſe, quod, cogitum, præterea non ducit in cognitionem termini, a ſe diſtincti. Secundo, etiam negant, effectum proprie, & rigoroſe dici poſſe ſignum ſuæ cauſæ, ut dictum eſt in ſummulis *diſp. 1. num. 6. art. 4. ad object. 5.* eo quod effectus, præciſe ut talis, non ſignificet naturaliter, ad modum imaginis, cauſam ſuam: cum non ſit primariū, & per ſe inſtitutus a natura ad ſuam cauſam ſignificandam, ſcilicet, ut nos conducat in cognitionem ſuæ cauſæ; licet id præſtare poſſit ſecundario, arguitive, & quaſi per accidens.

## A R T I C U L U S II.

Solvuntur objectiones.

III. **O**bjicies 1. Cum pſittacus loquitur; ejus voces non ſignificant omnia ſupra relata: neque enim pſittacus habet cognitionem, aut voluntatem: ergo falſa conclusio.

Reſpondeo, nego conſequentiam: pſittacus enim non loquitur

tur, humano modo : ob quam rationem, proprie loquendo , nec potest proprie , & formaliter mentiri , nec esse verax ; licet materialiter pronunciet voces , & quidem voces articulatas materialiter veras , vel falsas ; quippe objecto conformes , aut disformes. Assertio nostra est de vocibus articulatis , prolatis humano modo .

Objicies 2. Cum quis , dormiens , loquitur non habet actum voluntatem loquendi. Et sæpe pueri loquuntur, nec ullam habent cognitionem rerum significatarum , per ipsas voces : ergo hæ voces , etiam ab homine prolatae , non semper significant , aliquo modo , prædicta omnia.

Respondeo , distinguo consequens: voces, non humano modo prolatae , concedo ; humano modo prolatae , nego consequentiã. Dormiens, & pueri, in casibus allatis , non humano modo , verba pronunciant: neque enim, ita considerati, capaces sunt actuum humanorum , & moralium: neque veraces , aut mendaces formaliter esse possunt, dum ita verba pronunciant. Enimvero quidquid non est formaliter locutio ; nequit esse formaliter locutio verax , aut mendax : siquidem, esse veracem formaliter , aut mendacem , sunt proprietates formalis locutionis , de qua fuse , & expresso dictum est *in theol. l. 3. de fide* .

IV. Objicies 3. Hæc vox, panis, v. g. significat, per modum imaginis, talem cibum, non naturaliter , sed ad placitum : ergo eadem vox non significat, per modum argumenti, cognitionem talis cibi in loquente naturaliter , sed ad placitum .

Respondeo , distinguo consequens : absolute , concedo ; ex suppositione , nego consequentiam . Certum est, quod hæc vox, panis, sicut erat indifferens , ut assumeretur in signum ad hunc cibum repræsentative significandum , vel ad aliquid aliud ; erat consequenter absolute indifferens ad significandam arguitive in loquente cognitionem hujus cibi, vel alterius rei. Verum, ex suppositione , quod libere fuerit assumpta ad significandum hunc cibum ; naturaliter habet , ut humano modo prolata , per se ducat arguitive in cognitionem panis, existentem in loquente ; nisi fortasse per accidens hic supponatur errare, putans, hujusmodi vocem institutam esse ad aliud diversum objectum significandum.

Objicies 4. Voces aliquæ habent similitudinem quandam cum re , quam significant , v. g. sibilus, qui significat oris flatum ; mugitus, qui significat bovis vocem ; & sic de aliis per

onomatopœjam efformatis : ergo saltem tales voces significant naturaliter , præter prædicta , aliquid aliud , nempe rem , cujus sunt hujusmodi signum .

Respondeo, nego consequentiam: quia, ad talem similitudinem vocis cum re significata ; per accidens , & non necessario hic & nunc attenderunt linguæ institutores : nanque , adhuc stante tali materiali similitudine , potuissent voces illæ assumi ad alias res materialiter, longe diversas, significandas , v. g. sibilus ad significandum panem , mugitus ad significandam formicam : & defacto plura vocabula talem similitudinem cum re significata minime præferunt: ergo, tali similitudine , seu proportionem non obstante , prædictæ voces erant indifferentes ad hanc , vel illam rem significandam ad placitum . Jam de hujusmodi vocibus quærit

### A R T I C U L U S III.

Quid vocabula significant ad placitum.

V. **D**ico 1. Vocabula significant ad placitum , & non naturaliter objecta , quorum loco , imaginis instar , substituuntur. Assertio est cõmunissima contra Platonem , & alios antiquiores , apud Polizzium hic *sect. 5. num. 53.* & probatur ex Aristotele. Quæ sunt a natura , eadem sunt apud omnes : atqui vocum significatio non est eadem apud omnes : ergo non est a natura , sed a libero voluntatis arbitrio . Major videtur certa : quia enim risus naturaliter est signum lætitiæ ; suspiria signum doloris ; apud omnes nationes risus habet ducere in cognitionem hominis læti , suspiria vero dolentis . Minor etiam patet : nam diversæ nationes vocabulis utuntur longe diversis : & sæpe unum , idemque , apud varias adhibitum nationes , significat objecta valde diversa . Ita vox illa , cara , apud nos , & latinos , rem amatam , vel multi pretii denotat : apud hispanos autem , faciem , significat . Vox enim vero , ex natura sua , indifferens est ad hoc , vel illud objectum significandum : sicut etiam vexilla , hieroglyphica , florum ferta , notæque omnes clandestinæ , quibus varix nationes, vice vocabulorum , etiam utuntur ad animi affectus , pro illorū varietate , non sine aliqua symboleitate significandos . Capacitatem tamen intrinsecam , ut assumantur in signa ad placitum , habent voces : quandoquidem capacitas hæc , seu aptitudo vocum intrinseca , ipsa est earundem essentia , seu natura .  
capax,

capax, ut, ex libero hominum arbitrio, evadant signum instrumentale ad alicujus rei manifestationem inter loquendum.

VI. Dico 2. Voces habent ad hoc, ex natura sua, aptitudinem quandam remotam, præ cæteris rebus, quæ in signum ad placitum possent assumi ab hominibus. Assertio probatur: ea, quæ, ex una parte, ad id primario instituta videntur a natura: &, ex altera parte, sunt sensibilia: &, pensatis omnibus, facilliora, ut præsto sint, ac discernantur; magis apta videntur, ut in signum ab hominibus assumantur, ad societatem, & commercium in republica instituendum, & conservandum: atqui voces articulatae, ex una parte, reputantur institutæ primario a natura ad loquendum: ex altera parte, nullum sensibile, pensatis omnibus, facilius haberi, ac discerni commodius potest ab homine, aut æque commode, ac voces, per se loquendo: ergo nullum signum est magis, aut æque aptum hominibus ad loquendum. Major videtur certa: quia, ex una parte, homines, non nisi signis sensibilibus loqui possunt; cum per externos sensus hauriant rerum species, unde sibi deinde forment objectorum intellectiones: non ita angeli, qui, etiam per signa minime sensibilia, colloquuntur: ex altera parte, illud medium est magis aptum ad finem, quo securius, & facilius finis acquiri potest. Minor ejusdem syllogismi probatur etiam: quia, ex una parte, sicuti oculi primario instituti fuerunt a natura ad videndum, manus ad operandum, pedes ad ambulandum; ita voces articulatae videntur, & reputantur communiter primo, & per se ad loquendum institutæ a natura: ex altera vero parte, voces non solum sunt sensibiles, sed & mira quadam facilitate ab hominibus proferuntur: earumque varietas, ob accentus, syllabas, ac multiformes inflexiones, facilius dignoscitur: difficilius enim (quis neget?) adhibere picturam, vexilla, hieroglyphica, flores, notas clandestinas: ad quæ comparanda, & adhibenda pluribus manifeste opus est; quam ad mera vocabula proferenda.

VII. Dico 3. Voces, ad humanum commercium ineundum, non fuerunt absolute, & simpliciter necessariae. Probatur: quia non videtur repugnare, quod humana respublica, per alia signa sensibilia, quæ non sint voces (licet non ita facile) sese potuerit socialiter, ultro citroque manifestare: puta gestu, motu, symbolis, hieroglyphicis, aliisque notis extrinsecis: ergo voces ad id non fuerunt absolute, & simpliciter necessariae.

Di-



Dico 4. Idem a fortiori dicendum de scriptura: cum similis, & quidem a fortiori de scriptura militet ratio. Non negaverim tamen, tum voces, tum scripturam fuisse, secundum quid, necessaria ad humanum commercium: idest ad illud majori cum facilitate ineundum, valde proportionata, & proficua. Et aliquod signi sensibilis genus absolute necessarium, nullum tamen determinate. Nisi enim adinvicem manifestari aliquo signo sensibili possent nostræ mentis conceptus; nulla posset in humana republica societas stabiliri; commercium nullum servari humanum: cū alioqui homo sit, ex natura sua, animal politicum, & sociabile.

#### A R T I C U L U S IV.

Solvuntur objectiones.

VIII. **O**bjicies 1. Genesis cap. 2. v. 19. dicitur, *omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*: ergo rerum nomina, rerum propria, & naturalia sunt, non ex mero hominum beneplacito.

Respondeo, nego consequentiam. Sacræ Genesis, loco citato, genuinus est sensus, ab Adamo nomina fuisse animantibus indita valde apta, congrua, convenientia, appropriata, utpote, quæ singulorum naturam, Adamo sapientissimo bene notam, aliquo modo, exprimerent. Et quidem id fecit Adam hebraica lingua, quam illi Deus indidit. Nomina deinde animantibus, multiplici alio idiomate, temporis decursu imposita, eo magis, aut minus congrua existimantur; quo magis, aut minus, æquivalenter, accedunt ad nomina tunc primum indita, quibus singulorum natura magis, aut minus exprimeretur. Ubi notandum, pisces a Deo non adductos ad Adam tunc, ut nomen acciperent: pisces enim vero extra aquas naturaliter vivere neutiquam possunt: unde non opus fuit jam tum eis indiri nomina, temporis progressu imponenda.

Objicies 2. Suspiria, gemitus, ejulationes, significant naturaliter mærorem; & aliæ id genus voces, animi passiones internas: ergo voces humanæ, saltem aliquæ, significant, ex natura sua, non ad placitum.

Respondeo, distinguo consequens: voces inarticulata, transeat; articulata, nego consequentiam. Illud addo, suspiria, & gemitus, & similia, licet ab homine proferantur humano modo,  
idest

ideſt cum cognitione , & voluntate aliquid ſignificandi ; nihilominus non eſſe proprie , & ex natura ſua, voces humanas , juxta aliquorum opinionem: ſunt enim, ex natura ſua, etiam quibuſdam brutis communia : nam turtures gemere obſervantur : & alia quædam animalia ſuſpirare.

IX. Objicies 3. Bruta, ſaltem aliqua, habent ſuas voces, licet inarticulatas, quibus affectiones ſuas internas naturaliter manifeſtant: videmus enim, pullos avium ſignificare matribus famem ſuam; leonem ſuo rugitu internum furorem oſtendere; gallinam vario ſono, nunc ad ſe accire pullos, nunc vero in fugam conjicere ad aliquod periculum evitandum: ergo natura minus provida fuit erga homines: hique inferioris conditionis, quam bruta; ſi voces humanæ articulatæ non ſignificant naturaliter, ſed ad placitum.

Reſpondeo, omiſſo antecedente, nego conſequentiam. Natura enim dedit homini dotes alias innumeras longe præclarioreſ: nec non intellectum, ac libertatem, & voces ipſas, quibus ad arbitrium uti poſſit: quod, licet non nihil exigat applicationis, & induſtriæ; eſt tamen, ex eodem capite, magis honorificum, magisque decens naturam rationalem, loquentem humano modo.

Ubi notandum ( ut ſæpe alibi, tum in theologia ) unam rem dici, eſſeque altera perfectiorem absolute, & ſimpliciter, non quia illam præciſe ſuperet ſecundum unam conſiderationem, ſcilicet in una tantum perfectione, ſed quia, penſatis omnibus, illam excedat. Unde non dicitur, nec revera eſt homine perfectior aquila, præciſe, quia homini præſtat acie oculorum: nec leo, præciſe, quia robore corporis, ac fortitudine virium.

Objicies 4. Niſi voces ſignificent naturaliter, nequit explicari, quomodo prima vice fuerint aſſumptæ ad hoc, vel illud ſignificandum: ergo ſignificant naturaliter. Antecedens probatur: qui primi vocibus uſi ſunt, non poſſent explicari, quomodo ſuos conceptus internos ſociis manifeſtarint: nam, vel ſignis externis, vel non: ſi primum, ergo; ante uſum vocis, fuit alius colloquendi modus: ſi ſecundum; explicetur, quomodo ſuos conceptus internos manifeſtarint.

Reſpondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego iterum antecedens. Et ad ejus probationem eligo ſecundam partem, & dico: cum homo, natura ſua, ſit animal politicum, & ſocia-

ciabile : nec possit in humana republica iniri, fervarique societas , commercium, amicitia sine aliquo signo sensibili, conceptuum inter-  
 norum manifestativo ; Deum , utpote authorem naturæ , sua  
 divina providentia, prima vice hominibus, idest Adamo, & Evæ ,  
 primam linguam indidisse , & edocuisse, infundendo species ali-  
 quarum saltem vocum, & objectorum, per ipsas, significatorum.  
 Rursus post diluvium idem Deus, in confusione turris babyloni-  
 cæ, septuaginta linguas instituit . Cum autem facile sit inventis  
 addere ; potuit deinde humanum ingenium, & adhuc potest, nova  
 in dies idiomata instituere .

X. Objicies 5. Ex Plinio *lib. 2. hist. cap. 24.* Cræsi filius mu-  
 tus a nativitate , cum militem in patrem suum irruentem aspexis-  
 set ; illico prorupit in illas voces : miles ne occidas Cræsum : at-  
 qui voces illas non potuit aliunde mutus edificere, quam a natura :  
 ergo voces, etiam articulatae, significant naturaliter . Minor pro-  
 batur : qui est mutus a nativitate , est etiam surdus : ergo nonnisi  
 a natura, quoad loquendum, instrui potest.

Respondeo , transmissa majore , si Plinio habenda fides : ne-  
 go minorem : si enim casus est verus ; signum est , Cræsi filium,  
 fuisse quidem a nativitate mutum , at non omnino surdum . Hinc  
 temporis decursu apprehendisse voces , illasque ob aliquod impe-  
 dimentum proferre non potuisse . Deinde , si naturaliter contigit  
 casus , non ope dæmonum , quod sane non est temere præsumen-  
 dū ; dicendus, ob violentiam amoris erga parentem , impetu sibi  
 facto , fregisse vinculum linguæ suæ . Sic quandoque ob furoris ,  
 aut metus , aut alterius pathematis vehementiam , humores ali-  
 qui noxii, quibus torpemus , ligamur , opprimimur ; digerun-  
 tur , excitantur , aut resolvuntur . Ad probationem minoris, in  
 forma , nego antecedens in universum : siquidem, licet , qui sur-  
 dus est a nativitate , mutus etiam naturaliter sit oporteat : cum,  
 non audiat alios loquentes , a quibus viam vocabulorum edificat ;  
 qui tamen est mutus, etiam a nativitate, potest non esse surdus :  
 cum surditas oriri possit ex organorum impedimento ad lo-  
 quendum , sane amovibili : adeoque decursu temporis, tali remo-  
 lo objice, loqui poterit.

A R T I C U L U S V.

Utrum vocabula immediate significant rem, an  
conceptum mentis.

XI. **D**ico 1. Vocabula immediate, & primario significant res ipsas, non vero rerum ipsarum cognitio-  
nes, seu conceptus mentis. Idem dicendum de scriptura, & quo-  
vis alio signo ad placitum: scilicet, quod immediate significet  
rem ipsam, seu objectum; non vero conceptum, aut vocem, aut  
aliud signum ipsius rei. Est sententia communis contra Thomi-  
stas. Et probatur: voces illud immediate, & primario signifi-  
cant, quod loquens primario, & immediate intendit exprimere;  
& quod audiens immediate, & primario vult per ipsas cognoscere:  
sed loquens vult, & intendit exprimere primario, & immedia-  
te objecta, non ita conceptus mentales: & audiens intendit im-  
mediate, & primario cognoscere objecta, non ita conceptus men-  
tales de objectis: ergo voces immediate, & primario significant  
res, seu objecta, non conceptus mentales. Major videtur certa:  
voces enim significantæ sunt in gratiam loquentis, & audientis:  
ergo illud immediate, & primario significant, quod loquens im-  
mediate, & primario intendit exprimere; & audiens immediate,  
& primario intendit cognoscere. Minor probatur etiam: primo,  
ex parte loquentis: siquidem europæus, v. g. qui diceret india-  
no: Europa est pars mundi pulcherrima; illud immediate, & pri-  
mario intenderet exprimere, quod audienti credendum objice-  
ret: unde parum curaret, quod audiens veniret in cognitionem  
conceptus de tali objecto in sua mente existentis, ut patet expe-  
rientia: si enim vellet immediate, & primario suum conceptum  
significare, reflexe diceret: ego cognosco, seu puto, Europani  
esse mundi partem pulcherrimam; qui profecto est modus loquen-  
di valde diversus: secundo, ex parte audientis: nanque indianus  
audiens ex occulta specula prædictas voces, Europa est pars mun-  
di pulcherrima; interrogatus, quid intellexerit; si respondeat,  
intellexisse rem significatam per tales voces, idest, Europam esse  
mundi partem pulcherrimam; existimatur sufficienter percepisse  
significationem talium vocum: sive de cætero deinde respiciens,  
advertat, voces illas a psittaco, qui talium vocum intelligentiam  
non habet; sive ab homine, fuisse prolatas. Eadem est ratio de

*Phil. Neg. Log.*

. Q q q q

scriptu-

scriptura, & aliis signis, quæ mutæ quædam voces, quoad æquivalentiam, dici possunt. His tamen non obstantibus,

Dico 2. Non negaverim, per voces aliquas immediate, & primario ipsos mentis conceptus significari. Enimvero sicuti vox, leo, leonem significat; ita hæ voces, intellectio, conceptus mentis, cogitatio, & alia hujus generis vocabula, sunt instituta ad significandum immediate, & primario ipsum conceptum mentalem, qui, respectu ipsarum vocum, est objectum significatum.

## ARTICULUS VI.

Solvuntur objectiones.

### XII.

**O**bjicies 1. Qui audit voces prolatas a psittaco, præstat assensum: qui autem audit voces prolatas ab homine, præstat assensum, credens: atqui non nisi, quia voces psittaci significant immediate rem ipsam: voces vero hominis significant immediate conceptum mentis: ergo voces hominis significant immediate non res, sed conceptus mentales.

Respondeo, nego minorem: psittaco verba proferenti mihi me credimus, non ob defectum immediatæ, & primariæ materialis significationis in ipsis vocibus; de qua præsens est controversia: sed ob defectum significationis mediatæ, & secundariæ, qui facit, ut psittaco, verba materialiter significativa proferre desit fidedignitas; quæ est autoritas loquentis humano modo consistens in ternario sapientiæ, veracitatis, & veridicitatis, juxta nostra principia, ut dictum est *in theol. lib. 3. de Fide*: vel alio prædicato, juxta varias sententias aliorum.

Objicies 2. Voces, auditæ, nos certificant de existentia cognitionis objectorum in loquente: non vero nos certificant de existentia ipsorum objectorum: ergo illæ primario significant conceptus, secundario objecta.

Respondeo, nego consequentiam: vel, claritatis gratia, distinguo consequens: arguitive, seu per modum argumenti, tractat; per modum imaginis, nego consequentiam. Auditis vocibus a loquente, illico certificamur, quod in ejus mente existat cognitio objecti: non enim potest vox humano modo proferri a loquente, nisi cognoscat objectum: cum non possit illas adhibere in signum rei prorsus ignotæ; non autem certificamur de existentia

ita objecti : quia potest a loquente pronunciari vox significans objectum , etiam non existens. Ad summum , nisi aliunde constet oppositum , aut prudenter præsumatur ; certificamur moraliter , quod loquens ita sentiat de objecto , ut manifestat per voces : nemo enim præsumendus est mendax , adeoque malus , nisi probeatur . Atque hic est sensus , cum concedimus in distinctione consequentis , quod voces , per modum argumenti , significant conceptus , seu potius existentiam conceptus in mente loquentis ; non vero objecta , seu potius existentiam objectorum .

XIII. Objicies 3. Audiens , mediis vocibus , cognoscit objecta , non quomodocunque , sed pro ut sunt in mente loquentis : ergo voces significant tum objecta , tum conceptus mentales loquentis .

Respondeo , distinguo consequens : ergo voces significant tum objecta , tum conceptus , diverso modo , concedo ; eodem modo , nego consequentiam . Voces immediate , & primario significant objecta ; mediate , & secundo mentis conceptus : illa nimirum per modum imaginis , idest repræsentative ; hos vero per modum argumenti , seu arguitive , ut constat ex dictis .

Objicies 4. Si voces non significant immediate , & primario conceptus mentis in loquente ; non posset dari mendacium : consequens est manifeste falsum : ergo , & antecedens .

Respondeo , nego sequelam majoris . Mendacium consistit in hoc , quod significetur immediate , & primario per voces , aut per alia signa sensibilia , æquivalentia vocibus , affirmando , aut negando ; objectum , de quo , loquens , interne aliter sentiat , seu habeat judicium oppositum : adeoque mendacium etiam importat , quod mediate , & arguitive , per voces significetur judicium , seu conceptus loquentis , aliter , ac ipse revera habet in mente . Sed de mendacio fusc dictum est in *theol. lib. 3. de Fide* .

Objicies 5. Voces subrogantur loco conceptuum : atqui , subrogari loco conceptuum , est esse signum illorum : ergo voces sunt immediatum signum conceptuum mentalium in loquente .

Respondeo , distinguo majorem : voces subrogantur loco conceptuum , ut una imago vice alterius imaginis , transeat ; subrogantur loco conceptuum , ut rei primario , & immediate significata per imaginem , nego majorem : & distinguo minorem : in sensu negato , concedo ; in sensu concessio , nego minorem , & consequentiam . Et contra sic argumentor : subrogari loco alterius est

est, præstare illud idem munus, quod præstabat, præstaret; aut præstare deberet alterum: atqui signa vocalia, idest voces subrogantur loco signorum mentalium, puta conceptuum mentis, qui a nobis videri, audiri que minime possunt: ergo signa vocalia, idest voces, significant externe illud idem, quod interne, conceptus mentis: sed conceptus mentis immediate, & primario interne significant objecta: ergo & voces primario, & immediate significant externe ipsa objecta. Sic statua ærea Marcelli, exposita in loco, ubi prius erat ejusdem Marcelli statua lignea, vel marmorea, immediate, & primario est signum, & imago Marcelli, non autem alterius imaginis lignæ, vel marmoreæ.

XIV. Objicies 6. Scriptura immediate, & primario significat voces: ergo voces immediate, & primario significant conceptus mentis.

Respondeo, nego antecedens. Scriptura, cum subrogetur loco vocis, debet præstare illud idem; quod voces: atqui voces immediate, & primario significant res: ergo & scriptura: & sic de aliis excogitabilibus signis, per se loquendo. Notandum tamen, quod, cum scriptura illud idem significet, quod significant voces; hinc fit, ut, si vocum significationem nesciamus; regulariter nesciamus etiam significationem scripturæ. Quod autem, perfecta scriptura, illico excitentur in nobis species vocum; provenit ex connexionione, quam habent in eodem objecto significando: cum præsertim regulariter prius loqui, quam scribere, perdiscamus.

Objicies 7. Cum Polizzio in *logica tract. 6. disp. 44. sect. 4. num. 46.* voces, ordine intentionis, primario significant conceptus mentis; licet ordine executionis primario significant res: ergo ita conciliari poterunt duæ sententiæ, oppositæ quo ad hoc. Antecedens probatur: finis immediatus, ob quem institutæ fuerunt voces, fuit bonum reipublicæ, ut scilicet homines possent secum inire societatem, & commercia: mentisque conceptus sibi adinvicem sensibilibus signis manifestare: ergo voces, ordine intentionis, primario significant mentis conceptus.

Respondeo, nego antecedens: ad ejus probationem, nego consequentiam. Finis utentis vocibus, vel illas instituentis, potest esse ad libitum: & quidem longe diversus ab illo, quem, ut ita dicam, respiciunt immediate ac primario ipsæ voces, modo suo: puta potest esse proprium lucrum, eruditio pueri, bonum com-

communitatis, ostentatio eloquentiæ, seu doctrinæ, aut quid simile. Finis vero immediatus, ac primarius, ut ita dicam, ipsius vocis, est significare talem, vel talem rem: adeoque finis ipsius loquentis, præcisè ut loquens est, est uti voce significativa, exprimendo per illam primario objectum, secundario conceptum mentis. Ita, qui utitur, præcipit, vel præparat medicinam; potest habere finem primarium longe diversum ab illo, quem, ut ita dicam, suo modo, respicit medicina: qui est sanitas: nec tamen ideo quis dicat, medicinam primario, & per se non esse instrumentum sanitatis acquirendæ, sed alterius finis, quem hic & nunc, per accidens habet ægrotus, vel medicus, vel pharmacopola.

XV. Objicies 8. Voces ex Aristotele sunt earum, quæ sunt in animo, passionum notæ: ergo immediate, & primario representant animi conceptus.

Respondeo, nego consequentiam: Aristoteles docet primo, mediis vocibus manifestari posse affectus, & passionem animi: nam sicuti per has voces, leo, tigris, &c. possumus significare hoc, & illud animal; ita per has voces, amor odium, spes, timor, possumus significare, & denotare hunc, vel illum animi affectum, & passionem: secundo, per voces facile argui posse, quid quisque boni, quid mali machinetur animo, juxta vulgatum illud: *loquere, ut te videam*: nam *ex abundantia cordis os loquitur*: tertio, per voces mediate, arguitive, & per modum argumenti significari conceptus, licet non immediate, & instrumentaliter, ut constat ex supra dictis.

## A R T I C U L U S VII.

Unde vocabula constituentur formaliter significativa ad placitum.

XVI. **D**ico 1. Forma, per quam voces articulatæ, de quibus loquimur, constituentur significativa hujus, aut illius objecti, est volitio institutorum linguæ, quicumque illi sint, sive Deus, sive angeli, sive homines. Assertio probatur: quia, ex una parte, talis volitio est sufficiens ad reddendam vocem significativam: ex altera parte, nihil aliud est assignabile, quod munus talis formæ commodius, præstet, aut æque commode:



de : ergo forma , per quam hujusmodi voces constituuntur significative ad placitum , est volitio institutorum linguæ . Itaque vox significativa ad placitum , est concretum quoddam , importans de materiali ipsam vocem , de formali volitionē institutoris : sicuti album est concretum quoddam , importans de materiali parietem , de formali albedinem .

Dico 2. Vox significativa , ut sit significativa , non opus est , actu ducat in cognitionem objecti , cujus loco substituitur ( quod aliqui dicunt , esse significativam in actu secundo , seu esse significantem ) sed sufficit , quod proxime sit apta ad talem cognitionem inducendam : quandoquidem , etiamsi vox actu non inducat alium in cognitionem rei , quam significare apta est ; non ideo amittit esse significativam : sicuti , etiamsi homo actu non loquatur ; non ideo amittit esse locutivum .

## A R T I C U L U S VIII.

Solvuntur objectiones.

XVII. **O**bjicies 1. Volitio institutorum linguæ est quid jam transactum : ergo volitio illa non potest esse forma constitutiva vocis significative ad placitum.

Respondeo , distinguo antecedens : est quid transactum physice , concedo ; moraliter , nego antecedens , & consequentiam . Volitio institutorum linguæ , licet physice sit transacta ; cum tamen moraliter perseveret , idest non fuerit retractata , vel abrogata ; apta est constituere vocem significativam : sicuti pluries diximus in peccatore habituali , aqua benedicta , domo antiqua , & similibus concretis , natura sua , saltem partialiter successivis , ac transeuntibus .

Objicies 2. Rusticus , vel puer , cognoscens vocem significativam , non cognoscit voluntatem institutoris linguæ : ergo hæc non est forma constituens vocem significativam.

Respondeo , distinguo antecedens : cognoscens voces significativas specificative sumptas , concedo ; reduplicative , subdistinguo : non cognoscit voluntatem institutoris extrinsece , concedo ; intrinsece , nego antecedens , & consequentiam . Rusticus , & puer , qui cognoscit vocem significativam , qua talem , cognoscit , vocem esse significativam : ergo cognoscit hoc , quod est , esse significativum : sed in hoc includitur , ut pars , prædicta volitio :  
ergo

ergo illam intrinsece cognoscit ; licet non cognoscat extrinsece , idest non cognoscat illam sub hoc nomine volitionis . Sic idem , rusticus , & puer cognoscit quidem suum patrem , adeoque ejus animalitatem , & rationalitatem intrinsece , licet valde obscure : ita tamen , ut nesciat illum appellare animal rationale : cum nesciat aliquod extrinsecum , nempe nomen hoc animalis rationalis , competens patri suo : aut alium terminum , seu connotatum , unde moveri possit ad illum cognoscendum sub tali nomine , juxta ea , quæ dicta sunt *disp. 7. ar. 10.* ubi de præcisione ex parte actus.

XVIII. Objicies 3. Nequit explicari , quodnam sit objectū voluntatis institutoris linguæ : ergo hæc non est forma , constituens voces significativas ad placitum .

Respondeo , nego antecedens , & breviter dico : objectum institutorum linguæ fuit obligatio in loquente , nō adhibendi hanc , vel illam vocem , nisi objectis , in ejus mente , ita , aut ita se habentibus : & præterea hæc ipsa obligatio cognita ab audiente . Qui autem vult talem obligationem , vult , ut Deus , qui , ut dictum est *in theol. lib. 8. de moralit. act. hum.* solus potest obligare creaturam , aut superior , qui gerit vices Dei ; talem obligationem imponat . Qui autem vult , ut Deus talem obligationem imponat ; quid ipse velit , varii varia . Primo , Ezparza *quæst. 21. de actibus humanis* , & alii communiter tenent , Deum , quando obligat creaturam ad aliquid , in præsentī rerum serie , vel le carentiam beatitudinis , si nihil obstabit , negandæ a Deo transgressoribus , idest cuicunque libere adhibuerit tales voces , rebus , non ita , aut ita in ejus mente se habentibus ; si fuerit mendacium graviter peccaminosum : sin vero leviter ; beatitudinis minuendæ , vel differendæ : & e converso , beatitudinem dandam , accelerandam , augendam illi , qui talem legem servaverit . Secundo alii sustinent , Deum in quavis rerum serie , dum obligat creaturam , velle saltem inefficaciter , modo tendendi obligativo , observantiam ipsam talis legis , & ipsam legem , ex suppositione , quod creatura loquatur . Ita evitatur reflexio prædictæ volitionis adæquata supra seipsam , quod esset absurdum ; quod nimirum volitio nihil vellet præter seipsam : sicuti absurdum communiter reputatur adæquata reflexio cognitionis supra seipsam , ut dictum est , *art. 1. assert. 2.* Aliqua vero reflexio inadæquata volitionis supra seipsam , quod scilicet simul cum alio objecto velit seipsam , communiter non est absurda : sicut etiam reflexio inadæquata cogniti-

tionis supra seipsam, quod scilicet, & seipsam cognoscat, & aliquid aliud. Cæterum hæc est res valde difficilis, quæ communiter hoc loco ab auctoribus fere intacta relinquitur, agitata pluribus in locis in theologia. De hac materia fuse dictum est in, *theol. lib. 6. de Sacrament.* ubi de objecto intentionis sacramentū conficiētis. Arriaga, Oviedus, & alii passim difficultatem obiter tangunt, sed diversimode solvunt. Verum non multum, fatifaciunt. Giattinus, ex professo, illam exagitat, sed plura congerit, quæ non placent. Hæc tironibus innuisse sit satis.

## A R T I C U L U S IX.

Analysis prædictorum in argumenta  
negativa.

XIX. **D**ico 1. Nos in hac *disput.* 15. tria præcipue asserimus: primum, vocabula non significare naturaliter, sed ad placitum. Secundum, significare immediate, & primario res: mediate, & secundario conceptus rei, in mente loquentis existentes. Tertium, formam constitutivam vocis significativæ ad placitum, esse volitionem institutorum.

Primum tandem aliquando probamus: quia non est assignabile, idest non apparet, quare voces, si hanc, aut illam rem, naturaliter significant; non hanc, aut illam æque significant apud omnes etiam dissitas, ac barbaras nationes: sicut, quia ignis naturaliter habet calefacere, & nix frigefacere; id præstant ubique gentium.

Secundum, quia, cum significare sit esse signum, idest esse imaginem; non est assignabilis, idest non apparet ratio, quare, vox non significet immediate, & primario id, cujus est imago, quod scilicet ipsa per modum imaginis representat; quod est res: sed significet immediate, & primario id, cujus est argumentum, quod scilicet ipsa per modum argumenti, seu duntaxat arguitive significat; quod est conceptus mentis in loquente: aut cur immediate, & primario non solum rem, cujus est imago, sed præterea aliam rei imaginem, cujus ipsa est solummodo argumentum, puta cognitionem in mente loquentis existentem; pariter representet.

Tertium, quia non est assignabilis alia forma commodius,  
*Ant. Forti.* aut

aut æque commode constituens voces significativas ad placitum, inter naturas rationales : nec est assignabilis , idest non apparet ratio , quare res physice præterita , possit gerere munus formæ in aliis concretis, natura sua, successivis, & transeuntibus; & non possit volitio institutorum, alioquin legitima , seu juridica hujusmodi munus gerere, in subiecta vocum materia , de qua loquimur.

XX. Dico 2. Adversarii sustinent oppositum contra nos. Eorum rationes aliquando tandem eo reducuntur: quoad primum, tum quia, si voces non significant naturaliter , sed mere ad placitum ; non potest explicari , idest non apparet , quomodo homines prima vice vocabulis significatum imposuerint : seque quoad hoc mutuo declaraverint : tum quia non potest explicari , idest non apparet , quare homines natura non dicenda sit inferioris conditionis condidisse , quam beluas , quibus voces concessit aliquas , licet inarticulatas , at naturales , unde proprias exprimant passionem.

Quoad secundum , quia , cum locutio sit signi prolatio socialiter , juxta ea , quæ dicta sunt in theol. lib. 3. de fide ; certum est, ex una parte , voces significare conceptum mentis in eo , qui loquitur modo humano : neque enim apparet, quomodo salvari possit Tò , socialiter , præcindendo ab hujusmodi significatione conceptus mentalis in voce : ex altera parte , qui loquitur , verax reputatur , & si res non ita se habeat , ut verba significant ; dummodo ipse verbis exprimat rem , prout revera invenitur in ejus mente : cum non appareat , quare dicendus sit mendax , dum loquitur juxta mentem : atqui non est assignabile , idest non apparet , quomodo hæc salvari possint ; si dicamus per voces immediate , ac primario non significari conceptus mentales : ergo voces immediate , & primario significant conceptus mentales , mediate , & secundario res : vel saltem , utrumque significant æque primo .

Quoad tertium , tum quia non est necessarium : cum non appareat hæc necessitas : immo non est explicabile , idest non apparet , quomodo voces possint actu denominari physice significativæ , per aliquam formam præteritam , physice tamen actu non existentem ; quin sequatur , posse etiam calidum denominari tale per calorem præteritum , actu non existentem : tum quia non

Phil. Neg. Log.

R r r r

est

est explicabile, idest non apparet, quodnam hujusce intentionis institutorum objectum assignari commode possit sine circulo, aut vitiosa reflexione volitionis in seipsam.

*Corollarium.*

Sed hæc, tam nostra, quam Adversariorum argumenta, sunt negativa, ut constat ex dictis in *Clavi disp. 1. log.* ergo in hac disputat. 15. agentes de vocibus, aliquando tandem, tam nos, quam adversarii revera Negative philosophamur; quanvis, voce tenus, ipsi fortasse id recusent.



I N-

# I N D E X.

683

## PHILOSOPHIÆ NEGATI- VÆ Liber primus,

Summulæ , seu introductio in  
Logicam. pag. 1.

### DISPUTATIO PRIMA de Termino.

Primo , quid sit terminus . Se-  
cundo, quotuplex sit. Ter-  
tio , de proprietatibus ter-  
mini. ibid.

Articulus 1. Quid sit Termi-  
nus. ibid.

Articulus 2. Solvuntur obje-  
ctiones. 2.

Articulus 3. Quotuplex sit ter-  
minus. Prima , & secunda  
termini divisio, in menta-  
lem , objectivum, vocalem  
scriptum : significativum ,  
& non significativum. 3.

Articulus 4. Solvuntur obje-  
ctiones. 5.

Articulus 5. Tertia termini di-  
visio, in categorematicum,  
& syncategorematicum. 7.

Articulus 6. Quarta , quinta ,  
& sexta termini divisio ,  
in communem , & singula-  
rem : universalem , & par-  
ticularem : univocum ,  
& analogum :  
ubi de Univocis, Æquivo-  
cis, Analogis, & Denomi-  
nativis. ibid.

Quoad Univoca. 9.

Quoad Æquivoca. ibid.

Quoad Analoga. 10.

Quoad Denominativa. 12.

Articulus 7. Septima , & octa-  
va termini divisio , in ab-  
solutum , connotativum ,  
& relativum : concretum ,  
& abstractum. ibid.

Articulus 8. Nona , & decima  
termini divisio , in colle-  
ctivum , & non collecti-  
vum : complexum , & in-  
complexum. 14.

Articulus 9. Undecima, & duo-  
decima termini divisio , in  
prædicamentalem , tran-  
scendentalem, & supertran-  
scendentalem : finitum , &  
infinnitum , seu infinita-  
tum. 15.

Articulus 10. Decimatertia ,  
quarta , quinta , & sexta  
termini divisio , in prima  
& secundæ intentionis: af-  
firmativum , & non affir-  
mativum : privativum , &  
negativum : pertinentem ,  
& impertinentem. 16.

De proprietatibus termini. Pri-  
mo , de suppositione. Se-  
cundo , de Ascensu. Ter-  
tio , de Descensu. Quar-  
to , de Statu . Quinto , de  
Ampliatione. Sexto , de  
Restrictione. Septimo, de  
Alienatione. Octavo, de  
Diminutione. Nono, de  
Appellatione. 17.

R r r r 2 Ar.

Articulus 11. De suppositione termini. ibid.

Articulus 12. De Ascensu, Descensu, Statu, Ampliatione, Restrictione termini. 19.

Articulus 13. De Alienatione, Diminutione, Appellatione termini. 21.

**DISPUTATIO SECUNDA**  
*de Propositione.*

Primo, in Universum. Secundo, de Inesse. Tertio, Modali. Quarto, Definitiva. Quinto, Divisiva. 22.

Articulus 1. De Propositione in universum. Quid sit, & quod duplex Propositio. ibid.

Prima divisio Propositionis, in mentalem, objectivam, vocalem, & scriptam. 23.

Secunda divisio Propositionis, in necessariam, contingentem: possibilem, & impossibilem. ibid.

Tertia divisio Propositionis, in affirmativam, & negativam. ibid.

Quarta divisio Propositionis, in universalem, particularem: indefinitam, & singularem. 24.

Quinta divisio Propositionis, in veram, & falsam. ibid.

Sexta divisio Propositionis, in simplicem, & compositam. ibid.

Septima divisio Propositionis, in de secundo adjacente, &

de tertio adjacente. 25.

Octava divisio Propositionis, in de inesse, & modalem. ibid.

Nona divisio Propositionis, in exponibilis, in exclusivam, & exceptivam. ibid.

Articulus 2. Solvuntur objectiones. 27.

Articulus 3. De Propositione de Inesse. Primo, quoad Formam. Secundo, quoad Quantitatem. Tertio, quoad Oppositionem. Quarto, quoad Qualitatem. Quinto, quoad Equipollentiam. Sexto, quoad Conversionem. 29.

Quoad quantitatem propositionis de Inesse. ibid.

Quoad oppositionem propositionis de Inesse. ibid.

Figura Quantitatis, & Oppositionis propositionum de Inesse. 31.

Quoad Qualitatem propositionis de Inesse. ibid.

Quoad Equipollentiam propositionis de Inesse. 33.

Quoad Conversionem propositionis de Inesse. 34.

Articulus 4. De Propositione Modali. Primo, quoad formam. Secundo, quoad Qualitatem. Tertio, quoad Quantitatem. Quarto, quoad Oppositionem. Quinto, quoad Equipollentiam. Sexto, quoad Conversionem. 36.

Quoad

- Quoad formam, qualitatem,**  
quantitatem, & opposi-  
tionem propositionis moda-  
lis. *ibid.*
- Quoad æquipollentiam proposi-**  
tionis modalis. *ibid.*
- Figura Oppositionis, & Æqui-**  
pollentiz modalium. 37.
- Quoad Conversionem proposi-**  
tionis modalis. 38.
- Articulus 5. De Propositione**  
Definitiva. 39.
- Articulus 6. De Propositione**  
Divisiva. 42.
- 
- DISPUTATIO TERTIA**  
*De Argumentatione.*
- Primo Syllogistica in Genere.**  
Secundo Syllogistica in  
specie. Tertio Fallaci, &  
Sophistica. 44.
- Articulus 1. De Argumentatio-**  
ne Syllogistica in Genere.  
Primo quid sit in se. Se-  
cundo quoad vim. Tertio  
quoad medium terminum.  
Quarto quoad formam re-  
motam. Quinto quoad for-  
mam proximam. Sexto  
quænam Argumentationis  
proprietas. *ibid.*
- Quid sit, in se, Argumentatio**  
syllogistica in genere, scili-  
cet syllogismus. *ibid.*
- Quid sit syllogismus quoad**  
vim 45.
- Quid sit syllogismus quoad me-**  
dium terminum 46.
- Quid sit syllogismus quoad for-**  
mam remotam, idest figu-  
ram. 48.
- Quid sit syllogismus quoad for-**  
mam proximam. 49.
- Prime figuræ modi directi** 50.
- Prime figuræ modi indire-**  
cti *ibid.*
- Modi secundæ figuræ** 51.
- Modi tertiæ figuræ** *ibid.*
- Alii modi rejiciuntur.** 52.
- Articulus 2. Quæ sint syllogis-**  
mi proprietates. Primo,  
quoad præmissas. Secun-  
do, quoad consequentiam.  
Tertio, quoad reductio-  
nem ostensivam. Quarto,  
quoad reductionem ad im-  
possibile. 53.
- Proprietates, quoad præmissas**  
syllogismi. *ibid.*
- Proprietates, quoad consequen-**  
tiam syllogismi. 54.
- Proprietates, quoad reductionē**  
syllogismi ostensivam. 56.
- Proprietates syllogismi, quoad**  
reductionem ad impossi-  
bile. 57.
- De Argumentatione syllogisti-**  
ca in specie, seu de syllo-  
gismo in particulari, tum  
legitimo, tum fallaci. 59.
- Articulus 3. De syllogismo legi-**  
timo in particulari. Primo,  
de syllogismo expositorio.  
Secundo, de obliquo. Ter-  
tio, de modali, Quarto,  
de disjunctivo. Quinto, de  
con-



conditionalis. Sexto, de  
 causali. Septimo, de trun-  
 cato. Octavo, de ab indu-  
 ctione. Nono, de ab exē-  
 plo. Decimo, de dilemma-  
 te. *ibid.*  
 Prima species, syllogismus ex-  
 positorius *ibid.*  
 Secunda species, syllogismus  
 obliquus. *ibid.*  
 Tertia species, syllogismus mo-  
 dalis 60.  
 Quarta species, syllogismus dis-  
 junctivus. *ibid.*  
 Quinta species, syllogismus hy-  
 potheticus, seu conditio-  
 nalis. *ibid.*  
 Sexta species, syllogismus cau-  
 salis *ibid.*  
 Septima species, enthymema. *ib.*  
 Octava species, syllogismus ab  
 inductione. *ibid.*  
 Nona species, syllogismus ab  
 exemplo. 61.  
 Decima species, dilemma. *ibid.*  
 Articulus 4. De syllogismo fal-  
 laci *ibid.*  
 De fallaciis intra dictionem 62.  
 De fallaciis extra dictionē. 63.

PHILOSOPHIÆ NEGATI-  
 VÆ Liber secundus, Logi-  
 ca. 66.

Logicæ pars prima, Clavis phi-  
 losophiæ Negativæ, seu  
 Disputatio prima, ne-  
 cessario prælegenda. 67.  
 Articulus 1. Quo tandem ali-  
 quando resolvi oporteat

philosophiam pure huma-  
 nam, sibi relictam. *ibid.*  
 Articulus 2. Analysis prædicto-  
 rum in argumenta negati-  
 va. 99.

DISPUTATIO SECUNDA  
 Preliminaris,

Utrum, ex non apparentia re-  
 pugnantia, possibilitas ob-  
 jecti sufficiēter inferri pos-  
 sit. *ibid.*

Articulus 1. Nostra senten-  
 tia. *ibid.*

Articulus 2. Solvuntur obje-  
 ctiones contra primam  
 propositionem, quæ affir-  
 mat in favorem possibilita-  
 tis: *omne, non apparens  
 repugnare; est Possibile.* 123.

Articulus 3. Solvuntur obje-  
 ctiones contra primam  
 prædictam, & secundam  
 propositionem, quæ asse-  
 rit in favorem Impossibili-  
 tatis: *omne, non apparens  
 non repugnare; est Impossi-  
 bile.* 129

Articulus 4. Solvuntur obje-  
 ctiones contra secundam pro-  
 positionem prædictam, &  
 contra tertiam, quæ assu-  
 mit in favorem Neutrali-  
 tatis: *omne, nec apparens  
 repugnare, nec apparens  
 non repugnare; neutrum  
 determinate est intelle-  
 ctui.* 139.

Articulus 5. Solvuntur obje-  
 ctio-

ctiones contra tertiam  
propositionem prædictam,  
quæ assumit in favorem  
Neutralitatis: *omne, nec  
apparens repugnare, nec  
apparens non repugnare;*  
*neutrum determinate est in-*  
*tellectui.* 143.

Articulus 6. *Analysis prædicto-*  
*rum in Argumenta negati-*  
*va.* 144.

LOGICÆ PARS SECUNDA  
De Logica secundum  
se. 151.

*DISPUTATIO TERTIA.*

Primo, quid sit Logica. Secun-  
do, an sit possibilis. Ter-  
tio, an detur defecto. Quar-  
to, de ejus causis. Quin-  
to, quotuplex sit logica.  
Sexto, in quo reperia-  
tur. ibid.

Articulus 1. Quid sit logica.  
An sit possibilis. An detur  
defecto. Quænam sint ejus  
causæ. ibid.

Articulus 2. Quotuplex sit logi-  
ca. 156.

Prima quorundam explicatio  
circa logicam utentem, &  
docentem. 157.

Secunda aliorum explicatio. 158.  
Tertia aliorum explica-  
tio. 159.

Articulus 3. In quo subjecto, aut  
quasi subjecto, defecto lo-  
gica inveniatur. 160.

Articulus 4. *Analysis prædicto-*  
*rum in argumenta negati-*  
*va.* 164.

*DISPUTATIO QUARTA.*  
*Quænam sint logicæ proprietates*  
*præcipuæ.*

Primo, an logica sit ars. Se-  
cundo, an virtus. Tercio,  
an scientia. Quarto, an  
simpliciter practica: ubi.  
Quinto, quid sit, cognitio-  
nem esse practicam; quid,  
esse speculativam. Sexto,  
an logica sit necessaria ad  
alias scientias acquiren-  
das. 166.

Articulus 1. An logica sit ars. ib.

Articulus 2. An logica sit vir-  
tus. 167.

Articulus 3. Solvuntur objectio-  
nes. 169.

Articulus 4. An logica sit sci-  
entia. 171.

Articulus 5. Solvuntur objectio-  
nes. 173.

Articulus 6. An logica sit scien-  
tia practica. 175.

Articulus 7. Solvuntur objectio-  
nes. 176.

Articulus 8. Quid sit, cognitio-  
nem esse practicam; quid,  
esse speculativam. 181.

Articulus 9. Solvuntur objectio-  
nes. 187.

Articulus 10. An logica ad alias  
scientias acquirendas sit ne-  
cessaria. 191.

Arti-

- Articulus 11. Solvuntur objectiones. 192.  
 Articulus 12. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 193.

### LOGICÆ PARS TERTIA

De Logica, penes objectum suum in genere. ibid.

#### DISPUTATIO QUINTA

De objecto Logicæ in genere.

Primo, de objecto materiali, & formali. Secundo, de objecto attributionis, & attributi. Tertio, aliorum sententiæ referuntur, & impugnantur. ibid.

Articulus 1. Quodnam sit objectum materiale, & formale logicæ. ibid.

Articulus 2. Solvuntur objectiones. 201.

Aliorum sententiæ de objecto materiali, & formali logicæ referuntur, & impugnantur. Primo, pro prima operatione intellectus.

Secundo, pro tertia operatione intellectus. Tertio, pro intellectu. Quarto, pro rebus omnibus. Quinto, pro vocibus. Sexto, pro operatione recta, rectitudine activa. 206.

Articulus 3. Prima sententia, pro prima operatione intellectus. ibid.

Articulus 4. Solvuntur objectiones. 207.

*Ant. Forti.*

Articulus 5. Secunda sententia, pro tertia operatione intellectus. 214.

Articulus 6. Solvuntur objectiones. 215.

Articulus 7. Tertia, & quarta sententia, pro intellectu, & rebus omnibus. 223.

Articulus 8. Solvuntur objectiones pro intellectu, seu natura intellectiva. 225.

Articulus 9. Solvuntur objectiones pro rebus omnibus. 231.

Articulus 10. Quinta sententia, pro vocibus. 234.

Articulus 11. Solvuntur objectiones. 235.

Articulus 12. Sexta sententia, pro operatione recta rectitudine activa. 238.

Articulus 13. Quodnam sit logica objectum attributionis, & attributi. ibid.

Articulus 14. Solvuntur objectiones pro syllogismo demonstrativo. 241.

Articulus 15. Solvuntur objectiones pro sola definitione. 244.

Articulus 16. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 245.

### QUARTA PARS LOGICÆ

De Logica, penes objectum suum in specie. 247.

Primo, de Propositione in materia possibili, & impossibili.

bili. Secundo de propositione universalī, & particulari. Tertio de propositione univoca, æquivoca, & analogica. Quarto de propositione comparativa, seu relativa. Quinto de propositione vera, & falsa. Sexto de propositione syllogistica. <i>ibid.</i>	quid sit ens rationis metaphysicum. 252.
<i>DISPUTATIO SEXTA</i>	Articulus 3. Solvuntur objectiones. 254.
<i>De propositione in materia possibili, &amp; impossibili, ubi de ente rationis logico, &amp; metaphysico. ibid.</i>	Articulus 4. Variæ entis rationis metaphysici definitiones referuntur, & impugnantur. 259.
Articulus 1. De propositione in materia possibili, ubi de ente rationis logico. <i>ibid.</i>	Prima definitio entis rationis metaphysici. <i>ibid.</i>
De propositione in materia impossibili, ubi de ente rationis metaphysico. Primo, quid sit propositio in materia impossibili, ubi quid sit ens rationis metaphysicum. Secundo, an detur defacto ens rationis metaphysicum. Tertio, quotuplex sit propositio in materia impossibili. Quarto, quinam intellectus possit chimerizare. Quinto, an voluntas possit, suo modo, attingere objectum impossibile, ab omni ente reali contradistinctum. Sexto, an id possit oculus, in sua linea.	Secunda definitio <i>ibid.</i>
	Tertia definitio <i>ibid.</i>
	Quarta definitio <i>ibid.</i>
	Quinta definitio 260.
	Sexta definitio <i>ibid.</i>
	Septima definitio <i>ibid.</i>
	Octava definitio. <i>ibid.</i>
	Articulus 5. An detur defacto ens rationis metaphysicum. 261.
	Articulus 6. Adversariorum responsiones referuntur, & impugnantur. 267.
	Prima responsio adversariorum. <i>ibid.</i>
	Secunda responsio. 268.
	Tertia responsio 269.
	Quarta responsio 270.
	Quinta responsio 271.
	Sexta responsio <i>ibid.</i>
	Septima responsio 272.
	Octava responsio <i>ibid.</i>
	Nona responsio 275.
	Decima responsio 276.
	Undecima responsio. 277.
Articulus 2. Quid sit propositio in materia impossibili, ubi <i>Phil. Neg. Log.</i>	Articulus 7. Solvuntur objectiones 281.
	Articulus 8. Quotuplex sit propositio in materia impossibili

bili. Prima divisio propositionis in materia impossibili in positivam, & negativam.	290.
Secunda divisio in fundatam, & non fundatam.	ibid.
Tertia divisio in ratiocinantem, & ratiocinatam.	291.
Quarta divisio in formalem, & radicalem.	ibid.
Quinta divisio in simplicem, & compositam.	ibid.
Sexta divisio in affirmativam, & negativam.	292.
Septima divisio in veram, & falsam.	ibid.
Articulus 9. Quinam intellectus possit chimerizare.	ibid.
Articulus 10. Solvuntur objectiones.	
Articulus 11. An voluntas possit attingere objectum impossibile, ab omni reali contradistinctum.	295.
Articulus 12. An oculus possit chimera attingere.	297.
Articulus 13. Solvuntur objectiones.	301.
Articulus 14. Analysis prædictorum in argumenta negativa.	306.

De propositione universali, & particulari, seu singulari.	
Primo de unitate, pluralitate, identitate, distinctione.	
Secundo de universali in communi. Tertio de universalibus in particulari.	
Quarto de individuo.	312.

## DISPUTATIO SEPTIMA

*De Unitate, Pluralitate: Identitate, Distinctione.*

Articulus 1. De unitate, & pluralitate.	ibid.
Articulus 2. Solvuntur objectiones.	315.
Articulus 3. De identitate, & distinctione.	317.
Articulus 4. Aliorum explanationes, quoad conceptum identitatis, referuntur, & impugnantur.	319.
Prima explicatio	ibid.
Secunda explicatio	320.
Tertia explicatio	ibid.
Quarta explicatio	322.
Quinta explicatio	ibid.
Sexta explicatio	323.
Quid de his explanationibus.	ibi.
Articulus 5. De distinctione, independente ab intellectu.	325.
Articulus 6. An detur distinctio formalis ex natura rei	327.
Arbor Porphyrii	328.
Nostra sententia de distinctione formali, ex natura rei.	330.
Articulus 7. Solvuntur objectiones.	333.
Articulus 8. An detur distinctio virtualis major, & intrinseca.	344.
Articulus 9. Solvuntur objectiones.	347.
Articulus 10. Quid sit, & quod duplex, & an detur distinctio dependenter ab intellectu.	351.
Arti-	

Articulus 11. Solvuntur objectiones. 357.

Articulus 12. An distinctio dependens ab intellectu fiat per præcisionem objectivam. 360.

Articulus 13. Solvuntur objectiones 364.

Art. 14. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 371.

### DISPUTATIO OCTAVA

#### De Universalis,

Primo in communi, secundo in particulari. 374.

De universalis in communi. Primo, quid sit, & quotuplex, & an detur a parte rei. Secundo, utrum in actuali prædicatione retineat suam universalitatem: ubi, an natura, ab uno tantum individuo abstracta, reputanda sit universalis. Tertio, variae sententiae perpendicularuntur. ibid.

Articulus 1. Quid, & quotuplex sit universale in communi, & an detur a parte rei. ibi.

Articulus 2. Solvuntur objectiones. 380.

Articulus 3. An universale in actuali prædicatione retineat universalitatem. 388.

Articulus 4. Solvuntur objectiones, ubi, utrum natura, ab uno tantum individuo abstracta, sit universalis. 391.

Aliorum sententiae de universali referuntur, & impugnantur. 396.

Articulus 5. Prima classis, pro universali independenter ab intellectu. Prima sententia pro universali extra singularia ibid.

Articulus 6. Solvuntur objectiones. 398.

Articulus 7. Secunda sententia pro universali ante singularia. 399.

Articulus 8. Solvuntur objectiones. 400.

Articulus 9. Tertia sententia, pro universali in singularibus unitate negativa. 401.

Articulus 10. Quarta sententia pro universali in singularibus unitate formali ex natura rei 402.

Articulus 11. Solvuntur objectiones 403.

Articulus 12. Secunda classis, pro universali dependente ab intellectu. Quinta sententia pro unitate idoli. 405.

Articulus 13. Sexta sententia, pro unitate præcisionis objectivæ. 406.

Articulus 14. Solvuntur objectiones. 407.

Articulus 15. Pro unitate præcisionis ex parte actus. Septima sententia pro unitate cognitionis confusentis. 409.

Articulus 16. Solvuntur objectiones.

- ctiones. 415.  
 Articulus 17. Octava sententia  
 pro unitate cognitionis chi-  
 merizantis. 418.  
 Articulus 18. Nona sententia  
 pro unitate vocali. 421.  
 De universali in particulari. 422  
 Primo, de genere. Secundo, de  
 specie. Tertio, de differen-  
 tia. Quarto, de proprio.  
 Quinto, de accidente. Sexto,  
 an hæc divisio sit adæqua-  
 ta. Septimo, an universale  
 sit genus, respectu quinque  
 prædicabilium. ibid.  
 Articulus 19. De genere ibid.  
 Articulus 20. Solvuntur obje-  
 ctiones. 427.  
 Articulus 21. de specie 430.  
 Articulus 22. Solvuntur obje-  
 ctiones 432.  
 Articulus 23. An sit possibilis  
 species numero immulti-  
 plicabilis. 434.  
 Articulus 24. Solvuntur obje-  
 ctiones. 437.  
 Articulus 25. De differētia 449.  
 Articulus 26. Solvuntur obje-  
 ctiones. 451.  
 Articulus 27. An differentia  
 inferior includat, in suo cō-  
 ceptu, genus, aut differen-  
 tiam superiorem. 452.  
 Articulus 28. Solvuntur obje-  
 ctiones. 454.  
 Articulus 29. An dari possit dif-  
 ferentia simplex, & diffe-  
 rentia composita. 456.  
 Articulus 30. Solvuntur obje-  
 ctiones. 458.  
 Articulus 31. De Proprio. 460.  
 Articulus 32. De Accidēte. 462.  
 Articulus 33. Solvuntur obje-  
 ctiones 463.  
 Articulus 34. an divisio prædi-  
 cabilium sit adæquata : &  
 utrū universale sit genus,  
 respectu prædicabiliū. 464.  
 Articulus 35. Analysis prædi-  
 ctorum in argumenta ne-  
 gativa. 466.
- 
- DISPUTATIO NONA**  
*De propositione particulari,  
 seu singulari, ubi de indivi-  
 duo.* 470.  
 Primo de individuo primæ, &  
 secundæ intentionis. Se-  
 cundo de individuo signa-  
 to, & vago. Tertio an ra-  
 tio individui sit univoca,  
 seu, an abstrahi possit ra-  
 tio communis univoca ab  
 omnibus individuis.  
 Articulus 1. Quid sit individuū  
 primæ, & secundæ inten-  
 tionis : signatum, & va-  
 gum. ibid.  
 Articulus 2. An detur indivi-  
 duum vagum 472.  
 Articulus 3. Solvuntur obje-  
 ctiones. 475.  
 Articulus 4. An ratio individui  
 sit univoca, seu an ab om-  
 nibus individuis abstrahi  
 possit ratio communis uni-  
 voca. 476.  
 Articulus 5. Solvuntur obje-  
 ctio-

ctiones.	477.	connotantium, & formalistarum.	512.
Articulus 6. Analysis prædictorum in argumenta negativa,	480.	Articulus 9. Solvuntur objectiones.	513.
<b>DISPUTATIO DECIMA</b>		Articulus 10. De regula partium.	517.
<i>De propositione relativa, seu comparativa, ubi de relatione.</i>		Articulus 11. Solvuntur objectiones, ubi varieg partium regula perpenduntur.	521.
Primo, quid sit metaphysice relatio. Secundo, an detur relatio independenter ab intellectu. Tertio, in quo physice consistat: ubi aliorum sententiarum referuntur, & impugnantur: & traditur regula partium. Quarto, quotuplex sit relatio. Quinto, quædam relationis proprietates.		Prima, secunda, tertia, & quarta regula diversa.	524.
Articulus 1. Quid sit relatio metaphysice.	ibid.	Quinta regula diversa.	525.
Articulus 2. An detur relatio independenter ab intellectu.	488.	Impugnatur prima, & secunda.	ibid.
Articulus 3. Solvuntur objectiones.	490.	Impugnatur tertia, quarta, & quinta.	526.
Articulus 4. In quo physice consistat relatio	491.	Articulus 12. Tertia sententia pro ratione fundandi.	527.
Articulus 5. Solvuntur objectiones.	494.	Articulus 15. Solvuntur objectiones.	528.
Articulus 6. Aliorum sententiarum, de physico relationis constitutivo referuntur, & impugnantur.	504.	Articulus 14. Quotuplex sit relatio: prima divisio relationis, trifariam.	531.
Prima sententia modalistarum.	ibi.	Secunda divisio relationis in transcendentalem, & prædicamentalem.	533.
Articulus 7. Solvuntur objectiones.	510.	Tertia divisio in relationem realem, & relationem rationis.	536.
Articulus 8. Secunda sententia		Quarta divisio in relationem secundum esse, & relationem secundum dici.	ibid.
		Quinta divisio in relationem mutuam, & non mutuam.	ibi.
		Sexta divisio in relationem æquiparantiam, & disquiparantiam.	537.
		Septima divisio in relationem extrinsecus advenientem, &	



& intrinsecus advenien-  
tem. ibid.

Articulus 15. Quædam relatio-  
nis proprietates. 538.

Articulus 16. Analysis prædi-  
ctorum in argumenta ne-  
gativa. 540.

**DISPUTATIO UNDECIMA**  
*de Propositione vera, & falsa,*  
*ubi de veritate, ac falsitate*  
*formali.*

Primo, quid sit metaphysice  
veritas, & falsitas forma-  
lis. Secundo, an detur  
defacto. Tertio, quid sit  
physice. Quarto, an sus-  
cipiat magis, & minus.  
Quinto, an eadem propo-  
sitis possit esse vera simul,  
& falsa. Sexto, an propo-  
sitis vera possit transire in  
falsam, aut falsa in veram.  
Septimo, an propositio de  
futuro, aut non futuro cō-  
tingenti, possit esse deter-  
minate vera, vel determi-  
nate falsa. 544.

Articulus 1. Quid sit metaphy-  
sice veritas, & falsitas for-  
malis. ibid.

Articulus 2. Solvuntur objec-  
tiones. 545.

Articulus 3. An defacto detur  
veritas, & falsitas forma-  
lis. 548.

Articulus 4. Quid sit physice  
veritas, & falsitas forma-  
lis. 549.

Articulus 5. Solvuntur objec-  
tiones. 551.

Articulus 6. Aliorum sententiæ  
de physico veritatis, &  
falsitatis constitutivo refe-  
runtur, & impugnantur. 557.  
Prima, secunda, tertia, quar-  
ta, & quinta senten-  
tia. 558.

Articulus 7. An veritas, & fal-  
sitas suscipiant magis, &  
minus. 560.

Articulus 8. An eadem propo-  
sitis possit esse vera simul, &  
falsa. 561.

Articulus 9. An propositio vera  
possit transire in falsam,  
aut falsa in veram. 563.

Articulus 10. Solvuntur obje-  
ctiones. 565.

Articulus 11. An propositio de  
futuro, aut non futuro con-  
tingenti, possit esse deter-  
minate vera, vel determi-  
nate falsa. 569.

Articulus 12. Solvuntur obje-  
ctiones. 574.

Articulus 13. Analysis prædi-  
ctorum in argumenta ne-  
gativa. 588.

**De Propositione syllogistica,**  
*ubi de syllogismo, Primo,*  
*in communi. Secundo, de-*  
*monstrativo. Tertio, pro-*  
*babili. 591.*

**DISPUTATIO DUODECIMA**  
*De syllogismo in communi.*

Primo, quid, & quotuplex sit  
syl-

sylogismus. Secundo, de causalitate præmissarum in conclusionem. Tertio, de earundem necessitate, quoad inferendum. Quarto, de reflexione conclusionis supra præmissas. Quinto, de bonitate illationis.

Articulus 1. Quid, & quotuplex sit syllogismus. 591.

Articulus 2. De causalitate præmissarum in conclusionem: deque earum necessitate, quoad inferendum. 593.

Articulus 3. Solvuntur objectiones. 597.

Articulus 4. De reflexione conclusionis supra præmissas. 604.

Articulus 5. Solvuntur objectiones. 608.

Articulus 6. De bonitate illationis. 617.

Articulus 7. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 619.

### DISPUTATIO XIII.

*De syllogismo demonstrativo.*

Primo, quid sit metaphysice, & quotuplex syllogismus demonstrativus. Secundo, de ejus præmissis. Tertio, de certitudine, & evidentia talium præmissarum. Quarto, an hæ sint veriores, certiores, evidenciores cō-

clusionem. Quinto, de conclusione syllogismi demonstrativi: ubi, de scientia, & circulo, seu regressu: & de prærequisitis ad demonstrationem. 622.

Articulus 1. Quid sit, & quotuplex syllogismus demonstrativus. ibid.

Articulus 2. De præmissis syllogismi demonstrativi. 623.

Articulus 3. De certitudine. 627.

Articulus 4. De evidentia. 628.

Articulus 5. An præmissæ syllogismi demonstrativi sint veriores, certiores, & evidenciores conclusione. 629.

Articulus 6. De conclusione, syllogismi demonstrativi, ubi, de scientia, & circulo, seu regressu, & de prærequisitis ad demonstrationem. 631.

Articulus 7. Solvuntur objectiones. 636.

Articulus 8. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 643.

### DISPUTATIO XIV.

*De syllogismo probabili, ubi de opinione, ac fide humana.*

Primo, quid sit, & quotuplex opinio, fidesque humana. Secundo, de earum incertitudine. Tertio, de earundem compossibilitate inter se, & cum scientia in

- in eodem intellectu. Quarto, de compossibilitate, seu identitate opinionis, fidei, ac scientiæ in eodem actu. 645.
- Articulus 1. Quid sit, & quod duplex opinio, fidesq; humana. ibid.
- Articulus 2. De incertitudine opinionis, & fidei humanæ. 648.
- Articulus 3. An opinio, fides humana, & scientia inveniri possint simul in eodem intellectu. 649.
- Articulus 4. Solvuntur objectiones. 650.
- Articulus 5. An idem actus possit simul esse opinio, fides humana, & scientia. 655.
- Articulus 6. Solvuntur objectiones. 657.
- Articulus 7. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 664.

#### DISPUTATIO XV.

*De propositione vocali, seu de vocum significatione.*

Primo, an, & quid vocabula

- significant naturaliter. Secundo, quid significant ad placitum. Tertio, utrum immediate significant rem, an vero conceptum mentis. Quarto, unde formaliter constituentur significativa ad placitum. 665.
- Articulus 1. An, & quid vocabula significant naturaliter. ibid.
- Articulus 2. Solvuntur objectiones. 666.
- Articulus 3. Quid vocabula significant ad placitum. 668.
- Articulus 4. Solvuntur objectiones. 670.
- Articulus 5. Utrum vocabula, immediate significant rem, an conceptum mentis. 673.
- Articulus 6. Solvuntur objectiones. 674.
- Articulus 7. Unde vocabula constituentur formaliter significativa ad placitum. 677.
- Articulus 8. Solvuntur objectiones. 678.
- Articulus 9. Analysis prædictorum in argumenta negativa. 680.

## L A U S D E O.

*Ant. Forti.*







